STEPH. ANTONI MORCELLI

OPERVM EPIGRAPHICORVM

VOLVMEN I.

BS.1406 (5vol.)
353

STEPH· ANTONI MORCELLI

OPERVM EPIGRAPHICORVM

VOLVMEN I·

Digitized by the Internet Archive
in 2014

https://archive.org/details/stephantoniimorc01morc



Cajet. Bozza inc. 1820

STEPH. ANTONIVS. MORCELLVS

STEPH· ANTONI MORCELLI

DE STILO
INSCRIPTIONVM LATINARVM

LIBER I·

EDITIO ALTERA AVCTIOR ET EMENDATIOR

PATAVII
TYPIS SEMINARII
AN· M·DCCC·XVIIII·

EDITORES PATAVINI

LECTORI

S.

Quoniam ab antiquitatis cultoribus summo plausu exceptum est Stephani Antonii Morcelli Parergon inscriptionum novissimarum, *quod anno superiore cura et impensis nostris nitide et emendate impressum prodiit ex hujus Seminarii typographia, operae pretium duximus, hoc opus ejusdem clarissimi Auctoris, similisque argumenti, vel magno minime amplius parabile, in lucem edere, quod, antequam Romae anno* MDCCLXXXI. *vulgaretur, Franciscus Eugenius Guascus, censoria auctoritate judicium de eodem proferens,* numeris omnibus absolutum et cedro dignissimum *censuit.*

Hoc nostrum consilium eo magis placuit celeberrimo Auctori, quod hanc suam lucubrationem publici juris fieri cupiebat Seminarii typis, quibus olim editum fuit Aegidii Forcellini Lexicon totius Latinitatis, *cui multa se debere ipse professus fuerat.*

Quum vero comperissemus plurimas observationes a doctissimis viris progressu temporis factas fuisse, quibus Auctoris conjecturae et opiniones in melius verterentur; vidissemus etiam non paucos irrepsisse errores in textum operis, ac praecipue in adnotationes, quibus plerumque auctorum tantum loca citantur, nec eandem constanter adhibitam fuisse in iis editionem, ideo constituimus, ut ille e nobis, qui Forcelliniani Lexici Appendicem tribus abhinc annis edidit, hujus quoque rei curam susciperet, et quam diligentiam in ea concinnanda praestiterat, eandem poneret in his ordinandis et corrigendis. Qui quidem munus hoc libentissime aggressus, quaecumque Cajetanus Marinius in operibus suis Le Iscrizioni Albane. Roma 1785, *et* Gli Atti e Monumenti de' fratelli Arvali. ivi 1795, *quaecumque itidem Josephus Eckhelius in* Doctrina nummorum veterum, *et alii quidam harum rerum peritissimi animadverterant, in eruditorum commodum brevissimis complexus est adnotationibus, quas distinctionis caussa alphabeti litteris signavit: ratus nimirum*

magnam gloriae accessionem Morcello fieri, ubi innotuisset, eruditae antiquitatis amatores, quotiescumque rem aliquam disceptare vellent, quam idem ipse suscepisset illustrandam, ad illud opus, tamquam ad Lydium lapidem, semper confugisse.

Idem praeterea quaecumque tum veterum, tum recentiorum auctorum loca Morcellus ad doctrinam suam comprobandam vel protulerat, vel tantum indicarat, ea omnia in ipsorum operibus investigavit ac diligenter perpendit, paucis tantummodo exceptis, iis videlicet quae inquirenda fuerant in rarioribus quibusdam opusculis, quae illi in promptu nequaquam esse potuerunt. Quod quidem etsi ipsi permolestum fuerit, aliis tamen perutile fore confidimus; nam in citandis veterum auctorum locis uni eidemque semper editioni adhaesit, quod in Dione Cassio praesertim factitavit, cujus omnium optimam editionem Reimarianam secutus est; ex operis vero textu, et multo magis ex adnotationibus in hoc primo tantum libro quingenta et amplius sustulit errata vel Auctoris, qui aliorum fidei acquiescens fontes ipsos saepe non adiit, vel typographi, qui scripturam male assecutus quasdam adnotationes in textu jam indicatas omisit, quasdam loco non suo apposuit, et citatorum librorum et capitum libros passim immutavit. Non ii tamen sumus, qui vel Auctorem, vel typographum negligentiae arguere velimus, quum probe noverimus illud Horatii (art. poët. v. 360) Opere in longo fas est obrepere somnum, *nec nostram hanc editionem omnis prorsus labis expertem esse existimemus.*

Haec sunt, quae te ignorare, Lector erudite, noluimus; quem certum facimus, nos in hoc opere egregio quaedam emendare ausos esse, ut praestantissimi Auctoris famam, quam ille jure ac merito tot editis doctissimis lucubrationibus adeptus est, emendatior haec altera editio magis magisque confirmaret, et insuper Patavini Seminarii honori, cujus typis concredita ea fuerat, aliquantisper pro virili parte consuleremus. Aequi interim bonique facias nostrum hunc qualemcumque laborem, tibique persuadeas, in reliquis etiam voluminibus edendis eamdem curam ac diligentiam nos esse adhibituros.

CVLTORIBVS ANTIQVITATIS

PROOEMIVM

DE RATIONE OPERIS VNIVERSA

Inscriptionum Latinarum, quae antiquis incisae monumentis vetustatem pertulerunt, tanta jam varietate numerus crevit, genus ut earum fuisse nullum putetur, cujus nunc exempla aut multa aut certe luculenta non exstent. ex quo enim bonarum artium studia restitui coepta sunt, quum singulis aetatibus multi non in urbe solum aut per Italiae oppida, sed in ipsis etiam populi Romani provinciis has maxime temporum vetustorum reliquias investigarint; fieri plane non potuit, ut qui passim omnis generis incredibilem paene vim titulorum egesserint, unius tamen, si unquam fuit aliud, generis nullum iidem in tanta illa copia exemplum nacti sint. verum qui omnes antiquitatis latebras scrutati, tot litteratos lapides descripsere, viri eruditi, quamquam his utrumque integrum erat, ut et veterum moribus lucem afferrent, et absolutam nobis inscriptionum pangendarum artem conficerent; sic primum illum laboris sui fructum expetiverunt, ut hunc alterum omnino contempsisse videantur. quis enim, quum titulorum antiquorum libros ediderint tam multos, quis, inquam, eorum justum aliquod volumen reliquit, in quo de stilo inscriptionum dedita opera atque ex veterum praescripto disseruerit? neque vero id ceteri praestitere, qui prisci leporis et Romanae gravitatis expertes, ita in hoc argumento versati sunt, ut nullam Latinae consuetudinis rationem haberent, nullam in antiquitatis imitatione laudem esse arbitrarentur. nam a Thesauro quidem nova ellogiorum exempla seu potius monstra prodierunt: Boldonius vero eo volumine, quod Επιγραφικα inscripsit, aetatis suae, non veterum praecepta, complexus est. quibus equidem paene adjunxerim Masenium quoque et Morhofium, ceteros omnes, qui de arte aut disciplina argutiarum commentando, novas inscriptionum formas, nova genera invexerunt. plurimum enim ab acerrima illa Latinorum norma semper discessisse animadverti, quicumque ingenio suo multum, veterum auctoritati parum tribuerunt.

Atque ille etiam haud satis in hanc rem contulisse mihi videtur, qui nuper Patavii fasciculum quemdam inscriptionum in usum juventutis emisit: quamquam enim pleraeque inter optimas recensendae sunt; quia tamen explanationes interpretis adhibitae nullae sunt, vix aliquid juvare tironem possunt: praesertim quum distributio earum non tam ad stili genera, quam ad Lipsianos Gruterianosve ordines referatur. quod si de ipso veterum stilo haud ita pridem scripsere aliquid clari viri Heineccius, Noghera, Zaccaria; quum illi aliud et agerent et professi essent, non solidam nobis, sed adumbra-

tam Latinae inscriptionis artem tradiderunt. tum eum etiam librum, qui, haec dum scribimus, Mantuae editus est, de ipsa arte inscriptionum Latinarum, non, ut a multis bene aeceptus est, sic uno omnes judicio probaverunt: de quo equidem, quum ad me fama perlata esset, partam nobis jam artem istam animo praesumpseram, subtimueramque, ne meus omnis labor, argumento praerepto, inutilis haberetur. sed tamen, postquam librum ipsum versare licuit, longe aliam, ac putaveram, rationem a Mantuano illo scriptore initam esse deprehendi. nam veterum exemplorum delectu fere ac discrimine remoto, de inscriptione ille generatim tantum, nullis titulorum constitutis generibus agit: ut qui praeceptis ejus tiro perbene utatur, alia tamen aliis temere intermixturus, et cuncta saepe communia habiturus esse videatur.

Iam vero qui hoc scriptionis genus adamarent, in eoque se naviter exercere vellent, minime subsidio eorum contenti esse poterant, quicumque Latinis jamdiu titulis colligendis, aut etiam explicandis operam nobis suam studiumque navarunt. scio equidem, plurimum inde lucis Romanorum moribus datum, temporum rationes prope confectas, historiam auctam, clarissimorum virorum intermortuam memoriam esse renovatam. sed litterarum hoc genus, ad cujus tractationem aggredior, tot istis tantisque adjumentis admodum nihil profecisse mihi videtur. quippe res illi, non verba spectarunt; et monumenta ipsa, non stilum atque sententias persequuti sunt. itaque ut modo de Patavino fasciculo dicebam, ordinibus quibusdam descriptis, ne ii quidem genera ipsa inscriptionum, quod nostra maxime intererat, distinxerunt; propositisque omnium aetatum titulis, ac ne barbaris quidem neglectis, cum optimis quibusque multa etiam acervatim obtulerunt, quae incautos fallerent, et stilo huic nostro etiam obesse possent. neque enim isti aut de inscriptionum delectu aut de bonitate aut de forma aut de imitatione verbum ullum habent.

Primum igitur non ego actum agere dicar, si tandem ex horum quasi penu modum ipse aliquem rationemque perpetuam expromere coner inscriptionum conficiendarum; distinctisque generibus, ac subjectis singulorum exemplis, veluti norma quadam ac regula stilum dirigam tironum. deinde harum litterarum studiosis adolescentibus opem, quam poscebant, attulisse jure videar, quod hac ipsa institutione illud quoque effecerint, ut quum aut vetera iterum inscriptionum volumina in manus sumpserint, aut novas ipsi inscriptiones, ut quotidie fit, in apricum prolatas nacti fuerint, ex his etiam rectius atque facilius in rem suam derivare multa possint. sed illud praeterea hinc mihi sperandum videtur, fore aliquando, siquidem per obtrectatores licuerit, ut commentarius hic noster, qualiscumque futurus sit, ipsa veterum exemplorum auctoritate dissolutae illi, quae diu dominata est, scribendi jocandique licentiae resistat. quibusdam enim quasi limitibus descriptis, excurrere stilus qua volet, et vagari libere non poterit: nec aliis fere vestigiis insistet, quam quae Latini veteres reliquerunt. quare vix jam erit verendum, ne ad inficetam avorum nostrorum rationem delabamur: quorum olim

vir quidam doctus (1) et dolens et timens vicem, vel edicto cavendum censebat, ne quid unquam posthac in aes aut marmor incideretur, quod non antea leeti judices cognovissent, iidemque probassent.

Ergo quod bene vertat, litterisque incrementum afferat, habetote vobis, antiquitatis cultores, tribus libris comprehensam artem aliquam inscriptionum Latinarum. primo quidem, quem ego Επιδεικτικον voco, exempla ipsa proponam ex veterum monumentis selecta, quae imitari quisque possit; eaque in sua quaeque genera distributa, et interpretatione explanata, quasi digito intento gradatim commonstrabo. sequetur alter, qui Διδακτικος dicitur, in eoque quid cuique generi conveniat, et quid nunc ex antiquorum exemplis retinendum, quid repudiandum vobis sit, edocebo. tertius denique, qui est Κατασκευαστικος, atque ad laborem vestrum minuendum maxime accommodatus, in singulis inscriptionum membris versabitur, ac multa stili hujus instrumenta, magnam rerum ac sententiarum quasi silvam subjiciet: fontes etiam nonnullos, unde optima sumi possint, indicabit.

Id jam unum ad vos pertinet, dare operam, ut nemo consilium hoc meum improbare possit, quod hos libros vobis potissimum confecerim, paucorumque proprios esse maluerim, quam communes omnium, quamquam si qui ab hisce studiis alieni Σπαρτην hanc, quae vobis obtigit, ornare ipsi volent, nae jam illi usu et exercitatione cognoscent, totum hoc artificium vobis esse quodam veluti jure tribuendum. ego vero quibus me aliis venditare, aut quantulam inire gratiam ab iis poteram, qui cum hoc genere studiorum, quibus vos dediti estis, nullam habent societatem? quum ea in commentariis hisce fere tractentur, quae sine eruditione Latina vix satis intelligi possunt, nedum probari. an vero fas esse ducerem, quae in regno vestro posita et ditione essent, ea sic proponi omnibus, ut me augendae potius quorundam hominum arrogantiae, quam labori vestro minuendo vestram a vobis ipsis sapientiam compilasse doleretis? illud, ut opinor, bene a me factum putabitis, quod ad vos de stilo inscriptionum Latinarum latine scripserim: primum ne vernacula vulgata dictione, quasi enunciatis mysteriis, tota haec paullatim, ut assolet, scientia contemneretur; deinde ut, si qui praeter vos de Latinis ipsi titulis ad posteritatis memoriam inscribendis cogitarent, quod ego vestrum munus esse proprium arbitror, nec cum aliis communicandum; scriptione ipsa et stilo admonerentur, quid eos potissimum ad studia haec vestra conatusque afferre oporteret. nam vos certe Latinam linguam tanti facitis, ut in numero vestro non habeatis, si quos sine Latini sermonis usu ad scrutandam antiquitatem temeritas quaedam aut inconsulta ratio forte traduxerit.

Quod reliquum est, si quem aliquando offendatis, cui tituli omnes non alia, quam vernacula scribendi lingua videantur; sinite, hic, quaeso, sine interpellatore vel sibi vel civibus suis, ut mavult, indulgeat. multis tamen et doctis viris, quos vereri debe-

(1) Iac. Biancanus Bonon. apud Passer. Opusc. Calog. N. R. t. 20. p. 3.

mus, inscriptiones, nisi Latinae, non placent, et vernaculas prope omnes ineptas, aut certe sine dignitate esse judicant: quibus ego etiam, si opellam hanc meam non iucundam fuisse intelligam, vix jam commovebor, si quando alii inutilem a me laborem susceptum esse dictitarint, quamquam hujus me quidem ea quoque de caussa nunquam poeniteat, quod per hunc otii mei, quantum calamitas temporum suppeditavit, ratio nunc multis constare videatur.

ELENCHOS LIBRI PRIMI

DE STILO INSCRIPTIONVM LATINARVM

LIBRO I. Qui est ΕΠΙΔΕΙΚΤΙΚΟΣ

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

§. I. De discrimine delectuque inscriptionum . . . . . Pag. 1
II. De distributione inscriptionum . . . . . » 5

PARTITIO PRIMA. Genera inscriptionum sena . . . . . » 8

CAPVT I. Specimen inscriptionum sacrarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae veterum religionem et sacra testantur . . . . . » 9

PARS I. Tituli Diis positi

§. I. Exempla dictionis simplicis . . . . . » ibid.
II. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 37
III. Exempla dictionis singularis . . . . . » 52

PARS II. Monumenta sacrorum

§. I. Leges dedicationum . . . . . » 59
II. Indices ludorum votorumque publicorum . . . . . » 65
III. Kalendaria . . . . . » 68

CAPVT II. Specimen inscriptionum honorariarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae honorem claris viris aut primariis feminis habitum demonstrant . . . . . » 81

PARS I. Inscriptiones honorariae claris viris positae

§. I. Exempla dictionis simplicis . . . . . » ibid.
II. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 96
III. Exempla dictionis singularis . . . . . » 114

PARS II. Inscriptiones honorariae primariis feminis positae

§. I. Exempla dictionis simplicis . . . . . » 126
II. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 131
III. Exempla dictionis singularis . . . . . » 135

CAPVT III. Specimen epitaphiorum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus veterum pietas aut officium erga demortuos significatur . . . . » 138

PARS I. Epitaphia virorum

§. I. Exempla dictionis simplicis . . . . . » ibid.
II. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 149
III. Exempla dictionis singularis . . . . . » 158

Pars iI. Epitaphia feminarum
§. i. Exempla dictionis simplicis . . . . . Pag. 163
iI. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 168
iiI. Exempla dictionis singularis . . . . . » 172
Pars iiI. Epitaphia puerorum puellarumque
§. i. Exempla dictionis simplicis . . . . . » 176
iI. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 180
iiI. Exempla dictionis singularis . . . . . » 186
Pars iiiI. Epitaphia sepulcrorum communium
§. i. Exempla dictionis simplicis . . . . . » 188
iI. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 194
iiI. Exempla dictionis singularis . . . . . » 199
Capvt iiI. Specimen inscriptionum historicarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus rerum publice gestarum, operum publicorum, locorum publicorum privatorumque, item eorum, quae legata, donata, vendita aut empta sunt, memoria posteris proditur . . . . . » 203
Pars i. Fasti
§. i. Fasti consulares . . . . . » 205
iI. Fasti triumphales . . . . . » 207
Pars iI. Inscriptiones operum publicorum
§. i. Exempla dictionis simplicis . . . . . » 209
iI. Exempla dictionis ornatae . . . . . » 218
iiI. Exempla dictionis singularis . . . . . » 230
Pars iiI. Indices locorum publicorum privatorumque
§. i. Indices locorum publicorum . . . . . » 235
iI. Indices locorum privatorum . . . . . » 241
Pars iiiI. Indices eorum, quae legata, donata, vendita aut empta sunt
§. i. Indices eorum, quae legata sunt. . . . . » 244
iI. Indices eorum, quae donata sunt . . . . . » 250
iiI. Indices eorum, quae vendita aut empta sunt . . . . . » 253
Capvt v. Specimen ellogiorum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus praestantium virorum aut feminarum facta, honores, virtutes, laudes recensentur» 256
Pars i. Ellogia magistratuum . . . . . » 261
iI. Ellogia hominum privatorum . . . . . » 271
iiI. Ellogia feminarum . . . . . » 276
Capvt vI. Specimen constitutionum publicarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae populi aut senatus aut magistratuum aut Principum aut collegiorum sententiam et voluntatem declarant. . . . . » 279
Pars i. Leges populi et edicta magistratuum
§. i. Leges populi . . . . . » 280
iI. Edicta magistratuum . . . . . » 282
Pars iI. Senatus consulta et decreta municipiorum
§. i. Senatus consulta . . . . . » 284
iI. Decreta municipiorum . . . . . » 287
Pars iiI. Tabulae foederum et hospitiorum
§. i. Tabulae foederum. . . . . » 296
iI. Tabulae hospitiorum . . . . . » 300

PARS III. Rescripta et diplomata imperatorum
§. I. Rescripta imperatorum . . . . . Pag. 304
II. Diplomata imperatorum . . . . . » 308
PARS V. Inscriptiones mensurarum ac ponderum publicorum
§. I. Inscriptiones mensurarum publicarum . . . . . » 314
II. Inscriptiones ponderum publicorum . . . . . » 316
PARS VI. Decreta et acta collegiorum
§. I. Decreta collegiorum . . . . . » 319
II. Acta collegiorum . . . . . » 344
PARTITIO SECVNDA. Consectaria inscriptionum mixti generis quaterna . . . . » 329
CAPVT I. Specimen inscriptionum temporariarum, sive inscriptiones ex iis, quas veteres, nulla posteritatis habita ratione, ad breve tempus proposuerunt » ibid.
PARS I. Inscriptiones sacrae precationum ac votorum caussa . . . . » 333
II. Inscriptiones pomparum et ludorum . . . . . » 338
III. Inscriptiones triumphales . . . . . » 343
IIII. Inscriptiones funebres . . . . . » 346
CAPVT II. Specimen inscriptionum nummariarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae nummis veterum impressae sunt . . . . . » 353
PARS I. Inscriptiones nummorum adversae
§. I. Inscriptiones imperatorum . . . . . » ibid.
II. Inscriptiones domus augustae . . . . . » 361
PARS II. Inscriptiones nummorum aversae
§. I. Tituli Diis adtributi. . . . . » 364
II. Tituli imperatoribus adtributi. . . . . » 370
III. Tituli augustarum et caesarum . . . . . » 374
IIII. Virtutes augustorum . . . . . » 379
V. Opera publica augustorum . . . . . » 383
VI. Liberalitates augustorum . . . . . » 387
VII. Res ab imperatoribus gestae . . . . . » 397
VIII. Honores augustis habiti . . . . . » 400
CAPVT III. Specimen titulorum rerum privarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quas veteres gemmis, poculis ac plerisque minutis opusculis addiderunt . . . . . » 407
PARS I. Inscripta in gemmis anulariis . . . . . » 409
II. Inscripta in poculis paterisque . . . . . » 413
III. Inscripta in tesseris omnis generis . . . . . » 417
IIII. Inscripta in lucernis vasisque fictilibus. . . . . » 423
V. Inscripta in armis et instrumento bellico . . . . . » 427
VI. Inscripta in lateribus tegulisque . . . . . » 430
CAPVT IIII. Specimen inscriptionum poëticarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quas veteres versibus confecerunt . . . . . » 433
PARS I. Epitaphia . . . . . » 434
II. Inscriptiones sacrae . . . . . » 441
III. Inscriptiones historicae . . . . . » 447
IIII. Ellogia . . . . . » 450

DE STILO
INSCRIPTIONVM LATINARVM

LIBER I.

QVI EST ΕΠΙΔΕΙΚΤΙΚΟΣ

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ

§. I.

De discrimine delectuque inscriptionum

1. Fuit tempus, quum Itali homines bonarum artium studia, quasi vetustate consenuissent, dum novare ipsi volebant, inexpiabili scelere perverterunt. neque ego nimis antiqua commemoro: avorum nostrorum illa aetas fuit. ea aetate, ut cetera mittam, qui titulos et ellogia monumentorum caussa conficere solebant, ne soli nihil sapere viderentur, ipsi quoque non modo proximae aetatis stilum, sed vel optimas veterum Romanorum inscriptiones contemnere coeperunt. nonnullas etiam retexere quidam ausi, eisque, ut sibi videbantur, speciem lumenque adhibere: novas potissimum condere, nulla lege nisi ingenii sui, nec alia cura, quam ne quid ex veteri stilo retinerent, nisi quid forte de pejoris aetatis faece haustum placuisset. hinc illa passim in monumentis titulorum ellogiorumque portenta; hinc ubique argutulae in lapidibus incisae sententiae, nullo majorum exemplo; hinc illae sive orationes sive carmina novi generis: quae nos quidem praetereuntes quum legimus, ridere et stomachari; at majores, quum in vestigio stantes perlegissent, dulcedine quadam perfusi, admirari ac stupescere solebant: adeo jam adsiduitate rerum novarum sensum omnem humanitatis ex animo amiserant.

Quorsum haec pertinent? ut intelligamus, qui nunc existimationem optimis studiis partam tueri velit, huic nihil in hac facultate prius esse debere, quam ut antiquitatis exempla auctoritatemque sequatur; nec aliis demum e fontibus, quam ex probatissimis veterum monumentis copiam sibi et facultatem scribendi comparet. non hic agitur, ut novis adscitis vocabulis, nos quoque divite lingua beare Latium, aut inusitato aliquo litterarum genere priscis scriptoribus laudem praeripere conemur; sed ut optimos quosque imitando, quod sane magna est in laude ponendum, auream illam Augusti aetatem pro virili parte reddidisse videamur. id in his litteris unum nobis, qui latine scribimus, datur; id velle, id conari, id assequi etiam, quamquam non sine magno labore, pos-

sumus. majora qui audeat, cum ego neque officii sui aut facultatis memorem esse; neque rerum aut temporum jura nosse arbitrabor.

II. Jam vero illud videamus, quae maxime ex veterum monumentis proposita nobis ad imitandum esse debeant. de librorum bonitate si quis nos roget, eos ceteris praeferre semper solemus, qui republica incolumi aut Augusto Principe scripti sunt. quare etiam inscriptiones ejus aetatis, si quid sapimus, optimas putemus, atque pro exemplis germanae dictionis habeamus, necesse est. nam si quid unquam pure et latine scriptum, ea aetate scriptum est: inscriptiones vero, quotquot supersunt, musae ipsae dictasse mihi videntur. verum adeo adversa fortuna usi sumus, ut quae immortalitate dignissima essent, partem maximam interierint; quorum contra jacturam aequo animo ferre possemus, nulla obruta vetustate superarint. plura certe in singulis generibus eorum temporum exempla praesto esse opus erat: quae si extarent, mirum, his litteris venustatis quantum accederet. quam vero paucos e tot inscriptionum nostrarum versibus probaremus? quam multa de singulis demerentur? quam breves et elegantes et Latini nos tituli delectarent!

Sed tamen hanc paucitatem numerus supplet inscriptionum earum, quae ab Octaviano Augusto ad Philippos Augustos confectae sunt: quas sane cur repudiemus, quum vetustiorum simplicitatem atque munditiam splendore verborum, et orationis numero ac dignitate compensent? ex his omnibus eas maxime probare soleo, quas publica auctoritate positas fuisse intelligo. quis enim eas temere, aut ab imperito exaratas crediderit, quae recitari in curia, quae probari a senatu aut a decurionibus solerent, quo deinde statuis monumentisque subscriberentur? quin ipsa fidem res facit, nec quidquam fere legenti objicitur, quod non graviter magnificeque prolatum sit: elegans praeterea litterarum forma, justa versuum spatia, nullum scripturae mendum: ut plane constet, hujusmodi titulos et a scriptorum doctissimis factos, et a lapicidarum scientissimis insculptos esse. ceterum ne eos quidem contemnam, quos privati homines constituerunt; ac tum ceteris demum adjungam, quum mihi eorum quamsimillimi visi fuerint: ubi in scriptura mendum, aut in dictione ipsa praeposterum aliquid offendero, nullus hic locum alterius me judice occupabit.

III. At quaeret fortasse quispiam, cur e Latinis inscriptionibus, quae Philipporum sint aetati suppares, eas probem; reliquas posteriores non item? nam si Ioan. Baptistae Passeri viri eruditissimi judicio stare debemus (1); ne illae quidem repudiandae sunt, quae ad Iuliani Aug. aut etiam ad Theodosiorum utriusque tempora pertinent: quippe quae speciem etiam tum populi Romani et majestatem praeseferunt; quamquam oratio turget fere et inflata est. atqui si hoc alii non habent religioni, ego habeo; *sum paullo infirmior, unus multorum*, et ut ignoscatis rogo. quod si tamen dicendum quoque est aliquid, quo me tuear, primum equidem fatebor, vel in illa rerum ac litterarum incli-

(1) In Opusc. Caloger. N. R. t. 20, p. 9.

natione praeclara quaedam stantis reipublicae mansisse vestigia: itaque in tanto inscriptionum numero occurrere interdum et offerri, quas velis tollere. Sed hoc etiam non praetermittam, perpaucas esse, easque vix sine nota aliqua servientis populi, quo nihil a Romanorum sermone abhorret magis. addam deinde, offendi me vel ipsis ampullis et sesquipedalibus tot verbis, inani saepe sono, acuta, nec tamen gravi, subjecta sententia: in plerisque autem barbara etiam quaedam et σολοικα passim dispersa reperiri. quae quidem res mira mihi non videtur: nam ut hasce inscriptiones erudituli eorum temporum summo studio confecerint, vix praestare quid majus potuerunt, jacentibus ubique litteris, et cum imperio ad interitum ruentibus. Sed ut qui latine scribendi studio tenentur, eorum temporum scriptores prope in barbarorum numero habere solent; sic qui Latinis inscriptionibus, non barbaris delectantur, non magni facere ea exempla debent, quae temporum illorum nota signata sunt: praesertim quum de auctorum nomine, nedum eruditione, nihil memoriae proditum habeamus.

Liceat igitur tantae veterum inscriptionum multitudini et varietati modum aliquem ponere; tironique terminos, intra quos versari tuto possit, non alios circumscribere, quam quos modo constituebam: ut quoniam post Philipporum aetatem vix unum aut alterum tolerabilem ex Latinis scriptorem extitisse comperimus, quidquid etiam Latinarum inscriptionum post ea tempora factum est, id fere totum vestigatoribus aevi illius potius reservandum, quam ad litteras nostras traducendum putemus. a me quidem tirones ejus stili perpaucas expectent, atque has ipsas, ne saeculis illis senescentis latinitatis prope bellum indixisse videar.

III. Neque tamen me quisquam sponsione lacessat, ni e tot aliis inscriptionibus tres quatuorve aut plures Philipporum tempore posteriores omnino sint: non ego sponsione me defendo; neque hoc mihi arrogo, ut temporum discrimina certis et nunquam fallentibus indiciis unus dignoscam. equidem non temere me delectum habuisse profiteor, usumque regulis iis, quae viris doctis hactenus probantur. Sed quia, ubi notae temporis desunt, cetera ob imitationis studium et argumentorum similitudinem incerta fere sunt, atque ad prodendam aetatem minus apta; idcireo, ubi nota aetatis non apparebat, non magis de inscriptionis aevo, quam de stilo et dictionibus laborandum mihi esse putavi: ut quum de aetate non constaret, eruditis tamen temporibus digna videretur.

Illud diligentius multo cavendum mihi esse duxi, utinam et satis caverim, ne subditicios titulos quasi in familiam reciperem, et falsas inscriptiones pro veris, recentes pro antiquis venditarem. sciebam, abhinc annos amplius ducentos non modo in Italia, sed etiam in Hispania atque Germania veteratores non ita paucos fuisse, qui se in novis inscriptionibus fingendis, ac pro antiquis germanisque divulgandis strenue exercuerint: alios, quod antiquo forte testimonio ad controversiam aliquam dirimendam indigerent; alios, quod, insano quodam amore patriae, urbem suam inter clarissimas numerari, et ceterarum urbium titulis et insignibus honestatam esse vellent: quosdam

etiam, quod in eruditis hominibus decipiendis aut laudem ponerent, aut voluptatem quaererent, aut vendendi quaestum lucrumque spectarent: nonnullos denique, quod veterum monumentorum congeriem ac varietatem, quae aliis contigerat, in atriis suis, in hortis, in villis desiderari, aegre ferrent. qua de re multa scripsit apposite Maffejus (1), idemque, excussis magnorum voluminum exemplis, timorem multis injecit, ne aliorum credulitate aut astu deciperentur. quare Maffeii ipsius judicium saepe sequutus, nullam e Gruterianis aut Reinesianis inscriptionibus, nisi caute pedetentimque sustuli, Sponianas vero, quae a Guichenonio prodiere, omnes rejeci: perpaucas e Gudii volumine excerpsi. haesi autem fere semper, ubicumque inscriptionibus appositum legi, in urbe aliqua Hispaniae inventas esse: quarum quidem pleraeque ipsa stili ac rerum novitate se produnt. ejusmodi mihi visae eae quoque, quae Transdanubianae feruntur, sed tamen Vuolfangi Lazii aut ejus conterranei stilo perscriptae sunt. nec vero minus ad Pyrrhi Ligorii nomen suspensus animi fui, nisi me alterius auctoritas confirmaret: quippe non ignorabam, quantus ille mango istarum deliciarum haberetur. denique ne Muratorii quidem facilitatem valde probavi, et inscriptionum, quas ille edidit, multo plures suspectae mihi invisaeque, quam ipsi fuerint, extiterunt. at duobus maxime censoribus plurimum tribui, Fabretto et Maffejo, quorum et judicium et fides multis jamdiu doctorum hominum laudibus celebratur. ex horum libris et exempla sumpsi quammulta, et de ipsis etiam explanationibus identidem aliquid delibavi: sic tamen, ut neque in eorum verba jurarem, nec, si quid ab eis peccatum videretur, silentio praeterirem.

Quidquid porro diligentiae ad vetera exempla eligenda adhibuerim, id quoque scias me contulisse ad formulas dictionesque describendas, quas continet liber tertius. neque enim minoris intererat, qui meo periculo exemplis libri primi uterentur, eosdem, ubi ad instrumentum et supellectilem inscriptionum venissent, silva illa et materie sine fraude uti posse.

v. Nunc jam illud admonebo, id unum in hoc opere quum spectarem, ut quae undique decerpta in sedes suas coegissem, ea omnia et religioni nostrae et his moribus, qui nunc sunt, aut intacta convenirent, aut certe parva aliqua inflexione aptari commode possent; idcirco neminem mirari debere, si in ista exemplorum varietate quaedam tamen insignia plane atque illustria monumenta desiderentur. vidi equidem et pervolutavi inscriptionum volumina, quae extant, fere singula: sed ut exempla neglexi, quae mutila erant et hiantia, quod formam inscriptionis integram non exhiberent; ita ad me nihil pertinere illa putavi, quae nulli tironibus usui esse possent. cujus sane generis, exempli caussa, illa erant, quae de sacrificiis Deae Diae aut de Taurobolio aut de fulgure dio meminerunt.

Denique ad exempla hujus libri quod attinet, singulis fere inscriptionibus expla-

(1) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 2. p. 158.

natio aliqua subjecta est: quod tamen in ipso operis titulo, qui est *de stilo*, minime videar profiteri. at me quidem usus et exercitatio docuerat, exempla tironi, quae non intelligeret, parum admodum prodesse; male autem praecipere, qui aut perspicuis exemplis non uteretur, aut quae obscura essent, oratione non illustraret. tum etiam hoc vidi, si hunc laborem suscepissem, occasionem non defuturam de iis quoque disserendi, quae ad Latini sermonis vim et rectum formularum usum pertinerent: quo nihil magis ad ipsum inscriptionum stilum convenire videbatur. ceterum admonitos hic velim tirones, ut ea, quae huc ex omni antiquitate congesta sunt, eo legant ordine, quo scripta invenient: sic cognitis iis, quae inscriptionibus primis in ceterarum omnium gratiam subjeci, plura jam ad sequentium explanationem non requirent.

§. II.

De distributione inscriptionum

I. Qui haetenus in veterum titulis, ellogiis, indicibus, unoque verbo inscriptionibus colligendis curam atque operam posuerunt, omnes fere, ne multitudine illa et varietate obrucremur, censu quodam habito, ac descriptis ordinibus, classes iis quoque suas esse voluerunt. neque illi classibus quinque aut sex contenti fuere: quin plures quam viginti tamquam censoria potestate et regia ab his factas reperio. nam primo suam tribuerunt inscriptionibus, quae Deorum Dearumque nomina praeferrent: deinde suam iis, quae templa, aedes, aras Diis positas indicarent: tum pontifices, sacerdotes, flamines, omnes sacrorum antistites censi sunt. jamvero separatim ab imperatoribus descripti consules, neque cum his collegia cetera aut reliqui magistratus. suam etiam classem habuere milites, suam aulici Augustorum ministri, suam liberti servique domus augustae, suam artifices opificesque. operum autem publicorum tituli seorsum ab iis digesti, qui ad spectacula ludosque pertinerent. sic quoque senatus consulta, leges, acta publica: itemque ea monumenta, in quibus municipiorum, coloniarum ceterarumque urbium nomina legerentur. plures vero epitaphiis adsignatae classes, ut in alia censerentur, quae parentes filiis, in alia quae filii parentibus posuissent: tum alia conjugum esset, alia fratrum sororumque ac cognatorum et amicorum; alia patronorum ac dominorum, alia libertorum atque servorum: denique ut Christianae quoque inscriptiones postrema classe concluderentur.

Nec vero consilium non laudem eorum, qui hanc partitionem primi excogitarunt, eamque posteris tradiderunt: quae utilis semper ac compendiosa iis omnibus fuit, qui exempla ac testimonia illustrandae vetustatis caussa conquirerent. his enim uno saepe obtutu videre licuit, ac nullo negotio describere, quidquid ad argumentum controversiamve, de qua agebatur, conferre posset. sed tamen hoc loco, quum aliam ego viam persequar, meusque omnis de stilo inscriptionum futurus sit sermo, vix unam aut al-

teram ex his classibus retineri a me probarique posse video, easque hac lege, ut aliam plane rationem sequar. nam mihi inscriptiones ita considerandae sunt, ut quae argumenti genere conveniunt, eas, posthabita nominum ac personarum differentia, inter se jungam; totidemque inscriptionum capita efficiam, quot earum genera deprehenderim. id enim unum tirones ad formam cujusque artificiumque ediscendum juvare potest: quod sane in his ordinibus, qui a ceteris descripti sunt, non modo non servatur, sed ne servari quidem potest, quum ad eundem ordinem plura saepe genera ob personarum aut munerum similitudinem necessario referenda sint. itaque fit, ut in ea classe, quae militum est, inscriptionem honorariam cum epitaphio conjunctam videas; in ea, quae spectaculorum dicitur, sacra simul et historica copulentur; inter consulares et constitutio publica et ellogium locum habeat; similia denique contingant in plerisque reliquarum.

II. Quapropter ut haberent tirones definita genera inscriptionum, quibus tot illae classes quasi certis limitibus concluderentur; neglectis nominum, personarum, munerum divisionibus, quaerendum omnino fuit, qua potissimum distributione ab usu earum et caussa locum singulae suum et proprias sedes habere possent. animadverterat autem Maffejus, Romanos veteres, quum inscriptiones temere et quandocumque non effingerent, imo in usus certos atque ex iisdem ut plurimum caussis collocarent, earum idcirco quaedam veluti definita genera habuisse: *vel enim*, inquit (1), *votivae sunt et rei sacrae addictae; vel juridicae et legales; vel honorariae; vel publicis operibus praefixae; vel funebres et supremis officiis devotae*. quibus verbis quinque jam genera inscriptionum descripta vides, ad quae referantur, quascumque fere eruditorum volumina complectuntur: nisi quod a Maffejo praetermissum est genus ellogiorum, de quo multa suo loco dicenda erunt. nam ille quidem, ut mihi videtur, inscriptiones ejus generis tamquam fictitias rejecit immerito. sex autem si constituantur inscriptionum genera, nulla omnino jam erit, quae vaga aut sede exclusa videatur. nam genus primum, quod ego sacrarum appello, et dedicationes et donaria et vota et monumenta omnia sacrorum comprehendet. alterum, quod est honorariarum, omnes continebit, quae honorem cuiquam habitum demonstrent: sive imperatores hi fuerint, sive consules, aut praesides aut ordinum ductores aut ministri sacrorum, sive denique viri sive feminae vel gratia illustres vel liberalitate vel rebus gestis. in tertio, quod epitaphiis tribuetur, viros item cujusque ordinis, dignitatis, religionis, tum feminas et pueros puellasque, ipsas etiam familias et sodalitates quascumque numerabis. in quarto, quod historicarum inscriptionum nuncupabitur, fastis locus erit et omnibus fere inscriptionibus consularibus, omnibus operum aut locorum publicorum privatorumque titulis, legatis quoque, donationibus, venditionibus, et quae sunt hujusmodi. ad quintum genus ellogia spectabunt sive magistratuum sive hominum privatorum sive etiam feminarum. in sexto

(1) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 2. p. 179.

denique, quod constitutiones publicas complectetur, leges habebis et edicta et senatus consulta et decreta municipiorum: tum foedera quoque et hospitia, rescripta etiam et diplomata; mensurarum ac ponderum inscriptiones, collegiorum sive sodalitatum decreta et acta. cur igitur non mihi, non aliis probetur hujusmodi distributio, qua et suam inscriptio quaelibet sedem habeat, et ipsa stili ratio sex omnino generibus contineatur?

Nam quod in singulis generum horum capitibus plures necessario futurae sint partes, non ideo fiet, ut (1):

Serpentes avibus geminentur, tigribus agni:

quaecumque enim ad unum aliquod genus relata videris, ea sic inter se noveris discrepare, ut tamen ob formae similitudinem et quamdam rerum affinitatem ad idem genus merito revocari fatearis. quod autem dictio in plerisque generibus varia sit, ac simplex saepe, non raro ornata, aliquando etiam singularis; primum nihil hoc obesse cuiquam potest, quum ipse stilus extra generis sui fines non excurrat: deinde facile ipsa exempla in quolibet genere tribus articulis distingui possunt. quod ego ita praestabo, ut nihil tironi obscuritatis afferre possit, utilitatis praebeat non parum: siquidem ubi harum omnium exempla tripartito disposita ob oculos habebit, dictionis jam discrimina facile agnoscet, et argumento idem suo atque rebus et loco magis idoneas, quas imitetur, inveniet. est autem earum in hoc fere positum discrimen, ut quaedam, venustae sane et concinnae, rem propositam exiguo verborum numero significent magis, quam explicent: alias contra lux aliqua ornatusque distinguat, et monumentorum adjecta caussa adscriptusque annus, vel historiae particula illustriores faciat: nonnullae vero sive breviores sive longiores modo tempore aut persona verbi, modo nexu vocabulorum aut casibus, aliquando et sermone ipso a reliquarum structura discrepent.

III. Ceterum quia videbam, quibusdam inscriptionibus ita in sex illis generibus locum esse, ut a reliquis tamen non inutiliter separari possent; malui, eas quasi consectaria subsequi, quam ceteris admiscere. hae sunt quasi generum quorumdam ampliorum sive mixtorum appendices quatuor, quarum prima inscriptiones quascumque temporarias complectitur; altera omnis generis nummarias; tertia vero titulos omnes rerum privarum; quarta denique quidquid in quolibet fere genere versibus constat. ut singulae appendices plura genera sequuntur, ita nulla in his erit inscriptio, quae ad unum aliquod e sex illis generibus non pertineat. sed habent hoc proprium, ut vel oratione, sicut poeticae maxime; vel usu, sicut ceterae omnes, a reliquarum generibus dissociari postulent. nam temporariae inscriptiones sequuntur quidem et epitaphiorum et inscriptionum sacrarum atque historicarum genera; sed praeter quam quod ab eorum stilo abludere saepe solent, semper ad breve tempus, secus atque aliae omnes, propositae, nullam posteritatis rationem habent. nummariae quoque aut cum sacris aut cum honorariis aut cum historicis plane concordant; verum in aere, argento, auro incisae, se-

(1) Horat. A. P. v. 13.

dem cum ipsis nummis neque publicam neque stabilem nactae sunt. idem est de titulis rerum privarum, qui etiam nec publica auctoritate incidebantur, nec in publico prostare solebant. accedit praeterea, his omnibus vel ob singularem usum, vel ob ipsas angustias locorum, quibus eas arctari necesse est, regulas quasdam minime ceterarum communes convenire, quae in complexione reliquarum minus commode tradi possent.

Sint igitur, post sex genera inscriptionum communia, quatuor etiam consectaria mixti generis, quibus quasi appendicibus partes omnes, quae ad stilum inscriptionum latinarum attinent, non modo absolvisse, sed etiam perfecisse videamur.

PARTITIO PRIMA

GENERA INSCRIPTIONVM SENA

Tironem ego in ipso institutionis exordio, stili jam exercendi temere cupidum, longas per ambages vel invitum ducere aggredior, nihil hoc libro acturus aliud, nisi ut exempla veterum, in genera primum, deinde in species certas partitus, proponam atque explicem. cujus quidem consilii capiundi ea ratio fuit, ne, si homini rudi adhuc exemplorum, et veteris consuetudinis ignaro scribendi praecepta traderem; is vel praecipientem minus intelligeret, vel ipsa praecepta parum sibi attendenda esse putaret. atque ad eam etiam cogitationem spe aliqua sum deductus, ut arbitrarer, quemadmodum in primo aditu vestibuloque nobilium domorum fieri solet, si plura huc e Romana aut Graeca eruditione congessissem, eo plus huic litterarum generi vel commendationis accessurum vel dignitatis. quod ego non tam librorum meorum caussa magni facio, quam ut ii, quibus inscriptiones trita res et plane levis videtur, pretii jam in his studiis et auctoritatis esse aliquid fateantur. illud vero in me nunc recipio, qui, consilio commentandi abjecto, haec sibi antea inculcari haud aegre tulerint, et discendi patientes hoc mecum iter emensi fuerint, numquam futurum, ut eos constantiae suae laborisque poeniteat: non modo quod ipsam legendi molestiam vel una rerum varietas eruditione compensabit; sed etiam quod ingenia eorum brevi exculta, et antiquorum adsucta exemplis, nullae jam accuratae imitationis difficultates retardabunt.

CAPVT I.

Specimen inscriptionum sacrarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae veterum religionem et sacra testantur.

Primus hic inscriptionum apparatus bipartito distributus esto, ut pars una titulos Diis positos, altera sacrorum monumenta complectatur. titulos autem Diis positos appello inscriptiones eas, quae aut templum aramve dedicatam, aut vota suscepta vel reddita, aut donum aliquod datum consecratumve cum aliqua cultus Deorum significatione declarant. horum quia non una dictionis est ratio, tres erunt articuli: primus dictionis simplicis exempla habebit, alter ornatae, tertius singularis.

Monumenta vero sacrorum ea sunto, in quibus, narrantis ritu, rerum sacrarum, quaecumque sint, vel caussa vel ordo memoriae proditur. cujusmodi erunt I. Leges dedicationum, quas aliquando in ipsis aris veteres incidendas curarunt, caerimonias fere et sacra facta aut facienda edocentes. II. Indices ad memoriam ludorum votorumque publicorum, quibus Romani olim Deos suos placandos putabant. III. Kalendaria, in quibus feriae maxime ac festi dies, stata sacrificia ludique sollemnes indicantur.

PARS I.

TITVLI DIIS POSITI

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

I. (Fabrett. p. 694. n. 150.)

VESTAE · SACRVM
ANTISTITI
PRAEDIORVM
HELVIDIANORVM

Vestae nullum fuisse Romae in ejus templo simulacrum, significare Ovidius videtur in Fastis (1):

Esse diu stultus Vestae simulacra putavi:
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

(1) Lib. 6. vers. 295.

Ignis inextinctus templo celatur in illo:
Effigiem nullam Vesta nec ignis habent.

atque idem de Hermionensium templo affirmat Pausanias (1), in quo aram sine ullo signo fuisse tradit: Παρελθουσι δε, inquit, ες το της Εστιας, αγαλμα μεν εστιν ουδεν, βωμος δε, και επ' αυτου θυουσιν Εστια. ceterum Romae quum sacrae aedes sero Deorum simulacra recepissent (2), templum Vestae serius fortasse recepit; at recepit tamen: quippe in nummo, quem publicavit Spanhemius (3), templum et signum eminet Vestae cum ara, ad quam Vestalis Maxima quinque sociis adstantibus tura Deae patera libat. aliis item in nummis frequentes Vestae imagines, nec rara in urbe signa: e quibus Plinii (4) aetate laudabatur, quod erat in Servilianis hortis, opus Scopae, qui Deam fecerat sedentem et circa eam duas Chametaeras, socias nempe humi accubantes. varias ejusdem formas habitusque contemplare apud Montfauconium (5), deque his disserentem, si vacat, Giraldum lege (6).

Quae hic Antistes dicitur praediorum, in nummis appellata est *Vesta Populi Romani Quiritium*, *Vesta Mater*, *Vesta Sancta*, *Vesta Aeterna*, *Vesta Felix*. adi Spanhemium *de nummo Smyrnaeorum* (7).

Antistes autem praediorum idem est ac praeses sive custos, ut apud Plinium (8) *Sapientiae Antistes Plato*, apud Quintilianum (9) *Iuris Antistes Ser. Sulpicius*, apud Columellam (10) *Antistites Vindemiatorum*. Antistes vero et femina, ut hic, ita apud Valerium Maximum (11) dicitur: etsi Cicero (12), ut ait Gellius (13), *Antistitas dicit, non secundum grammaticam legem Antistites*.

Inscriptionem Romae in Caelio esse, adscripsit Fabrettus, in hortis nempe Teofilorum, sub Vestae signo: unde illuc invectum, haud teneo. sed praedia Helvidiorum in agro Praenestino quaedam fuerunt (14). enim vero sive illic sive alibi, Vestae signum dedicatum fuerat ab Helvidiis, quod ignem, opinor, averruncare putaretur. Helvidium praetorem, quem Vespasianus interfici jussit (15), memorat praeter alios Tacitus (16), et Tarracinensem fuisse tradit; at ipsa gens non est in nummis Morelli; in Grutero saepe occurrit.

Non praetermittam, hanc Vestae προτομην colosseam esse: cujus rei caussa ab antiqua religione repetenda est; quod ad cultum Deorum pertinere veteres existimarunt, si, ut templa iis pulcriora domibus, ita et simulacra corporibus ampliora facerent (17).

II. (Gruter. p. 105. n. 6.)

SECVRITATI · AVG ·
SACRVM
DECVRION · POPVLVSQVE
COLONIAE · PRAENESTIN ·

Securitatem veteres quasi Deam venerantes, mulieris habitu repraesentabant, hastam fere dextra gestantem, sinistrae autem cubito sic arae innixam, ut genam palma susten-

(1) Lib. 2. c. 25. *Vestae templum ingressis signum apparet nullum, sed ara tantum: atque ad hanc Vestae sacrificant.*
(2) Varr. apud August. de C. D. l. 4. c. 36.
(3) Diss. 13. p. 647.
(4) H. N. l. 36. c. 5.
(5) lib. 2. Antiq. cap. 6.
(6) Hist. Deor. synt. 4.
(7) apud Graev. t. V. p. 660.
(8) H. N. l. 7. c. 30.
(9) Inst. lib. 11. c. 1.
(10) lib. 3. c. ult.
(11) lib. 1. c. 1. n. 1.
(12) lib. 4. in Verr. c. 45. n. 99.
(13) N. A. l. 13. c. 20.
(14) V. Fabr. p. 174. n. 337.
(15) Svet. in Vesp. c. 15. n. 3.
(16) Hist. l. 4. c. 5.
(17) Svet. fragm. lib. inc.

taret. eadem quasi Augusti virtus, *Augusta* aut *Augusti* dicta est, quod eum publicae nempe securitatis auctorem, sive ipsam civium securitatem esse putarent. huic Deae statuam a Praenestinis dedicatam docet inscriptio, addito, ut Romae fieri solebat, et patrum et populi nomine.

Erant enim Decuriones, ut in Codice (1) appellantur, Patres Civitatum, qui etiam a Curia, in qua consulebant, Curiales (2), aliquando et senatores (3) nuncupati sunt. porro ordinem civitatis *Decuriones* nominavere ex eo, quod Romani, deductis coloniis, partem earum decimam consilii publici caussa describebant (4).

Inscriptionem Tiberio Aug. recentiorem non esse vel ex eo disce, quod Praeneste *Colonia* nominetur, quae nempe, ut Suaresius putabat, a Punico bello secundo deducta fuerat (5). Praenestini scilicet, ut Hadriani verbis refert Gellius (6), maxima opera a Tiberio Imp. petierunt, ut *ex Colonia in Municipii statum* redigerentur: idque illis Tiberius pro referenda gratia tribuit, quod in eorum finibus, sub ipso oppido ex capitali morbo revaluerat. quo Tiberii beneficio affecti, hoc illi nacti sunt, ut legibus suis viverent, nec Romanis tenerentur, nisi in quas fundi facti essent: remque publicam a populo Romano separatam haberent. exinde oppidum illud *Municipium* appellari coepit, quod Spanhemius jam (7) et Suaresius prolatis exemplis ostenderunt.

At scitandi locus hic est de Coloniis, ante civitatem Italiae datam quae conditio earum, quae jura essent. enimvero de Latinis Coloniis illud convenit, cives Romanos, qui ab urbe in eas mittebantur, civitatem amisisse: *Quaeri,* inquit Tullius (8), *hoc solere me non praeterit, quemadmodum, si civitas adimi non possit, in Colonias Latinas saepe nostri cives profecti sint:* idemque responsum hoc dat: *Aut sua voluntate, aut legis multa profecti sunt: quam multam si sufferre voluissent, tum manere in civitate potuissent.* ergo hi, ut Sigonius exposuit (9), neque connubii, neque testamenti, neque mancipii aut nexus aut patriae potestatis jus, quod erat proprium civium Romanorum, habuerunt.

Quid vero, qui in Colonias Romanas proficiscebantur, ii ne omnia civitatis jura retinebant? Manutii fuit ac fere omnium, qui de his scripsere, sententia, non modo privata eos jura, quae modo ex Sigonio attuli, retinuisse, sed publica etiam census, tributorum, vectigalium, jus ipsum suffragii et magistratuum Romae petendorum. at Sigonius privata illis jura concedebat, adimebat publica, neque colono aliam ad Romanos magistratus viam patuisse arbitrabatur, quam quae et Latinis aperta erat, si nempe duumviratum in colonia gessissent (10); quippe tum demum in civium Romanorum numero censebantur. Sigonii sententiam et amplexus est et confirmavit Spanhemius (11), multis in eam rem veterum scriptorum testimoniis prolatis.

Nec vero miraberis, inventos olim in urbe, qui tam iniqua conditione in Colonias proficiscerentur. primum quidem vel inviti aliquando mittebantur, deducti ex senatus consulto plebisque scito, ut fines imperii tutarentur. deinde praemia erant proposita, et agraria largitio egentes facile alliciebat. quinadena jugera agri data in singulos, aut plura etiam, leges apud Livium (12). denique quum Coloni Romae e plebe sumerentur atque ex proletariis fere et capite censis, qui et vacationem militiae habebant, nec nisi numerus erant et frugibus consumendis nati; tum ii demum se aliquid futuros putabant, quum in Colonias venissent: quia ex ipsis Decuriones Colonici, atque ex his

(1) L. unic. de ratioc. oper. pub. et de patr. civit.
(2) L. Curial. 21. C. de Dec.
(3) L. Omnes 33. C. de Dec.
(4) L. Pupillus 239. §. Decur. D. de Verb. signif.
(5) Praen. Ant. l. 1. c. 21.
(6) N. A. l. 16. c. 13.
(7) Orb. Rom. Exer. 1. c. 13.
(8) pro Caecin. c. 33. n. 98.
(9) de Ant. Jur. Ital. l. 2. c. 3.
(10) App. Alex. B. C. l. 2. p. 443.
(11) Orb. Rom. exerc. 1. c. 9.
(12) l. 35. c. 31. n. 40.

Duumviri ceterique magistratus creandi erant: inde interdum et cohortes legendae, quas Caesar (1) Colonicas aliquando appellavit, quod nempe in Coloniis conscriptae essent. haec illis commoda tanti erant, ut vel aliqua capitis diminutione comparanda sibi esse existimarent: praesertim quum nec libertatem amitterent, et jus Quiritium retinerent, et cetera demum civitatis jura meliore etiam conditione adipisci aliquando possent.

III. (Maff. M. V. p. 251. n. 1.)

DIVO · NERVAE · TRAIANO · PARTHICO · ET · DIVAE
PLOTINAE · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · VXORI
IMP · CAES · TRAIANVS · HADRIANVS · AVGVSTVS
PONT · MAX · TR · P · COS · III · PARENTIBVS · SVIS

De Hadriano Spartianus (2), *quum opera,* inquit, *ubique infinita fecisset, nunquam ipse, nisi in Trajani patris templo nomen suum scripsit.* ergo scriptori huic si credimus, fatendum erit, hanc omnino ejus templi inscriptionem fuisse, quamquam nihil de Plotina ille scribit. verum aliae operum Hadriani inscriptiones, quae extant (3), Spartiani et dictum et fidem elevant. inventa inscriptio haec ad forum Vlpium, ubi et templum fuisse puto.

Quos Hadrianus parentes suos appellat ob adoptionem, eosdem Divos vocat ob αποθεωσιν. hujus maximas sollemnesque caerimonias accuratissime descripserunt Herodianus (4) et Dio (5). Trajano autem contigisse, ut et superstes *Divus* diceretur, nonnullis exemplis confirmari Martorellius posse putavit (6). verum ut ut res haec sese habet, illud compertum habemus, qui rite consecrati essent, eos pro Diis habitos et Deorum cultos honoribus: και εξ εκεινου, inquit Herodianus (7), (ὁ βασιλευς) μετα των λοιπων θεων θρησκευεται. itaque tituli hujus haec sedes propria, nec alium in locum rejiciendus erat.

Bello in Parthos suscepto laurum petierat Trajanus morte venalem: eodem enim bello desideratus est (8). caelestibus autem ei decretis honoribus, quum reliqui jam tituli negligerentur, *Parthici* cognomen vel mortuo datum, quod ultimum sibi virtute partum haud diu usurpare potuisset. nempe jamdin evicit Fabrettus (9), Trajano illud non ante annum tribuniciae potestatis XVIII. a senatu additum: quem annum is est consequutus, quo ille decessit.

TR· P· hisce litteris tribuniciam potestatem non tribunum plebis significari, norunt vel pueri. sed ejus appellationis caussam disce a Gravina (10). *Praeter potestatem divinam* (hoc est pontificatum maximum) *sepsit etiam se Princeps auctoritate plebis, adscita sibi potestate tribunicia. non vero tribuni munere, quo fungi non poterat nisi plebejus: Princeps autem semper inter patricios censebatur: ideo relicta persona tribunorum, quae cohaerere patricio non poterat, retinuit potestatem: per quam non modo intercedendi cum ceteris tribunis jus obtinuit, sed et se praestitit sacrosanctum.* plura de his afferentur ad inscr. CCCLVII.

(1) B. C. l. 2. c. 6. n. 19.
(2) in Hadr. c. 19.
(3) Murat. p. 255. n. 5. et p. 452. n. 6. etc.
(4) lib. 4. c. 2.
(5) l. 56. sub fin.
(6) Thec. Calam. πρελ. p. 2.
(7) l. c. *atque ex illo* (imperator) *ceteris cum Diis colitur.*
(8) v. inscr. 78.
(9) Inscr. p. 599. K. et in Synt. de C. Tr.
(10) lib. de ort. et progr. J. C. n. 107.

Tertio consulatu contentus fuit Hadrianus, et alios maluit consules esse vel tertium, quam ipse quartum (1). ceterum si honorem et nomen in fastis exceperis, consularem potestatem habebant Imperatores non secus, ac si perpetuum gererent consulatum: quod Bleterejus vir doctus multis ostendit (2), Spanhemius agnoscere ac sentire visus est (3). de Augusto certe id tradiderat Dio (4), de quo quum scripsisset, censoriam potestatem in quinquennium suscepisse, addidit, Την ὑπατων (εξουσιαν) δια βιου ελαβεν. ωστε και ταις δωδεκα ῥαβδοις αει και πανταχου χρησθαι, και εν μεσῳ των αει ὑπατευοντων επι του αρχικου διφρου καθεζεσθαι: quamquam lictoribus extra consulatum nec Augustus, nec reliqui Imperatores usi videntur usque ad Trajanum, cui Plinius (5) in urbem ingredienti lictores tribuit. quin etiam consularem hanc potestatem in titulis nemo indicavit praeter Vitellium, qui se consulem perpetuum dixit (6).

At unicuique tamen tribuendam esse, quum ex particula illa legis imperatoriae, quam regiam vocitant, non obscure constat; tum vero ex eo, quod necessaria Imperatoribus fuisse videtur, ut quae in urbe pro republica gererent, jure ac legitime facere, appareret: quemadmodum extra urbem in administranda republica proconsulari potestate eos uti, nemo ignorabat (7). Augustus porro et ceteri Principes, praeter Vitellium (8), consulis perpetui titulum consulto repudiarunt, ne et consules qui fiebant, vix nomen consulis habere viderentur, et ipsorum potestas quum perpetua esset, regia putaretur.

inI. (Maff. M. V. p. 75. n. 3.)

NYMPHIS · AVG ·
ET · GENIO · PAG ·
ARVSNATIVM · C ·
PAPIRIVS · THREPTVS

Nymphae Augustae, vel etiam Augusti, eae sunt, quae Caesarem Augustum numine suo tutari putabantur: item quas Caesar Aug. colebat, aut quibus aedem vel signa posuerat. nec alia de caussa plerique Deorum eodem cognomine ornantur. nam ex quo C. Iulius Octavianus Planci sententia a senatu *Augustus* appellatus est, non modo qui ei successere Caesarum nomine, *Augusti* dicti sunt, et eorum uxores sororesve et matres *Augustae;* sed quidquid etiam ad eos pertineret, *Augustum* vocari coeptum, ut *Aqua Augusta, Forum Augustum, Domus Augusta:* ut Capreas quoque, insulam illam Tiberii secessu famosam, Rupem Augustam nuncupare Iuvenalis (9) non dubitarit (*a*).

Ceterum si Spanhemio assentimur, necesse est, ex doctrina ejus fateamur, *Nymphas Augustas* hoc loco appellari uxorem sororesque Augustas Romani Principis. putat enim ille (10), etiam in numuis Imperatores ipsos designari, quotiescumque adscriptum est *Iovi Augusto, Apollini Augusto,* et hujusmodi: eodemque modo Augustas feminas nominari, quum legimus *Iuno Aug., Ceres Aug.* et his similia: tum enim vultus Augustorum et Augustarum expressos esse Deorum habitu insignibusque: more

(1) Spart. in Hadr. c. 8.
(2) Acad. Inscr. t. 24. p. 289.
(3) Diss. 12. p. 434.
(4) lib. 54. p. 527. E. *Consularem autem* (potestatem) *perpetuum accepit; ut et duodecim fascibus semper atque ubique uteretur, et inter consules medius in sella curuli sederet.*
(5) in Panegyr. c. 23.
(6) Svet. in Vitell. c. 11. n. 3.
(7) v. inscr. 16.
(8) Svet. in Galba c. 11. n. 2.
(9) Sat. X. v. 93.
(*a*) Quaedam editiones habent *Augustam*, sed optimi et antiquissimi codd. *angustam;* mordacius quidem fingitur Imperator Romanus et Augustus in parva et petrosa insula sedens.
(10) Diss. 7. p. 434.

id Graecorum esse factum, in quorum nummis reges aliquot Διονυσοι appellentur; itaque a Servio (1) etiam traditum esse, antiquos reges nomina sibi plerumque vindicasse Deorum. equidem magno Spanhemio plurimum tribuo: hic tamen ne assentiar, id caussae est, quod Graeci ipsi, ut Augustas Dearum nominibus insignirent, primo loco ipsa Augustarum nomina, secundo Dearum scripserunt, et Λιβιαν Ηραν dixere et Ιουλιαν Αφροδιτην et Σαβιναν Νεαν Δημητρα (2). deinde, ut idem ille adnotavit (3), Diis quoque ac Deabus indita sunt aliquando virorum ac mulierum cognomina, ut *Iovis Agamemnonis* Spartae, et *Stratonicidis Veneris* apud Smyrnaeos ab uxore Antiochi Soteris: quare hoc magis imitati esse Romani mihi videntur, ac Deos potius cognomine a principibus sumpto *Augustos* appellasse, quam ipsis Augustis Deorum nomina tribuisse.

Neque tamen inficiabor, eo adulationis provectum aliquando senatum, ut Deorum etiam nominibus Imperatores appellarent: uti quum in nummis Commodi clavam aut ipsum Herculem exprimendum curarunt cum inscriptione *Herculi Romano Aug.* sed hoc raro factum, et verbis, ut vides, rem haud obscure significantibus: plerumque vero comparatio potius quaedam Augustorum cum *Diis* instituta, quam ipsi Dii nominati: qua de re dicendum ad inscr. CCCLXXVII.

Vnicuique nostrum paedagogum dari Deum, scripsit Seneca (4). hi sunt Genii appellati, de quibus multa scripsit Horatius Maccarius (5). Genios autem habuere urbes quoque, qui etiam Dii Indigetes dicti sunt, quos in expugnationibus urbium evocare mos fuit Romanorum (6). at Genius iste non urbis sed populi est, qualem et Romani se habere putabant, ut nummi Trajani Hadrianique indicant cum titulo GEN. P. R. Pagus certe apud Caesarem (7) quoque populus est: Arusnates vero, teste Maffejo (8), satis amplum agri Veronensis tractum incoluerunt.

(Maff. M. V. p. 237. n. 2.)

I · O · M ·
IVNONI · REGINAE
L · ANNIVS · ITALICVS
HONORATVS · LEG ·
AVG · LEG · XIII · GEM ·
ANTONIANAE
PRAEF · AERARII
MILITARIS · SODALIS
HADRIANALIS · CVM
GAVIDIA · TORQVATA
SVA · ET · ANNIIS · ITALICO
ET · HONORATO · ET
ITALICA · FILIIS

Legatus Augusti dicitur L. Annius, non quia praeses provinciae sive legatus consularis fuerit, sed quia Augusti legionem duxerit, quae decima tertia gemina Antoniana

(1) ad Aen. l. 7. v. 180.
(2) Spanh. ibid. p. 435.
(3) Id. ibid.
(4) epist. 110.
(5) Acad. Cort. t. 6. diss. 6.
(6) Macrob. Saturn. l. 3. c. 9.
(7) B. Gall. l. 1. c. 8. n. 12.
(8) Ver. Ill. part. 1. n. 5. et M. V. p. 78. p. 2.

appellabatur. legiones nempe Augusti habuere ab ipso Octaviano, qui provincias validiores, et quas annuis magistratuum imperiis regi nec facile nec tutum erat, ipse suscepit (1): λογῳ μεν, inquit Dio (2), ὁπως ἡ μεν γερουσια ἀδεως τα καλλιστα της ἀρχης καρπωτο, αυτος δε τους τε πονους και τους κινδυνους ἐχῃ. ἐργῳ δε, ἱνα επι τῃ προφασει ταυτῃ ἐκεινοι μεν ὁπλοις και μαχοι ωσιν, αυτος δε δη μονος και ὁπλα ἐχῃ και στρατιωτας τρεφῃ.

Legionum ante C. Caesaris aetatem nulla erant cognomina (3): numerus eas discriminabat. deinde et cognomina his addita: ut quae a Tullio (4) memoratur, Legio Martia; cognomenque saepe duplex, ut hic, aliquando et triplex fuit: ductum fere aut ab auctore, aut a provinciis, aut a Deorum nominibus, aut ab armatura, aut ab insigni facto: talia sunt Legio Claudia et haec Antoniana, Legio Gallica, Legio Apollinaris, Legio Ferrata, Legio Fulminatrix. cognomine autem opus interdum fuit discriminis caussa, quod legiones eodem numero geminae essent: ut Prima Italica et Prima Auxiliatrix sub Nerone et Galba (5): et post eos Prima Minervia et Prima Adjutrix, Decima Fretensis et Decima Gemina (6). plerumque tamen honoris virtutisque caussa cognomen additum puto: sed quae *Geminae* vocantur, inde accepisse, quod ex duabus singulae in unam coaluissent, quemadmodum a Dione (7) accepimus.

Legionum numerus alius aliis Imperatoribus fuit. negat Fabrettus (8), in Gruterianis voluminibus ultra tricesimam quintam legionem, aliam cieri. at in suis inscriptionibus profert ipse quadragesimam; eamque ad Octaviani tempora refert, quibus temporibus, si Appiano fides habetur (9), legiones quadraginta tres in armis fuere. ac legiones tum quidem plures, quam triginta extitisse, Paciaudus quoque (10) affirmat, prolatis auctoritatibus non modo Appiani, sed etiam Tullii, Galbae et Patereuli (11). nolim tamen, qui legionem xxxv. aut xxxx. in titulo aliquo invenerit, hoc illico sibi persuadeat, triginta quinque aut quadraginta simul legiones militasse. bellis enim confectis, quum quaedam dimitterentur, aliae retinerentur, fieri poterat, ut primis decem, si plura stipendia meruissent, missio daretur, ceterae sub vexillis manerent: itaque ut legio, quae tricesima quinta dicebatur, retineret quidem numerum suum, sed ordine fieret vicesima quinta. quid, quod legiones aliquando fuere quaedam eodem numero, alio cognomine? nonne qui unam numeri spectet notam, falli eum oportet, et legiones quandoque putare pauciores, quam reapse tum fuerint?

Aerarium militare, cujus praefectus fuit L. Annius, ipse Augustus cum vectigalibus novis constituerat, ut *perpetuo*, inquit Svetonius (12), *ac sine difficultate sumptus ad tuendos milites prosequendosque suppeteret*.

Sodalis idem Hadrianalis fuisse dicitur L. Annius, ex iis scilicet sacerdotibus, quos Antoninus Pius in patris honorem instituit (13): cujusmodi erant Sodales Augustales, Claudiales, Flaviales, ac deinde Helviani, Alexandrini, et his similes non pauci, qui statis diebus sacra facerent, et Divos colerent, quibus addicti et consecrati fuerant. hinc vero illud quoque suspicari licet, legionem, cui Annius praefuit, ab Antonino Pio nomen accepisse.

Praenomine caret Gavidia, quum praenomina tamen feminis tribuat Varro (14), et in aliis ea inscriptionibus reperiamus. placet autem sententia Spanhemii (15) contro-

(1) Sveton. in Aug. c. 47. n. 1.
(2) lib. 53. p. 503. D. *verbo quidem, ut senatus potiore imperii parte tuto frueretur; ipse vero labores et pericula obiret: at reipsa ut eo nomine senatores inermes atque imbelles essent, ipse arma solus haberet et milites aleret.*
(3) Robortell. de leg. regul. ult.
(4) Philipp. 3. c. 3.
(5) Robortell. ex Dion. l. c.
(6) Gruter. p. 513. n. 3.
(7) lib. 55. p. 564. C.
(8) Inse. p. 662. G.
(9) lib. 5. Bell. civ. p. 676.
(10) Animad. Philol. sect. 3.
(11) Cic. Phil. 5. in fin. Galb. epist. Fam. Cic. l. 10. ep. 30. Paterc. Hist. lib. 2.
(12) in Aug. c. 49. n. 6.
(13) Spart. in Hadr. c. 27.
(14) de L. L. c. 38. l. 8.
(15) Diss. 10. p. 41.

versiam scriptorum sic componentis, ut feminae quidem antiquiorum temporum usae sint praenomine; quae vero consequutae sunt, tamdiu neglexerint, quoad iterum aevo sequiori placere coeperint: neque aliter denum de ipsis puerorum puellarumque praenominibus sentiendum est, siquidem eo contenti esse possumus, quod sit simillimum veri.

Suam Annius Gavidiam dicit, quod uxor esset: ita Collatinus apud Livium (1), *Paucis id quidem horis posse sciri, quantum ceteris praestet Lucretia sua.* at est contra Reinesii regulam, virum Annium appellari, uxorem Gavidiam: quippe ille docet, mulieres maritorum gentem sequi solitas. tu vero cum Fabretto (2), et Spanhemio (3) et Hagembuchio (4) Reinesium ne audias: Bouhiero, si velis, assentiare affirmanti, rarum hoc quidem esse, sed non plane falsum (5).

Quid hic L. Annius, quid in superiore inscriptione C. Papirius Diis dederint dedicaverintque, ignotum nunc est; sed ita olim in monumento eminebat, ut adscribendum non putarint.

VI. (Fabrett. p. 690. n. 113.)

CAELO · AETERNO
ATILIA · COMPSE
ET · ATILIA · VICTORIA
GRATIAS (*a*)

Caelus Deus appellari hic videtur, quem fabularis historia filium Aetheris et Diei facit, maritum Vestae, ex qua Saturnum, Opim, Tethyn et alios majorum gentium Deos susceperit. hunc ipsum Deum Hyginus (6) *Caelum* neutro genere extulit; a ceteris scriptoribus *Caelus* dicitur.

Gratias ob acceptum beneficium se egisse testantur utraque Atilia, Graeco, ut videtur, more: Graeci enim adscribebant χαριστηρια. *id verbum,* inquit Maffejus (7), *convertunt generatim* Donaria: *quo verbo non satis videtur explicari, quod in gratiarum actionem datur.* affert deinde inscriptionem ex Museo Marsiliano Bononiae:

Μελανθος επιτελει ιατρευθεις Ασκληπιῳ χαριστηρια

quam sic vertit, *Melanthus sanitate recepta gratiarum actionem Aesculapio persolvit.* at neque placet *Persolvere actionem,* et sententiam melius fortasse hoc modo interpretemur: Melanthus absolvit, sanitate recepta, Aesculapio gratias, hoc est *grati ut animi monumentum sit.*

VII. (Maff. M. V. p. 292. n. 5.)

IOVI · O · M ·
M · FLAVIVS
THREPTVS
EX · VISV · P ·

Ridiculum sane est illud EX VISV, cui similia sunt EX MONITV, IMPERIO, EX ORACVLO,

(1) lib. 1. c. 22. n. 57.
(2) cap. 3. p. 117.
(3) tom. 2. p. 39.
(4) Epist. epigr. p. 53.
(5) ibid. p. 106.
(*a*) Hanc inscr. ita affert Cajet. Marini Frat. Arval. p. 23. qui eam vidit in Palatio Rondanini: CAELO AETERNO AELIA COMPSE P. F. ET ATILIA VICTORIA GRATIAS D. D.
(6) in praef. fabul.
(7) Art. Cr. Lap. c. 1. can. 1. p. 54.

EX IVSSV, EX PRAECEPTO. at veteres illi, ut animadvertit Fleetvuoodus (1) *quidquid facerent, fecisse videri voluerunt imperio Deorum Dearumque, ex praecepto Deorum, ex jussu numinis, ex visu, ex monitu Dei.* nihil autem a Diis certius homini significari putabant, quam morborum remedia. itaque aegroti, si quid somniassent, conjectori somniorum narrabant, ab eoque medicinam quasi ex Deorum praescriptione petebant (2). casus medicusve levasset aegros, se ex visu aut monitu Deorum convaluisse existimabant; atque id ipsum, opinor, ea formula indicare volebant, praesertim in titulis Aesculapii ac Serapidis, quorum in templis somno se dabant, ut sibi dormientibus oraculum a Diis ederetur: quasi hoc dicerent, simul remedium sibi a Diis monstratum, et pretium receptae sanitatis injunctum.

Ceterum ex somniis alia quoque his majora conjicere, tamquam ex oraculo, mos fuit; tum praestare omnia, quae inde facienda didicissent. *memoria nostra,* inquit Tullius (3), *templum Iunonis Sospitae L. Iulius de senatus sententia refecit ex Caeciliae Balearici filiae somnio.*

Vel igitur Threptus ex somnio a Iove misso se convaluisse existimáret, vel etiam incolumis Iovem sibi vidisse visus esset ac jubentem audisse; religione tactus post visum aram vel signum Iovi posuit. eodem autem pertinet inscriptio, quae sequitur.

VIII. (Maff. M. V. p. 294. n. 1.)

DIANAE · SANCTAE
T · FLAMINIVS · ARISTION
EX · MONITV · ARAM
FECIT

Aram ab altari diversam esse, censent Grammatici (4), et in aris, quae humiliores sunt, supplicari tantum aut libari; in altaribus victimas quoque adoleri dicunt. quare hoc jam discriminis merito statues inter aram et altare, ut altare nunc appelles, in quo sacrum fiat, aram vero, quae sacri honore careat, cujusmodi quaedam in aediculis propter vias rure visuntur.

Fecisse autem Aristion aram dicitur, ut nunc quoque loquimur, non artifex, sed cultor: opera quidem aliena, at sumptu suo.

VIII. (Oderic. Inscr. p. 107.)

VENERI · VICTRICI
L · ACRONIVS · AMANDVS
VI · VIR · AVG ·
SOLO · PRIVATO · S · P · F · (5)

Venerem hic victricem vocari puto a judicio illo Paridis, ob Iunonem ac Palladem in pulcritudinis contentione superatas: de qua victoria post Graecos nonnulla lusit Ausonius (6).

(1) Syll. Insc. p. 4. n. 3.
(2) Cic. de Divin. l. 2. c. 59. Spartian. in Hadr. c. 25. v. Don. Cl. 1. inscr. 85.
(3) de Divin. l. 1. c. 2.
(4) Fest. Serv. ecl. Virg. 5. v. 66.
(5) S. P. F. *Sua Pecunia Fecit.*
(6) epigr. 42. et 43.

Quaeres, de Augustalibus quid sentiam, de quibus alia alii scripserint. ego vero et legi, quae plerique tradiderunt; et haec jam constare arbitror:

I. Originem Augustalium ab urbe Roma esse repetendam, ex institutione Sodalium Augustalium sub initium principatus Tiberii: quod in collegium, narrat Tacitus, sorte ductos e primoribus civitatis unum et viginti esse cooptatos, hisque adjectos Tiberium, Drusum, Claudium, Germanicum (1).

II. Non solum autem Augustales, sed et Seviros Augustales coloniarum ac municipiorum sacerdotes, non vero magistratus fuisse, praefectos nempe sacris faciendis in honorem Divi Augusti (2).

III. Item in coloniis ac municipiis omnes Augustales, ut Romae equestrem ordinem, medios fuisse inter Decuriones et plebem, et ordinem civium ex his constitutum (3).

IIII. Una in urbe plura alicubi collegia Augustalium fuisse, quibus diversi etiam Seviri praecrant (4): nec tamen alia juvenum, alia seniorum, ut Norisium sequutus putabat Maffejus (5): item in decurias eos alicubi distributos (6).

V. Augustales partim pretio enumerato (7), partim honoris caussa factos, ingenuos maxime, eosque *Gratuitos* appellatos (8); quosdam etiam supra numerum adlectos (9); omnes vero in eum ordinem a decurionibus cooptatos; atque ab iisdem ipsos Seviros creatos esse (10).

VI Seviros Aug. quos in titulis legimus, modo ex iis esse, qui adhuc magisterio fungerentur, modo ex illis, qui jam functi essent, quod nomen honoris caussa perpetuo retineretur (11): eosdem tamen ordinem inter se aliquando servasse: idcirco quosdam appellatos esse Primos Augustales (12).

VII. Sevirûm magisterium nusquam quinquennale fuisse, sed annale, et ubi Seviri Aug. Quinquennales dicuntur, duos esse titulos duplicis dignitatis; nam Quinquennales coloniarum censores erant (13). Seviros tamen iterum et tertium quosdam esse creatos (14).

VIII. Qui Sevirûm magisterio fungerentur, Magistros Aug. aliquando dictos (15): eos sacra fecisse, de sacrorum controversiis cognovisse, ludosque edidisse (16): his etiam fasces esse concessos (17).

VIIII. Qui in titulis Seviri tantum nominantur, eos municipales magistratus fuisse, non Augustales (18): qui Seviri et Augustales dicuntur, eos et magistratus fuisse et Augustales (19): qui vero Seviri, et Seviri aut Magistri Augustales, eos et civitatis magistratum et Augustalium magisterium gessisse (20): hujusmodi autem magistros non magnis in oppidis tres tantum creatos, et Treviros Augustales dictos esse, ut Amiterni et Peltuini (21).

X. Qui Romae in collegium Augustalium cooptati essent, Sacerdotes aut Sodales Augustales nuncupatos (22): at in coloniis ac municipiis Augustales tantum, aut Augustalicos (23), vix Sodales Aug. vocatos (24): ex his autem Seviros Augustales, qui

(1) Tac. Ann. l. 1. c. 54. Noris. Cen. Pis. ed. Ver. Diss. 1. c. 6. p. 120.
(2) Noris. ibid. p. 122.
(3) Noris. ibid. p. 125. Fabrett. p. 228. n. 606. et p. 486. n. 162.
(4) Fontanin. Antiq. Hort. l. 1. cap. 2. n. 5.
(5) Oderic. diss. 6. n. 2.
(6) Grut. p. 1088. n. 12.
(7) Fabr. p. 406. C.
(8) idem p. 403. n. 304. et p. 740. n. 550.
(9) idem p. 401. n. 297.
(10) Grut. p. 409. Fabr. p. 170. n. 324. Grut. p. 19. n. 6.
(11) Fabr. p. 406. k.
(12) Grut. p. 409. n. 5.
(13) Fontan, Ant. Hor. l. 1. c. 2. n. 6.
(14) Maff. M. V. p. 114. n. 2. 3.
(15) Gorius Insc. t. 1. p. 290. n. 12.
(16) Noris. l. c. p. 122. Fabr. p. 403. D. seqq.
(17) Petron. in Satyr. fragm. Trag.
(18) Oderic. diss. 6. p. 108.
(19) Gor. Inscr. t. 2. p. 308.
(20) idem t. 1. p. 209. n. 12.
(21) Gioven. Aveja p. 129.
(22) Tacit. Ann. I, 2. c. 83, Grut. p. 237. n. 1. Fabr. p. 411. n. 353. etc.
(23) idem p. 486. n. 163.
(24) id. p. 408. n. 330. et 744. n. 530. etc.

ejus ordinis magisterium attigissent, quos et Sevirales dixere (1): ordinem denique universum *Augustales*, aut *Collegium Augustalium*, aut *Corpus Augustalium*, aut *Ordinem Augustalium* (2).

XI. Aditum ad hunc ordinem nec libertis nec feminis interclusum fuisse (3).

X. (Grut. p. 77. n. 6.)

FORTVNAE · REDVCI
ET · IOVI · SERENO
DIIS · DEABVSQ ·
SVB · QVORVM · TVTELA
AVGG · MILITANT
C · STATIVS · PLAVTI
ANVS · D · D · (4)

Iovem hic regem illum hominum deorumque post Fortunam nominari vides, sive ex dedicantis superstitione Fortunam Iovi praeferentis, sive quod religioni veteres non semper haberent, cui quem praeponerent. alia certe similis collocationis exempla suppetunt (5). *Reducem* vero dixere, qui domum rediisset incolumis, postquam diu abfuisset. nam et Tullius (6), *quid me*, inquit, *Reducem esse voluistis?* aliquando tamen *Reduces* appellati, qui reducerent, Dii potissimum. praeter inscriptiones praesto est Ovidius (7):

Et sua det Reduci vir meus arma Iovi.

Serenus ne dictus Jupiter, quasi laetus semper et felix? certe Martialis Domitianum ipsum (8) Iovem Serenum dixit, et Imperatores quidam (9) sub ultimum latinitatis aevum *Serenissimi* nuncupati sunt. Iovi tamen et *Serenatori* cognomen fuit (10), quod caelo serenitatem reddere putaretur.

Augusti, de quibus hic sermo est, Severus opinor, et Antoninus sunt, quo tempore bellum in Britannos gerebant. nam et Statius iste Plautianus affinis fortasse fuit Plautiani consulis, cujus filiam Severus Antonino uxorem adjunxit (11).

Donum, quod se Plautianus dedisse testatur, quale esset, noverat quisque, quum titulum dono ipsi affixum, aut sub ipso incisum vidisset. dona porro, quaecumque oblata essent, qui aedem tuendam haberent, custodire debebant. ubi aedes alii tradenda esset, Censores olim ante traditionem quaerebant, num signa et dona comparerent omnia, et ipsum templum omni opere esset integrum. id erat, quod dicebant, *sarta tecta exigere* (12).

(1) Fragm. Ined. Mun. Vejent.
(2) Maff. M. V. p. 354. n. 5. Murat. p. 197. n. 3. Grut. p. 372. n. 7. et Inscr. Vill. Alb.
(3) Fabr. p. 406. C. et 405. n. 307.
(4) D. D. *donum dedit*.
(5) Grut. p. 2. n. 10. etc.
(6) pro Mil. c. 37. n. 103.
(7) Heroid. Laod. Protes. v. 50.
(8) lib. 5. epigr. 6. etc.
(9) L. 23. C. de Nupt.
(10) Grut. p. 23. n. 1.
(11) Herodian. lib. 3. c. 10.
(12) Cic. in Verr. l. 1. c. 50. n. 130. et l. 4. c. 63. n. 140.

XI. (Maff. M. V. p. 357. n. 1.)

I · O · M ·
M · VLPIVS · AVG · LIB ·
THAVMASTVS
A · COMMENTARIIS
OPERVM · PVBLICORVM
ET · RATIONIS · PATRIMONI
D · D ·

Thaumastus Trajani libertus, quae in opera publica e fisco erogabantur, et rationem patrimonii, hoc est patrimonium ipsum sive rem privatam Caesaris in codicem expensi et accepti referebat. aevo tamen posteriore *Ratio patrimonii* ipse patrimonii procurator dictus est, ut animadvertit Salmasius (1). disce autem Latinam breviloquentiam, quae saepe usui esse possit, *A Bibliotheca, A Cubiculo, A Frumento, A Supellectili, A Libellis* et hujusmodi: de quibus administrorum nominibus libro tertio dicendum erit.

At quem putemus plura retulisse expensa, quam hunc libertum, cujus patronum vel solae nummorum inscriptiones tot operum publicorum auctorem produnt? in his sane occurrunt Circus, Portus, Forum, Basilica, Via, Aqua, Bibliotheca, Pontes in Euphrate, in Tigri, in Danubio (2). majores tamen ab eo sumptus in viarum munitione factos, quam in reliquis operibus, dices, si locum insignem Galeni (3) legeris, ubi de via medendi ab Hippocrate inventa disserens, obiter ad Trajani vias orationem convertit.

XII. (Maff. M. V. p. 86. n. 2.)

IVNONIBVS
AVG · SAC ·
METELLA · IDE · NOMINE
SVO · ET
T · FLAVI · HERMETIS
VIRI · SVI
D · D ·

Quid Iunones augustae? Deae nempe tutelares uxoris, sororum, filiarum Caesaris Augusti. nam id feminis *Iuno*, quod viris *Genius*. *major*, inquit Plinius (4), *caelitum populus etiam, quam hominum intelligi potest, quum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Iunones Geniosque adoptando sibi*. eadem Seneca tradiderat (5), et post utrumque docuit Philargyrus (6).

Dona Diis data, imo et opera publica dedicata non unius nomine, res est in titulis veterum haudquaquam infrequens, eademque ab antiquis indicata scriptoribus. Tiberium Aug. quum Pollucis et Castoris aedem dedicaret, item quum aedem Concor-

(1) Spart. Sever. c. 12.
(2) Spanh. diss. 13. p. 653.
(3) de meth. med. l. 9. c. 8.
(4) H. N. l. 2. c. 5. n. 7.
(5) epist. 110. init.
(6) ad Virg. ecl. 4. v. 63.

diae, Drusi fratris sui nomen vel mortui suo addidisse, auctor est Dio (1): το τε εκεινου, inquit, και το του Δρουσου του αδελφου και τεθνηκοτος επεγραψη. et Plinii junioris accedit auctoritas ad Fabatum ita scribentis (2): *Accepi litteras tuas, ex quibus cognovi, speciosissimam te porticum sub tuo filiique tui nomine dedicasse.*

XIII. (Maff. M. V. p. 80. n. 3.)

FERONIAE · SAC ·
IN · MEMORIAM
MINEI · PRISCI · FIL ·
T · KANIVS · IANVAR ·
SAC · (3) GRATVITVS
ANNO · XXXX ·
D · D ·

Filii memoriam, qui fortasse in aliam familiam adoptione migraverat, posteritati prodere Ianuarius pater voluit, dono Feroniae dato Sabinorum maxime ac Latinorum Deae (4): quae etiam Libertorum Dea habebatur, *in cujus templo,* inquit Servius (5), *raso capite pileum accipiebant*. addit idem in ejus templo Tarracinae sedile lapideum fuisse, in quo hic versus incisus esset:

Benemeriti, servi sedeant, surgant liberi.

itaque illud quoque suspicari quis possit, Kanium Feroniae ideo donum dedisse, quod filius, Priscus, qui nulla, ut vides, patris sui appellatione distinguitur, libertatem Latinam (6) in ejus Deae templo a patrono accepisset. enim vero Feroniam aliae inscriptiones eandem esse ac Iunonem ostendunt (7). Kanius se sacerdotem gratuitum, sive gratis creatum, nuncupat, quod sibi hoc laudi merito verterent, qui sacerdotium sine pecunia consequuti essent (8), quam alii grandem ejus caussa numerabant, ut Romae Claudius Caesar, *sestertium octogies pro introitu novi sacerdotii coactus inpendere* (9).

Sacerdotia pleraque annua erant (10); alia vero quinquennalia (11), quaedam perpetua, atque, ut Graeci dicebant, Δια βιου, vel Δια γενεος, quod ad familiam pertinerent (12). Ianuarium in sacerdotum perpetuorum numero Maffejus habet, et perraro exemplo sacerdotii sui annum quadragesimum in hoc titulo adnotasse existimat. sed Lysimachen Plinius (13) commemorat, *quae sacerdos Minervae fuit annis* LXIIII.

(1) l. 55. p. 567. A. et l. 56. p. 586. B.
(2) lib. 5. epist. 21.
(3) SAC. *sacerdos*.
(4) Dionys. Antiq. l. 3. Servius ad Aen. l. 7. v. 800.
(5) ad Aen. l. 8. v. 564.
(6) V. inscr. 194.
(7) infra inscr. 19.
(8) Fabr. p. 403. G.
(9) Svet. in Claud. c. 9. n. 5.
(10) Cic. l. 2. in Verr. c. 51. n. 126. Pausan. l. 4. p. 278.
(11) idem l. 2. p. 145.
(12) Buonarr. Medaglion. 7. n. 13.
(13) H. N. l. 34. c. 8. n. 19.

XIIII. (Maff. M. V. p. 91. n. 7.)

DIS
CONSERVATORIB ·
PRO · SALVTE
ARRIAE · SVAE
M · NONIVS
MACRIN · CONSECR ·

Erant ne Dii Conservatores illi ipsi, quos Graeci Σωτηρας nominabant? nam video ambigi, utrum qui graece Σωτηρ est, recte *Conservator* appelletur, an *Salvator* omnino dicendus sit, id licet vocabulum Latini veteres non habuerint. affertur Tullii locus ille in Verrem (1): *Itaque eum non solum patronum istius insulae, sed etiam* Σωτηρα *inscriptum vidi Syracusis. hoc quantum est? ita magnum, ut Latino uno verbo exprimi non possit. is est nimirum* Σωτηρ *qui salutem dedit*. verum hic mihi Tullius servire caussae suae videtur, et a grammaticorum controversiis Verris laedendi occasionem arripere. nam de se ad Atticum quum scriberet (2), *me*, inquit, *quem Conservatorem istius urbis, quem parentem esse dixerunt*. et in oratione in L. Pisonem (3): *Me idem senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate sua, consularibus litteris, non ut tu, o Insuber, dicere ausus es, orbatum patria, sed ut senatus illo ipso tempore appellavit, civem Conservatorem reipublicae commendavit*. ibi autem Σωτηρα significari, sive, ut idem Tullius interpretatur, eum, qui salutem dedit, non obscure ab eodem traditum esse arbitror in oratione pro Sulla (4): nam quum Tullio Torquatus objecisset, eum esse e municipio, respondit ille, *fateor, et addo etiam, ex eo municipio, unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est*. de se nempe et Mario Conservatoribus urbis atque imperii loquutum esse Tullium, nemo est, qui nesciat. Tullio autem adde Tacitum de Nerone (5) sic scribentem: *Conservatoris sibi nomen Graeco ejus rei vocabulo adsumpsit*.

Ergo, quod nostra interest, recte Iesus Christus, qui Σωτηρ est et parens ac deus vitae nostrae, *Conservator* generis humani appellabitur. idem ab Arnobio (6) non minus recte *Sospitator* dictus est *nostri generis*. sed tamen, si cui magis arrideat *Salvator*, non est repugnandum. is quidem ne se tueatur Gruterianae inscriptionis (7) exemplo: quam a Lazio missam Maffejus jure rejecit; sed Lactantii locum proferat, ubi de Iesu ait (8), *Qui latine dicitur* Salutaris *sive* Salvator, *quia cunctis gentibus salutifer venit*. ante Lactantium autem Tertullianus usus erat (9), cui et *Salvificator* placuerat (10).

(1) lib. 2. c. 63. n. 154.
(2) lib. 9. epist. 12.
(3) cap. 15. n. 34.
(4) cap. 7. n. 23.
(5) Ann. l. 15. c. 71.
(6) lib. 2. p. 96.
(7) Grut. p. 19. n. 5.
(8) Inst. l. 4. c. 12.
(9) lib. 3. adv. Marcion.
(10) de pudic. c. 2.

XV. (Grut. p. 56. n. 12.)

MARTI · CAMVLO
OB · SALVTEM · TIBERI
CLAVDI · CAES · CIVES · REMI
TEMPLVM · CONSTITVE
RVNT

Mars Camulus, de quo in historia deorum nihil habet Giraldus, a Montfauconio Sabinorum lingua sic appellatus dicitur (1), nullo tamen, ut saepe solet, prolato auctore. errorem a Grutero hausisse videtur, quem inscriptio (2) decepit quaedam, in qua M. cujusdam Quartinii mentio fit incolatu Sabini, natione Remi. id certe et auctor operis de religione veterum Gallorum (3) adnotavit, qui *Camulum* nomen Graecum item et Celticum putat. Celticum vero satis declarat hujus Dei affine nomen apud Caesarem (4) *Camulogenus:* quare Remorum Deus sine controversia habendus est, qui, ut Caesar scribit, proximi Galliae Celticae ex Belgis sunt (5). sunt autem Cives Remi, ut et Cives Batavi, populi et societates Remorum, quemadmodum Cellarius quoque animadvertit (6), non urbis unius cives.

Cur Remis Ti. Claudii Caesaris salus tam cara esset, a Druso patre caussa repetatur, quem rerum gestarum gloria multis mortalibus commendarat. is enim est, qui, ut scribit Svetonius (7), *dux Rhaetici, deinde Germanici belli, oceanum septentrionalem primus Romanorum ducum navigavit: transque Rhenum fossas novi et immensi operis effecit, quae nunc adhuc Drusinae vocantur.* huic in secunda expeditione post initum consulatum demortuo tumulum honorarium exercitus excitavit apud Moguntiacum (8): *circa quem deinceps stato die,* inquit idem Svetonius (9), *quotannis miles decurreret, Galliarumque civitates publice supplicarent.* adde nunc, ipsum Claudium in Galliis natum esse, Lugduni nempe, eo ipso die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est (10); qua ex re Galli faustum sibi aliquid fortasse ominabantur. id vero etiam tradidit Svetonius (11), Claudium infantem relictum a patre, ac per omne fere pueritiae atque adolescentiae tempus variis ac tenaeibus morbis conflictatum esse: unde liquet, templum a Remis, Claudio valetudine affecto, constitutum.

Templum autem hoc magna fuisse mole, aut mirifico opere exstructum, caussa nulla est, cur credamus. neque enim magna admodum res tum agebatur; et templa fere exigua fieri, et his nostris minora, mos erat. illud potius tenendum est, qualecumque fuerit, Doriea symmetria constructum fuisse. sic enim praeceperat Vitruvius (12): *Minervae, Marti, et Herculi Aedes Doricae fient. his enim Deis propter virtutem sine deliciis aedificia constitui decet.* discrimina hujusmodi in templorum atque altarium nostrorum structura merito statui ab architectis, volebat olim Maffejus (13), nec omnibus Caelitibus sanctis genera omnia convenire arbitrabatur. sic autem Vitruvius docere pergit: (Aedes) *Veneri, Florae, Proserpinae, fontium Nymphis Corinthio genere constitutae aptas videbuntur habere proprietates, quod his Deis propter tenerítatem graciliora et florida, foliisque et volutis ornata opera facta augere vide-*

(1) Antiq. Expl. lib. 3. c. 7.
(2) pag. 40. n. 9.
(3) lib. 2. cap. 36. lib. 1. c. 4. n. 6. et lib. 2. c. 26.
(4) de B. G. lib. 7. c. 11. n. 57.
(5) de B. G. lib. 2. cap. 3.
(6) Geogr. l. 2. c. 3. sect. 21. n. 206. Maff. in app. M. V. p. 201.
(7) in Claud. c. 1. n. 3.
(8) Eutrop. l. 7. c. 13.
(9) ibid. n. 7.
(10) Suet. ibid. c. 2. n. 1.
(11) ibid. n. 3.
(12) Arch. l. 1. c. 2.
(13) Ver. Illustr. p. 3. c. 4.

buntur justum decorem. Iunoni, Libero Patri ceterisque Deis, qui eadem sunt similitudine, si aedes Ionicae constituentur, habita erit ratio mediocritatis, quod ab severo more Doricorum, et a teneritate Corinthiorum temperabitur earum proprietatis institutio. porro quum hic Iovem Vitruvius non nominaverit, suspicatus est Buonarrotus (1), quae templa Iovi exstruerentur, ea quocumque placuisset genere exstrui solita; quod nimirum omnium Deorum vim virtutemque unus Iupiter complexus esse putaretur: ceterum ornamenta alia templorum Iovi etiam, ut reliquis Diis, ea sunt adtributa, quae Deos decerent. nam quod in Iovis aede aliquando extitisse constet picturam cultusque reliquos omnes femineis argumentis, id accidisse narrat Plinius (2), quod facta Iunonis aede, quum inferrentur signa, geruli permutassent, ut fama erat: idque religione custoditum esset, velut ipsis Diis sedem ita partitis: itaque et in Iunonis aede cultus erat, qui Iovis esse debuerat.

XVI. (Grut. p. 40. n. 12.)

VIR · (3) DIANAE · SACR ·
PRO · SALVTE
IMP · CAESARIS · L · SEPTIMI
SEVERI · PERTINACIS
AVGVSTI · PONT · MAX ·
TRIB · POT · $\overline{III}$ · IMP · $\overline{V}$. COS · $\overline{II}$ ·
PRO · COS · P · P · (4)
O R D O
CLVS ·

Severus Aug. imperium auspicatus ab ultione Helvii Pertinacis (5), *se quoque,* inquit Spartianus (6), *Pertinacem vocari jussit: quamvis postea id nomen abolevit querimonia amicorum.*

Quod anno tertio potestatis tribuniciae jam Imperator quintum appelletur, fatendum ne est, eas quoque victorias hic numerari, quas Commodi auspiciis bellum gerens sit consequutus? nam anno imperii tertio, devictis Aemiliano et Nigro, nondum Albinum aggressus fuerat (7). nec vero sine exemplo est, imperatorium nomen ob victoriam partam tributum aliquando legatis ipsis summorum imperatorum. ex his certe fuit C. Curio, qui pro Caesare bellum in Africa gerens universi exercitus conclamatione *Imperator* est appellatus (8): ex his alii sub Augusto et Tiberio, de quibus Tacitus, *Concessit,* inquit, *quibusdam et Augustus id vocabulum, ac tunc Tiberius Blaeso postremum* (9): quem tamen ultimum non fuisse, indicavit Casaubonus (10), et Hadriani etiam temporibus duces aliquos *Imperatores* appellatos Appiani (11) testimonio ostendit. lege tamen, quae infra proferam ad inscr. LXXVI.

Mirum olim Iosepho Scaligero visum est, Imperatores in inscriptionibus Proconsules appellari. nam qui et consularem et tribuniciam haberent potestatem, qui Censores qui Pontifices Maximi essent, quid illis proconsulatu opus erat? rem primum pro

(1) Medaglion. 10. in fin.
(2) H. N. l. 36. c. 4. n. 14.
(3) *Virgini* etc.
(4) *Proconsulis Patris Patriae* v. inscr. 359.
(5) Herodian. l. 2. c. 13.
(6) in Sev. c. 7.
(7) Herodian. l. 3. c. 5.
(8) Caes. B. C. l. 2. c. 10. n. 26.
(9) Ann. l. 3. c. 74.
(10) ad Svet. Iul. c. 76. n. 2.
(11) B. C. l. 2. p. 455.

eruditione sua expedire Salmasius (1) conatus est: deinde alii. nos Gravinam potius audiamus, quo nemo melius de Imperatore Romano disseruit (2). *Proconsulare*, inquit, *imperium, quod frenum erat provinciarum, semel arreptum, numquam dimiserunt Imperatores. quamquam enim in provincias Proconsules mittebantur et propraetores et praesides: Princeps tamen proconsulare imperium obtinebat in provincias universas, quod illi administrabant in singulis earum. eaque imago erat potestatis illius militaris, quae consulibus ad bellum proficiscentibus lege curiata tribuebatur: quam longe pleniorem impetravit Cn. Pompejus, cujus imperio circum oras maritimas Romanae omnes provinciae olim suberant. imperatores igitur statim extra pomoerium exeuntes proconsulare imperium explicabant: quo velut in perpetuo consulatu provinciarum omnium administratio, et rei militaris arbitrium, et vitae necisque potestas comprehendebatur.* adde his, quod Spanhemius prior animadvertit (3), Imperatores aliquando, proconsularis imperii jure, delegasse aliis curam cognoscendi de ipsis Proconsulibus, qui a senatu missi essent: e quibus fuit Caesonius Praefectus urbi, qui apud Gruterum dicitur (4) ELECTVS . AD . COGNOSCENDAS . VICE CAESARIS . COGNITIONES . PROCOS . PROV . AFRICAE: nisi forte *Proconsul* hic legendum, non *Proconsulis*, quod mihi veri valde simile videtur.

De *Patris Patriae* appellatione, de qua infra (5) uberius agemus, illud hoc loco adnotare juvat cum eodem Gravina (6), non utique sic appellatos Imperatores, quod iis populus Romanus quasi patriam in potestatem traderetur; sed potius, quod, *tamquam liberi, paternae benevolentiae ac beneficentiae commendabatur: ut Imperatores quidem benefactis eorum a populo parentum censerentur loco; populus vero illorum, tamquam parentum, officiis et laboribus frueretur. quo sensu institutum hunc honorem fuisse, quum primum Iulio Caesari, deinde Augusto deferretur, scribit Dion: utcumque huic eidem honori sequentium temporum adulatio juris patrii aliquid indiderit; quod forsitan in hortando atque admonendo ponebatur.*

Severo belli, ut arbitror, discrimina expeditione Gallica iterum adeunte, quo Dianam haberet propitiam, ordo, hoc est Decuriones Clusii, quod est Etruriae oppidum, aram aut signum donariumve aliquod ei Deae posuerunt: quae fortasse tutelaris urbis habebatur, et fontibus Clusinis praeerat, iis quos Horatius (7) memorat, ut ut Cellarius (8) praetermisit.

XVII. (Grut. p. 75. n. 9.)

C · IVLIVS · POLYBI · DIVI
AVGVSTI · LIBERTI · L ·
ANTHVS
SALTVM · FORTVNAE · OPIFERAE
RESTITVIT · PRO · SALVTE
POLYBII · LIBERALIS · PATRIS

Polybius Augusti libertus (9) servos habuit eosdemque manumisit Liberalem et hujus filium Anthum, qui ob manumissionem libertus liberti dicitur. similia invenies

(1) ad Capitolin. in Aur. Phil. c. 6.
(2) Orig. Iur. l. 1. n. 110.
(3) Diss. 12. p. 471.
(4) p. 381. n. 3.
(5) ad inscr. 359.
(6) de R. Imp. n. 131.
(7) lib. 1. epist. 15. v. 9.
(8) Geogr. ant. l. 2. c. 9.
(9) Dio lib. 56. p. 590. D.

exempla apud Fabrettum (1), qui nec alia deesse docet, libertorum nempe manumittentium matrem, fratrem, filios (2): quod a patrono datum putat tamquam auctarium libertatis. at nirum videri possit, quod pater Latino cognomine Liberalis, filius vero Graeco Anthus appelletur: quum fere libertini filios ad ingenuitatem prodendam Latino cognomine ornarent, et Graecum nomen latine verterent: ut in Naevii cujusdam Moschi filio apud Giovenazzium apparet (3), qui Naevius Vitulus dicitur. verum parenti fortasse, in servitute etiam, nomen fuerat *Liberali;* filius vero, ob recentem servitutis memoriam, aut quod per id tempus quicumque peregrinae conditionis essent, ex Claudii edicto (4) gentilitia tantum nomina, quae Romana essent, usurpare poterant, Graeco nomine pro cognomine usus est.

Saltus hic, opinor, haud lucus sacer, sed templi fundus est sive praedium, in quo pascua et nemus esset. nimirum, ut a Gothofredo indicatum est (5), praeter publicos sumptus templis, fanis, delubris, sacrificiis, sacerdotibus, conviviis destinatos, *erant et loca quaedam, praedia, possessiones, fundi, aedificia, juga seu capita in jure templorum* (6). agros etiam Deorum immortalium in Boeotia scimus fuisse (7), qui quum excepti fuissent lege censoria, publicani, ut eos vectigales haberent, negabant, immortales esse ullos, qui aliquando homines fuissent. Saltum porro ab Antho restitutum dixerim, purgato vepribus solo, instituto prato, satis arboribus.

XVIII. (Murat. Thes. p. 121. n. 2.)

EROS · GERMANICI · L ·
LOLLIANVS · D · D · (8)
CLVPEA · CVM · IMAGINIBVS

Cui Deo cui Deae donum sit datum, ii novere omnes, qui titulum loco suo fixum stabilemque viderunt. neque enim numinis adscribere nomen opus erat: quod Graeci artifices ne signis quidem addendum putabant (9), quum Dii habitu quisque suo ornatuque proderentur. de Erote quaeri potest, cur Lollianus dicatur, quum Germanici libertus fuerit. existimo autem, priorem huic dominum fuisse Lollium, a quo Germanicus servum dono acceperit, et sibi probatum manumiserit (10). Quare Eros, cui Lollii beneficentia is dominus obtigisset, a quo brevi manumitteretur, more adoptatorum cognomen sibi Lollianum, Germanico probante, imposuit. ita, opinor, et *Icelus* a Galba Aug. *Martianus* appellatus (11): et *Poppeanus* dictus apud Gruterum (12) *Parthenopaeus* Titi Aug. libertus, quod Poppaeae Neronis ante servus fuisset.

Clipea vel Clypea, et Clypei etiam (nam a Tacito (13) et Svetonio (14) honorarius quoque *Clypeus* dicitur) sunt hic, non arma pugnatoria, sed disci ex aere aut alia quapiam materia, imagines sive deorum sive hominum fere praeferentes, quorum alii votivi erant, alii honorarii. votivorum mentio in nummis veterum saepe fit; usumque eorum non respuerunt Christiani, quamquam Gabatas vocare malucrunt, quae Martiali sunt lances escariae (15). de his multa protulit Fontaninus in libello, qui inscribitur *Discus argenteus votivus veterum Christianorum* (16). honorariorum memi-

(1) cap. 3. n. 40. cap. 6. n. 77. et 121.
(2) cap. 1. n. 30.
(3) Aveja p. 110.
(4) Suet. in Claud. c. 25. n. 8.
(5) C. Th. t. 6. l. 16. tit. 10. p. 256.
(6) l. 8. de jur. Fisc. l. ult. de collat. donator.
(7) Cic. de Nat. Deor. l. 3. c. 19. n. 49.
(8) D. D. *Donum Dedit*.
(9) Dio Chrysost. Or. 31. p. 338.
(10) v. Fabr. p. 318. L. 343. D.
(11) Suet. in Galb. c. 14. n. 3.
(12) Grut. p. 578. n. 9.
(13) Ann. l. 2. c. 83.
(14) in Cajo c. 16. n. 13.
(15) lib. 7. epigr. 47.
(16) Romae an. 1737.

nere historici, quos nominavi, tum Livius (1), Plinius (2), Capitolinus (3), Pollio (4), aliique. porro Clypea votiva in templis maxime atque in ipsis fastigiis collocabantur (5): honoraria fere in curia (6). sed illud, quod senatus Cajo Augusto decrevit aureum, quotannis certo die, ut tradit Svetonius (7), collegia sacerdotum in Capitolium ferre debebant, senatu prosequente, nobilibusque pueris ac puellis carmine modulato laudes virtutum ejus canentibus.

Suspicatus vero aliquando sum, in clypeorum item numero habendum esse Clavum illum, quem dictator vetustissimis temporibus, ejus rei caussa creatus, figebat: qua de re Livius (8), *Lex*, inquit, *vetusta est priscis litteris verbisque scripta, ut qui praetor maximus sit, idibus Septembribus Clavum pangat*. in hanc demum sententiam jam veni, postquam in Polemei Silvii, haud rudis scriptoris, Kalendario, quod confectum esse constat Flavio Zenone et Posthumiano Coss. (9) haec descripta legi: IDIB . SEPTEMBR . HOC . DIE . ROMAE . IN . AEDE . MINERVALI . PER . MAGISTRATVM . ANNIS . SINGVLIS EX . AERE . CLYPEI . FIGEBANTVR . nec de loco dissentit Livius: *Fixus fuit dextro lateri aedis Iovis optimi maximi, ea parte, qua Minervae templum est*. et cur *Clavum* diceretur, in promptu caussa est: parvi enim clypei figuram capita trabalium clavorum imitari videntur. sed tamen *Clavum* (etsi hoc Livius non improbabat, quia rarae per ea tempora litterae erant) notam numeri annorum fuisse, haud crediderim; veri potius quam simillimum puto, Clavos omnes fuisse litteratos; et in singulis primum Reges, deinde annuos Consules, uti postea in fastis, incisos esse. nam, nisi hoc statuimus, quid aliud tandem, Clavis enumeratis, posteri didicissent, praeter annorum qui elapsi jam essent, numerum? qua in re nihil compendii esse poterat, quod, quibus illi rebus et quibus magistratibus responderent, minime proderent. eos sane clypeos *Clavos Annales* appellabant, qui figebantur, inquit Festus, *ut per eos numerus colligeretur annorum:* nota igitur in his aliqua esse temporis debuit, ut constaret, a quo potissimum numerus esset ineundus. alios hujusmodi Clavos et pestilentiae avertendae et plebis sedandae caussa fixos esse, legimus (10). hos vero Clypeos votivos fuisse puto, quales ii erant, de quibus paullo ante mentionem feci.

Imagines in Clypeis usque ad pectus tantum exprimebantur; quare *Thoraces* quoque appellatae sunt (11): quod illa confirmant, quae de Tullio habet Macrobius (12): *quum in ea provincia, quam Q. Cicero frater rexerat, vidisset clypeatam imaginem ejus ingentibus lineamentis usque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipse staturae parvae), ait: frater meus dimidius major est, quam totus*.

Quod autem Eros in titulo adscripserit *Clypea cum Imaginibus*, idcirco factum arbitror, quia quaedam aliquando Clypea dedicabantur cum sola inscriptione, quae clypeum medium occupabat. hujusmodi fuere, quae Pilatus Tiberio in Herodis regia dedicarat, Ασπιδας, ut ait Philo (13), μητε μορφην εχουσας, μητε αλλο τι των απαγορευομενων, εξω τινος επιγραφης αναγκαιας, ἡ δυο ταυτα εμηνυε, τον τε αναθεντα, και ὑπερ οὑ ἡ αναθεσις.

Addo demum, φησιν *Imago*, quam Martorellius (14) *pro unis pictis tabulis adhibitam fere semper videre sibi est visus*, saepe usurpari pro signis marmoreis aereisve, omisso etiam apposito, quo materia significetur: easque Imagines fuisse non Iconicas

(1) l. 25. c. 24. n. 39.
(2) H. N. l. 35. c. 3.
(3) in Anton. Pio c. 5.
(4) in Claudio c. 3.
(5) Livius l. 35. c. 10.
(6) Suet. in Domit. c. 23. n. 2. Pollio l. c.
(7) in Cajo c. 16. n. 12.
(8) lib. 7. c. 2. n. 3.
(9) an. Varr. 1201. V. Bolland. Act. SS. Ian. t. 1. in Praef. §. 3.
(10) Liv. l. 8. c. 16. n. 18. et l. 9. c. 19. n. 28.
(11) Salmas. in Poll. Claud. c. 3.
(12) Saturn. l. 1. c. 3.
(13) de legat. ad Cajum p. 799. F. ed. Col. Allobr. *Clypeos neque effigiem habentes, neque aliud quidquam ex iis, quae lege vetita essent, nisi necessariam quamdam inscriptionem, quae duo haec indicaret, quis posuisset, et cujus caussa*.
(14) Th. Cal. l. 2. c. 5. par. 6. n. 5.

sive corporis totius simulacra, sed humerorum tenus, aut usque ad umbilicum expressas. Plinius certe (1), quum narrasset, tertio Cn. Pompeii triumpho inter cetera gemmarum et signorum aureorum fercula latam esse *Imaginem* ejus e margaritis; adjecit censoria, ut solet, gravitate in luxum multa: tum *grave*, inquit, *profecto foedumque probrum erat, ne verius irae Deorum ostentum credi oporteret: clareque intelligi posset, jam tum* illud caput *Orientis opibus* sine reliquo corpore *ostentatum*. enimvero hujusmodi Imagines Graecis veteribus fuere Προτομαι (2), recentioribus Στηθαρια (3), apud Vopiscum autem sunt *Vultus* (4): cujusmodi erant Imagines illae majorum, testes nobilitatis, a Tullio saepe memoratae, quas Romani in domorum atriis collocare solebant (5): eas enim sic descripsit Polybius (6): Η δε εικων εστι προσωπον εις ὁμοιοτητα διαφερόντως εξειργασμενον και κατα την πλασιν και κατα την ὑπογραφην easdem vero e cera fuisse, docuit nos Iuvenalis (7) ac Plinius (8): ut scilicet comitarentur gentilitia funera: nam et marmoreas habuisse, indicant, quae nunc quoque supersunt, plurimae, et a Salmasio, non secus ac Clypeatae, *Thoraces* vel *Thoracides* nominari dicuntur (9). quae vero Lolliani Clupea ornabant, pictae ne fuerint an fictae, nisi qui viderit, scire potuit nemo.

XVIII. (Maff. p. 80. n. 2. Fabr. p. 451. n. 65. v. Serv. ad Aen. 7. v. 800.)

IVNONI · FERONIAE
BARBIA · L · F · SECVNDA
AEDEM · SIGNVM · PORTICVS
D · P · S · D · (10)

Aedes a templo nescio quid differt. ut enim ex Varrone Gellius (11) nos docet, non omnes aedes sacrae templa erant. templa enim non consecrabantur solum, sed etiam inaugurabantur: aedes etiam sine inauguratione sacrae esse poterant. ceterum veteres utrumque vocabulum saepe usurparunt promiscue.

Aedium vero sacrarum sive templorum species numerat istas Minutolus (12) Fanum, Sacellum, Aediculam, Lararium, Tesca, Lucum, Dianium, Minervium, Bidental, Delubrum, quibus potissimum adde Compitum: erat enim aedicula in quadrivio quasi turris, ubi sacrificia, finita agricultura, rustici celebrabant (13).

Signum a Barbia datum non aliud est, quam Feroniae effigies in ipsa aede collocata. signum autem potius quam statuam dixit, quia fortasse Προτομη erat, non totius corporis simulacrum. signum enim significatione latius patet, et omnia primum deorum, hominum, animantium simulacra designat; tum ea etiam, quae materiae, ex qua expressa sunt, inhaerent, nec statuae dici possunt; et αναγλυπτα fere aut αναγλυφα vocantur: denique eas quoque imagines, quas Thoraces et Thoracides appellari diximus: idcirco Tullius, furta Verris ex hoc genere ut omnia complecteretur, hoc usus vocabulo, *plurima*, inquit (14), *signa pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportasse te, negare non potes*.

Quod autem putavit Manutius (15), quae in foro statuae sunt, aut in alio pu-

(1) H. N. l. 37. c. 2.
(2) Gorius Inscr. et Salmas. l. c.
(3) Salmas. in Poll. trig. tyr. c. 25.
(4) in Probo c. 23.
(5) Senec. Consol. ad Polyb. c. 33.
(6) lib. 6. c. 51. *ipsa vero imago est vultus ad similitudinem affabre expressus et quoad formam et quoad colorem.*
(7) sat. 8. v. 18.
(8) H. N. l. 35. c. 2.
(9) ad Pollion. Claud. c. 3.
(10) D·P·S·D. *De Pecunia Sua Dedit.*
(11) N. A. l. 14. c. 7.
(12) apud Salleng. N. Th. t. 1. dissert. 5. sect. 1.
(13) Pers. schol ad Sat. 4. v. 28.
(14) lib. 1. in Verr. c. 23. n. 6.
(15) Quaes. p. epist. 3. 5.

blico et profano loco, eas utique *statuas*, non *signa* dici debere; easdemque in domibus ac templis *signa*, non *statuas*, recte appellari; id ne omnino probem, exempla quaedam faciunt, iis contraria, quae a Manutio afteruntur. nam a Svetonio (1) quidem dicitur Augustus praetoria, hoc est villas, non tam *statuarum* tabularumque pictarum ornatu, quam xystis et nemoribus excoluisse: in veteri autem titulo, quem Lupius edidit (2), Imperator Hadrianus Aug. Iunoni Sospitae *statuam* fieri et consecrari jubet.

Aedi Barbia porticus addidit, binas fortasse, unam nempe in fronte, alteram, quae aedem ambiret. porticus alias Diis dedicatas nonnullae nobis inscriptiones offerunt, quas collegit Tomasinus (3): sed is fallitur, omnes Diis consecratas quum censet, etiam quae sine ulla deorum commemoratione dedicatae dicuntur. qua de re agemus inferius (4).

XX. (Grut. p. 39. n. 4.)

M · AVRELIVS · PACORVS
M · COCCEIVS · STRATOCLES
AEDITVI · VENERIS · HORTORVM
SALVSTIANORVM · BASEM · CVM
PAVIMENTO · MARMORATO
DEANAE
D · D ·

Filios ne libertorum hosce Aedituos, an libertos fuisse dixerim? patronum certe illi non dicnt: at cognomina plane libertorum propria habent: nam libertini Latinum sibi, dum licuit, cognomen imposuerunt (5): itaque Q. Horatius, cujus pater aut avus servitutem aliquando servierat (6), *Flaccus* dictus est. enimvero libertos eos fuisse si statuas, ne mirere, qui manumissione M. Aurelius factus sit, in servitute regio eum nomine *Pacorum* esse appellatum: haud id novum apud Graecos Romanosve: saepe antiquis in titulis servos legas *Amyntas*, *Antiochos*, *Iubas*, *Menelaos*, *Philadelphos*, *Seleucos* et hujusmodi: quamquam crimini hoc dominis vertisse olim videtur Domitianus, a quo sublatum Metium Pomposianum scribit Svetonius (7), quum ob alias criminationes, tum quod *servis nomina* Magonis *et* Hannibalis *indidisset*.

Quos hortos Romae C. Salustius Crispus post Africae praeturam sibi comparaverat, eos deinde Romani Principes habuerunt; in eisque post Neronem Vespasianus saepe habitavit: Nerva vero ibi etiam mortuus est. eosdem Vlpianus hortos Augusti appellat, Aurelianus a Vopisco eos libentius quam Palatium incoluisse dicitur (8). in his aedificia plura fuisse constat, quorum praecipua porticus Miliarensis et Circus, in quo Veneris templum fuisse putatur, et Dianae aedes fortasse fuit, quum in Circi vestigiis inscriptio reperta sit (9).

Basem inscriptiones aliae praeferunt (10), *Basim* libri habent. est autem hic statuae fulcrum, alias columnarum, tropaeorum et hujusmodi. pavimentum marmoratum appellatur, quod marmore stratum aut incrustatum est (11): sed tectorium quoque ex marmore tuso et calce *Marmoratum* Latini vocant; ejusque faciendi rationem tradit Vitruvius (12).

(1) in Aug. c. 72. n. 6.
(2) Epit. Sev. M. p. 128. v. inscr. 36.
(3) de donar. c. 3.
(4) ad inscr. 38.
(5) v. inscr. 17.
(6) Hor. Sat. 6. l. 1. v. 45.
(7) in Dom. c. 10. n. 5.
(8) Donat. Rom. l. 3. c. 23.
(9) idem l. c. ex Fulv. l. 2.
(10) Grut. p. 52. n. 2. etc.
(11) Stat. l. 4. silv. 3. v. 96.
(12) Arch. l. 7. c. 6.

XXI. (Maff. M. V. p. 238. n. 5.)

DEO
HERCVLI
IVLIA
MAXIMINA
VOTI·SVI
COMPOS

Tabellarum votivarum exempla exstant permulta: plura tamen mansissent, nisi pleraeque fictiles aut e ligno factae essent, eaeque pictae, ut Tullius indicavit (1): *Tu*, inquit, *qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis ex tot tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint?*

Martorellius (2) ex Graeca inscriptione hanc apud veteres Christianos consuetudinem servatam esse affirmat, ut tabellas votivas tum quoque ponerent, quum eorum vota Deus non audisset. eo tamen usus exemplo mihi videtur, quod exemplis aliis confirmandum sit.

Ad Herculem quod attinet, quum Italia veteri superstitione oppressa esset, Deorum neminem studiosius colebat. id non tam inscriptiones declarant Herculi positae, tot numero adhuc superstites, quam Dionysii Halicarnassei testimonium luculentissimum (3): Παλλαχη δε και αλλη της Ιταλιας, non Romae tantum, ανειται τεμενη τω θεῳ, και βωμοι κατα πολεις τε ἱδρυνται και παρ' ὁδοις, και σπανιως αν ευροι τις Ιτάλιας χωρον, ενθα μη τυγχανει τιμωμενος ὁ θεος.

XXII. (Vita Antiq. Ben. t. 1. p. 71.)

L·TARQVINIVS
IANVARIVS
IN·SVO·FVNDO
HERCVLI·V·S·(4)

Tarquinius monumentum aliquod relinquere volebat, unde fundum, in quo Hercules colebatur, suum esse constaret. adscripsit igitur, se in suo fundo votum solvisse.

XXIII. (Grut. p. 96. n. 6.)

SANCTO·SANCO
SEMONI·DEO·FIDIO
SACRVM·DECVRIA
SACERDOTVM
BIDENTALIVM
RECIPERATIS
VECTIGALIBVS

(1) de Nat. Deor. l. 3. c. 37. n. 89.
(2) Th. Cal. l. 1. c. 6. n. 26.
(3) l. 1. Ant. R. p. 33. *saepe autem et in aliis Italiae locis agri subscivi Deo consecrantur, et arae statuuntur tam in urbibus, quam propter vias, ut raro angulum in Italia invenias, in quo honor Deo non habeatur.* v. inscr. 495.
(4) *Votum Solvit.*

Hinc manifestum est, inquit Fleetvuoodus (1), *Iustinum martyrem errorem magnum errasse, dum* Simoni Sancto Deo, *pro* Semoni Sanco Deo *venditare voluit*. carpit deinde non obscure Baronium et ceteros, qui ex Iustini auctoritate Simoni illi mago Romae in insula tiberina tamquam Deo statuam positam tradiderunt. sed neque Iustini auctoritatem elevant inscriptiones, quae Semoni Sanco positae sint, quum in ea insula aliis quoque Diis locus fuerit; et pro Iustino stant veteres recentesque scriptores non pauci (2): nec immerito; primum quod constet, notos ei Romanos Deos, notum Simonem fuisse; deinde quod idem et apud alias gentes quasi primum Deum Simonem coli scripserit (3), et Romae statuam ejus oculis usurpasse videatur.

Sancus hic Semo Deus Fidius Simone Mago multo antiquior Deus habitus est, de quo multa Ovidius (4), quaedam Silius habet (5). *Sancus* et *Sangus* Sabinorum lingua Hercules est, quoniam manibus, ut ait Propertius (6), purgatum sanxerat orbem. *Semo* est appellatus quasi Deus minorum gentium; Semones enim sunt, qui ex hominibus in Deos relati. idem Hercules *Fidius* dictus, per quem veteres jurabant: a fide nomen habere putavit Valesius (7); sed Varroni (8) *Dius Fidius* est Iovis filius.

Coetus quilibet Decuria saepe nominatur, sive pluribus quam decem, sive paucioribus constet (9). de hujusmodi autem sacerdotibus loqui videtur Iuvenalis (10):

Atque aliquis senior, qui publica fulgura condit.

Lucanus quoque (11):

. . . . . *Aruns dispersos fulminis ignes*
Colligit, et terrae moesto cum murmure condit.

quidquid nempe fulmen attigisset, congregare, ac condere humi, ara excitata sacrificare, locum ipsum maceria claudere, hoc erat procurare fulmen. ipse locus *Bidental* aut *Septum Bidental* appellabatur (12): hinc vero Sacerdotes *Bidentales*.

Sua sacerdotibus his vectigalia fuisse, novum haud duxeris, si ea repetas, quae scripsimus ad Inscriptionem XVII. nec mirere de nomine; nam *vectigalia* sunt etiam reditus privatorum: itaque scripsit Tullius (13), *ex meo tenui vectigali, detractis sumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit*.

Reciperare pro *Recuperare* saepe leges apud Tacitum: ad cujus aetatem titulum hunc referre placet.

XXIIII. (Vulp. V. Lat. lib. 4. c. 4. Fabr. p. 691. n. 128.)

SANCTISSIMO · HERCVLI
PACIFICO · INVICTO
SACRVM
P · IVNIVS · P · F · CERINVS
PRAEF · EQ · SING ·
V · S · L · M · (14)

Herculem hic appositis illustribus honestari vides: haec tamen non ita illius pro-

(1) Inscr. Syll. p. 41. n. 3.
(2) v. Prileszkyum in Act. et Script. S. Iustin. Apol. 1. c. 4.
(3) apud Prileszk. p. 145.
(4) Fast. l. 6. v. 213.
(5) lib. 8. v. 422.
(6) lib. 4. el. 9. in fin.
(7) in animadv. Euseb. l. 2. c. 13.
(8) l. 4. L. L. c. 10.
(9) Plaut. Pers. 1. 3. 62. Suet. in Claud. c. 1. etc.
(10) Sat. 6. v. 587.
(11) lib. 1. v. 606.
(12) Sidon. carm. 9. ad Felic. v. 190.
(13) Paradox. 6. c. 3.
(14) *Votum Solvit Libens Merito*.

pria erant omnia, ut ceteris Diis non tribuerentur. quae enim temere vulgari non solebant, ea fere substantiva fuisse reperies, ut *Iovi Statori Conservatori Fulgeratori, Marti Vltori Victori, Herculi Defensori Servatori,* et his similia.

Equites singulares, quorum praefectus fuit P. Cerinus, praetorianorum militum numero sic accenseas, quasi cohortium earum alam. de ala certe Singularium meminit Tacitus (1): et in Hygini Gromatico (2) leges, *Equites Praetoriani latere dextro Praetorii, Singulares Imperatoris latere sinistro* (tendunt). quum autem saepe in titulis appellentur *Equites Singulares Imperatoris Nostri,* aut *Augusti Nostri,* aut *Domini Nostri,* eosdem stipatores corporis fuisse, atque ad custodiam Principis non minus quam praetorianos selectos putaverim.

Institutos a Nerone credidit Donatus (3), quod scribat Tacitus (4), sub eo primum conscriptos esse equites Romanos cognomento Augustanorum, aetate ac robore conspicuos. antiquiores tamen fuisse, liquet ex Fabretti inscriptione (5), in qua L. Aurelius Celsus Eques Singularis Augusti monumentum posuisse dicitur Patri benemerenti, qui donis donatus fuerat ab Imp. Caesare Augusto bello Actiaco, Siciliensi et Hispano, et vixerat annos xxxxI· quin etiam Augustani illi, sive Augustiani, nam eos sic vocat Svetonius (6), ad plausus potius theatrales, quam ad corporis custodiam, ut ait Fabrettus (7), adsciti sunt. recte ergo existimaverit, qui Equites Singulares ab Octaviano Augusto jam tum in sui custodiam una cum praetorianis adlectos putet, quum Calaguritanorum ac Germanorum manum dimisit, quam inter armigeros circa se habuerat (8): nec alios esse ducat, quam qui a Dione (9) Ἵππεις Ἐπίλεκτοι appellantur, et ex Batavis fuisse dicuntur.

Cur autem *Singulares* dicti sunt? ideone, quod ipse sibi singulos Imperator legeret? at Graevius (10) idcirco putabat, quia *singulariter sit mandatum iis munus custodiendi Imperatorem:* aut *quod lecti sunt ab Imperatoribus singulari cura propter virtutis et roboris opinionem.*

Equitum Singularium sepulcra via Labicana fuisse ad secundum lapidem, scribit Blasius (11), conjectura capta ex sepulcralibus titulis, qui complures ibidem loci effossi sunt. hoc vero idem et Fabrettus (12) jam indicaverat.

XXV. (Maff. M. V. p. 85. n. 2.)

SILVANO · SALVTARI
SACRVM
SATVRNINVS · AVG · LIB ·
PROC · CASTRENSIS
VOTO · SVSCEPTO
FECIT

Saturnini duo Caesares in historia Augustorum occurrunt, alter apud Pollionem (13), alter apud Vopiscum (14), tertium extudit Bandurius (15), quem Constantis Constantiique temporibus supparem facit. ante hos Saturnini fuerunt in gente Apuleia

(1) Hist. l. 4. c. 10.
(2) p. 4. cer. 1. v. 7.
(3) ad Suet. in Iul. c. 39.
(4) Ann. l. 14. c. 15.
(5) pag. 355. n. 68.
(6) in Ner. c. 25. n. 3.
(7) pag. 356. cer. 1.
(8) Suet. in Aug. c. 49. n. 3.
(9) lib. 55. p. 565. A.
(10) Thes. Ant. t. 3. in prol.
(11) apud Oderic. Syll. Inscr. p. 311.
(12) p. 360. n. 96.
(13) in trig. tyrann. n. 22.
(14) in Prob. c. 18.
(15) in numism. Impp. Rom.

et Antonia. sed neque liberti unquam cognomen a patronis acceperunt, et eorum Imperatorum aetate alia etiam nomina quam patronorum sumebant (1). quare de Saturnini patrono, si certum quaeras, extrices nihil. existimo autem, liberto huic in servitute nomen fuisse Saturninum, idque illi, quod verna esset, Latinum, ut multis aliis, impositum: desiderari autem in titulo praenomen ac nomen, quod fortasse a domino nondum ei datum esset (2). neque enim hunc fuisse dixerim *L.* illum *Manlium Saturninum* (*a*), qui apud Gruterum (3) nescio quid *Silvano Salutari Ex Viso Posuisse* dicitur: quippe libertum fuisse nulla indicat nota.

Quod Saturninus *Procurator Castrensis* dicatur, non ideo eum amandes in castra. Castrenses enim ministri et Castrensiani in familia Augustorum fuerunt, in eoque grege fullones, vestitores, pictores, pincernae et id genus homines numerabantur (4): quibus nomen illud a militia ductum haesisse videtur, quod Principem ipsum militari appellatione *Imperatorem* vocabant.

XXVI. (Ferrar. diss. 8. p. 166. Fabr. p. 700. n. 213.)

T · VIBIVS · T · L ·
OPTATVS
M · V · (5) S · L · M ·
LIBERTATIS · CAVSSA

Optatus, quum esset in servitute apud Vibium, votum Mercurio fecerat, si sibi a domino libertas daretur: manumissus reum se voti existimavit, votumque Deo solvit libens merito, ex veteri formula.

Utitur is patroni nomine et praenomine, ut fere ceteri liberti: qui, si praenomen habent diversum, ex patronorum permissu habent: ut in Dionysio T. Pomponii Attici servo factum (6) reperio, qui dictus est M. Pomponius ex Tullii praenomine et patroni avito nomine. fuere tamen et liberti quidam ipso Augusti aevo, quibus aliud, quam patronorum nomen fuit: ut C. Iunius Thalation (7) libertus C. Cilnii Maecenatis, Antonius Musa (8), Licinius Encelados (9) liberti Augusti: quos ego ab iis puto accepisse, qui eorum libertatem a dominis exoraverant. hoc certe in civitate danda aliquando usurpatum est, ut peregrinis nomina ii ponerent, qui beneficium impetrarant: quemadmodum Gaditano illi Balbo contigisse scimus (10), qui L. Cornelius Balbus appellatus est de L. Cornelii Lentuli nomine, cujus erat gratia civitatem a Pompejo consequutus.

Herodotus servorum tutelare numen Herculem facit (11); Horatius Laribus catenam ex voto donari a servis, indicat (12): aliis quoque Diis eos vota fecisse constat (13). sed Mercurius potissimum amorem sibi a servis fidemque conciliavit, quod ipse quoque apud Iovem servire quodammodo putaretur. itaque illum de laboribus suis ac de Iovis mandatis cum Maja matre graviter querentem inducit Lucianus (14), ὁς τοσαυτα πραγματα ἐχω μονος καμνων, και προς τοσαυτας ὑπηρεσιας διασπωμενος. deinde ipsa, ut ar-

(1) Nieup. sect. 6. c. 5. §. 3.
(2) v. inscr. 170.
(*a*) Apud Gruterum loco mox citando legitur L · MANLIVS · SATVRNIVS; sed apud Lipsium p. 32. n. 8. L · MANILIVS · SATVRNINVS: uter sit corrigendus facile patet, nam Lipsius se vidisse, Gruterus ex eodem hanc inscriptionem descripsisse testatur.
(3) p. 65. n. 1.
(4) Lampr. in Alex. Sev. c. 41. et Salmas. ad eum loc.
(5) *Mercurio Votum* etc.
(6) Cic. ad Att. lib. 4. ep. 15. v. Fabr. p. 438. n. 37. 38.
(7) Meibom. Maec. c. 3, n. 16.
(8) Dio l. 53. p. 517. C.
(9) Svet. in Aug. c. 67. n. 2.
(10) Manut. ad or. pro Balbo c. 8.
(11) lib. 2. n. 113.
(12) Serm. l. 1. sat. 5. v. 65.
(13) Gor. Insc. t. 3. p. 14.
(14) dial. tom. 2. Merc. et Maj. *qui tantum negotiorum solus sustineam, quibus delassor, in tam multa ministeria distractus.*

bitror virga, qua defunctorum animas ad Plutonem deducere ferebatur, vindicem se libertatis prodebat, quae olim vindicta praetoris, hoc est virga dabatur. huic autem e servulis juniores maxime addictos fuisse, credibile est, ob perpetuam adolescentiam, quae Deo illi tribuebatur: e quibus si fuit Optatus, una cum libertate praetextam a domino et bullam insignia libertatis accepit; bullam nempe, non auream, quae ingenuorum fuit, sed scorteam libertinorum propriam, colore quidem rubro, sed circulo ad oras aureo fulgentem: quod didici ex pictura vitrei poculi rarissima in Museo Kircheriano.

XXVII. (Grut. p. 75. n. 6.)

FORTVNAE
OBSEQVENTI
ORDO · COMENS ·
VOTO · PRO
SALVTE · CIVIVM
SVSCEPTO

Fortunam veteres multis cognominibus appellavere, Respicientem, Primigeniam, Sanctam, Manentem, Reginam, Conservatricem, Opiferam, Reducem, Augustam, et hujusmodi (1). hic vero *Obsequens* est, nempe facile indulgens: quae Romae etiam in regionis primae vico cognomine (2) colebatur. cujusnam calamitatis caussa votum nuncuparint Comenses, quove liberati morbo solverint, ignoramus. simul et illud obscurum, quod haec ad tempus referre possis. nam esto, inscriptionis stilus eruditam prodat aetatem, non ideo Iulii Caesaris tempora hic designari, ob unam *Ordinis Comensis* appellationem recte contendas. Comum quidem post coloniam a Caesare deductam *Novumcomum* jam, ipsosque colonos *Novocomenses* appellatos constat: at non multos, opinor, annos id mansit nomen; quippe ante ipsam Caesaris dictaturam Marcellus consul, ut habet Svetonius (3), ad senatum retulit, ut colonis, quos Caesar rogatione Vatinia Novumcomum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem et ultra praescriptum data esset: et ademptam revera civitatem affirmat Plutarchus (4): αφαιρουνται της πολιτειας. quamquam autem Caesare dictatore eos iterum usurpasse veri simile est; Caesare tamen interempto, et iis etiam, quos ille colonos deduxerat, magna ex parte defunctis, ceteri deinde civium jure contenti, nova jam appellatione abstinuisse videntur: quum non modo in lapidibus recentioris aetatis *Comum* et *Comenses* solum legamus, sed etiam Plinius ipse municeps *Comum* tantum et *Comenses* scribat.

XXVIII. (Don. cl. 1. n. 105.)

ISIDI · MATRI
SEX · CLAVDIVS · VALERIANVS
ARAM
CVM · SVIS · ORNAMENTIS
VT · VOVERAT
D · D ·

(1) Montfauc. de cognom.
(2) Vict. in Reg. Vrb.
(3) in Caes. c. 28. n. 3.
(4) in Caes. c. 29. p. 722. A.

Vt matronae apud Romanos, sic Deae sunt honoris caussa Matres appellatae. mater autem Deûm Cybele saepe *Magna Mater* dicta. aut etiam *Mater* tantum, omisso Deae nomine (1). hanc ab Iside diversam esse, negat Apulejus (2), quam Aegyptiis eandem fuisse, quae Graecis Ceres, docuit Herodotus (3). at in sequenti inscriptione Mater Deûm ab Iside distinguitur: quod antiquae superstitionis levitatem et inconstantiam declarat.

Ornamenta dicebantur, inquit Reinesius (4), *quidquid majoris cultus gratia circum statuas arasve poneretur, fingeretur, pingeretur, conveniens tam cujusvis sive Divi sive hominis conditioni, quam ipsius operis generi, rationi et symmetriae.*

XXVIIII. (Maff. M. V. p. 82. n. 3.)

MATRI · DEVM · ET · ISIDI
G · MENATIVS · G · FILIVS (5)
FAB · SEVERVS · FANVM · REFE
CIT · ET · PRONAVM · DE · SVO · FE
CIT · EX · VOTO

Fano, quod refecit Severus, Pronaum sive frons prima decrat. hanc idem pecunia sua fecit, ut voverat. Πρόναον Graeci vocant, quod sit in anteriore templi parte: id erat, ut Vitruvius nos edocuit, non ipse cellae murus, sed vestibulum sive porticus, supra quam fastigium quoque esset (6): itaque accedenti ad templum columnae primum et spatium pronai occurrebant, tum valvae ipsius templi, per quas in cellam ingrederetur.

Legendum hic *e tribu Fabia* vel pueri norunt; sic enim veteres tribum adscribebant ante cognomina, efferebantque ablativo casu, *Lemonia, Romilia, Scaptia,* quin adderent *E Tribu:* quippe id quisque subaudiendum norat. censuit tamen Montfauconius (7), tribum recto casu passim scriptam, *idque nulla habita seriei ratione a consuetudine impetratum fuisse:* argumento illi fuere Graecae quaedam inscriptiones, in quibus legit Φαβια, Κυρεινα, Σεργια, quum haec patrio casu scribenda fuissent, siquidem Latinorum sextum referre deberent. at ea dativo casu usurpata sunt pro Latino ablativo: quemadmodum Tullius Graeca verba (8) saepe dativo casu extulit, quum Latinae praepositiones sextum post se postularent. Latinos vero Tribum ablativo casu extulisse indicat inscriptio apud Fabrettum (9), in qua leges TRIBV · VOLTINIA, indicat marmor optimae notae apud Horatium Orlandum virum eruditissimum, hoc epitaphii initio: L · LICINIVS · FVIT · POL · NEPOS

(1) Virgil. Georg. 4. v. 64.
(2) Metam. l. 11. sub init.
(3) lib. 2. n. 59. et 156.
(4) Cl. 1. n. 105.
(5) *Gajus* etc. *Gaii* etc. *Fabia tribu.*
(6) l. 3. c. 1. et lib. 4. c. 4.
(7) Palaeogr. l. 2. p. 159.
(8) ad Att. l. 14. ep. 19. l. 16. ep. 11. etc.
(9) p. 341. n. 521.

XXX. (Fabr. p. 3. n. 9.)

VOTO · SVSCEPTO
BONAE · DEAE
ASTRAPTON · CAESARIS · VILIC ·
AEDICVLAM · ARAM · SEPTVM · CLVSVM
VETVSTATE · DIRVTA · RESTITVIT

Bonam Deam, cui solae mulieres et in operto operabantur, aedis restitutione demereri voluit Astrapton iste, quem *Fulgurantem* latine dixeris: iis nempe nominibus delectati aliquando veteres, qui servorum pernicitatem designarent. de Aelio Vero Caesare Spartianus (1), *Cursoribus*, inquit, *suis exemplo Cupidinum alas frequenter apposuit, eosque ventorum nominibus saepe vocitavit*, Borcam *alium*, *alium* Notum, *et item* Aquilonem *aut* Circium, *ceterisque nominibus appellans, et indefesse atque inhumaniter faciens cursitare*. porro Astrapton Caesaris Vilicus erat, id est, ut Varro explicat (2), agri colendi caussa constitutus, atque appellatus a villa. sed *Vilicus* tamen appellatur dispensator etiam sive procurator cujuscumque rei: apud Gruterum sane invenies *Vilicum ab alimentis*, et *Vilicum a plumbo* (3): *Vilicum Amphitheatri* apud Fabrettum (4): a Frontino (5) autem *Vilicus* dicitur, qui in aquarum castellis calices ac fistulas aquis deducendis aptabat. de scriptura nominis adnotavit Fabrettus (6), veriorem scribendi rationem eorum esse, qui unica L scribunt; sic enim in antiquis lapidibus incisum esse quamplurimis.

Septum clusum sunt cancelli aram ambientes, valvis sive foribus clausis (7), qui et *Caulae* aliquando dicti (8).

XXXI. (Fabr. p. 564. n. 104. Maff. M. V. p. 178. n. 1.)

D E O · M A G
N O · A E T E R N ·
L · S T A T I V S · D I
O D O R V S · Q V O T (9)
S E · P R E C I B V S
C O M P O T E M
F E C I S S E T
V · S · L · M ·

Inscriptionem hanc, quam Muratorius (10) inter profanas sive superstitiosas rejicere videbatur, Fabrettus Christianis adnumeraverat, Maffejus item Christianam judicavit: quod nimirum Deum *Magnum Aeternum* sacrarum litterarum formula appellet; quod Diodorus patris praenomen ex Christianorum more non praeferat; quod *Preces* memorentur, vocabulum Christianis frequens sacris in psalmis, in profanis contra titulis nusquam visum: denique quod in monumenti latere dextro corona oleagina, in laevo

(1) in Ael. Ver. c. 5.
(2) l. 1. R. R. c. 2. v. Menag. I. C. Amoen. c. 17.
(3) p. 1033. n. 9. p. 640. n. 10.
(4) p. 3. n. 13. et p. 38. D.
(5) de aquaed. art. 112.
(6) Insc. p. 2. n. 2.
(7) Reines. cl. 1. n. 125.
(8) Murat. Inscr. p. 191. n. 3.
(9) *Quot* αρχαιως pro *Quod*.
(10) Inscr. p. 106. n. 6.

palma sculpta sit: quae Fabrettus (1) *Christianitatis* signa dixit. Maffeii jam et Fabretti sententiam confirmare videtur editus a Gorio titulus omnino Christianus, cujus idem est initium D . M . AET . (2)

Compos precibus idem, atque *Compos voti*, sive qui jam ea, quae precatus fuerat, impetravit. *Compotem* autem et patrio et ablativo casui junxere veteres: Livius (3): *Praedaque ingenti compotem exercitum reducunt.*

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

XXXII. (Plin. H. N. l. 7. c. 26. n. 27.)

CN · POMPEIVS · CN · F · MAGNVS · IMP ·
BELLO · XXX · ANNORVM · CONFECTO
FVSIS · FVGATIS · OCCISIS · IN · DEDITIONEM · ACCEPTIS
HOMINVM · CENTIES · VICIES · SEMEL · CENTENIS · $\overline{\text{LXXXIII}}$ · M · (4)
DEPRESSIS · AVT · CAPTIS · NAVIBVS · $\overline{\text{DCCXLVI}}$ ·
OPPIDIS · CASTELLIS · $\overline{\text{MDXXXVIII}}$ · IN · FIDEM · RECEPTIS
TERRIS · A · MOEOTI · LACV · AD · RVBRVM · MARE · SVBACTIS
VOTVM · MERITO · MINERVAE

Ab Africa devicta *Magnus* dici coepit Pompejus, a Sulla sic primum salutatus: quod nomen Plinius *spolium ex Africa captum* appellat. bellum Mithridaticum, quod hic annorum triginta fuisse dicitur, Florus (5) quadraginta annis gestum esse scribit. haec enim habet de Mithridate: *ille per quadraginta annos restitit, donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompeii consumeretur.*

Inscriptio autem et Mithridaticum et Piraticum bellum attingit, ut ex iis constat, quae Plinius praefatur (6): *Postea*, inquit, *ad tota maria et deinde solis ortus missus* (Pompejus) *hos retulit patriae titulos.* addit subinde: *hos honores urbi tribuit in delubro Minervae, quod ex manubiis dicabat.* ad quae verba sic Harduinus (7): *Monet Pintianus, videri Gellium affirmare* (8), *delubrum hoc non Minervae fuisse, sed Victoriae. at Gellio inde forsan ajo errorem oblatum, quod in Minervae delubro Victoriae statuam Pompejus consecravit.*

Variat inscriptio haec in Plinii libris, qui editi sunt: quidam enim non habent *Centies*, alii non habent *Centenis:* sed Harduinus, qualem hic descripsimus, talem se reperisse testatur in veteribus Plinii libris, quotquot manu exaratos pervolvit. nec vero mirandum est, mortalium tot millia fuisse in tanto terrarum spatio, quantum Asia patet a palude Moeotide ad Rubrum mare, hoc est ad Arabicum Persicumque sinum: utrumque enim veteres eodem nomine designabant (9).

(1) pag. 565. F.
(2) Inscr. t. 3. p. 360. n. 3.
(3) l. 3. c. 35. n. 7.
(4) *Centies* etc. 12,183,000.
(5) lib. 3. c. 5.
(6) l. 7. c. 26. n. 27.
(7) in not. ad lib. 7. n. 86.
(8) l. 10. c. 1.
(9) Cic. de nat. Deor. l. 1. c. 35. Prop. l. 3. el. 13. v. 6.

XXXIII. (Maff. M. V. p. 307. n. 3.)

IMP · CAESAR · DIVI · FILIVS

AVGVSTVS

PONTIFEX · MAXIMVS

IMP · XII · COS · XI · TRIB · POT · XIV ·

AEGVPTÓ · IN · POTESTÁTEM

POPVLI · RÓMÁNI · REDÁCTÁ

SÓLI · DÓNVM · DEDIT (1)

Inscriptionem hanc Romae leges totidem verbis tam in basi obelisci in circo olim maximo dedicati, quam in ea, quae pertinet ad obeliscum campi Martii. de hujus autem usu quaedam sunt apud Plinium (2) digna plane, quae legantur. vide etiam, quae de obelisco eodem scripsit Bandinius.

Aegyptiorum superstitionem sequutus videtur Augustus, quum obeliscos Soli dedicavit. id enim et Nuncoreus fecerat Sesostridis filius (3). Aegyptio praeterea more statuebantur pro foribus domorum statuae quaedam, metarum in acutum desinentium forma, Apollini Γυιεὶ sive Θυραίῳ sive Προσταταρίῳ sacrae apud Graecos (4).

Captam Aegyptum scripsit Iosephus Castalio (5) Augusti *consulatu sexto annis* ante obeliscorum dedicationem *novendecim:* negligenter sane ac mendose. C. Caesar Octavianus Aegypto potitus est consul III. annis tribus antequam *Augustus* a senatu appellaretur: eundemque consulatus a tertio ad undecimum continuasse, scripsit Svetonius (6), et fasti ostendunt. quare anni illi novendecim quî possint quaeso numerari a sexto ad undecimum consulatum? Castalionem primo induxit in errorem Fulvii Vrsini nummus, in quo legitur IMP · CAES · DIVI · F · COS · VI · AEGVPTO · CAPTA: hunc scilicet nummum ignoravit percussum esse post triumphum Alexandrinum, quem egit Octavianus consul V. deinde consulatum undecimum pro duodecimo accepit, quem Augustus, ut addit Svetonius (7), septendecim annorum intervallo gessit. capta igitur Aegyptus C. Caesare Octaviano III. M. Licinio Crasso Coss. anno urbis conditae Varroniano DCCXXIII. septimo (*a*) post anno dedicatus Romae obeliscus uterque, qui Aegyptum in provinciae formam redactam esse testaretur. de apicibus litterarum dicemus libro secundo (8).

(1) An. V. C. Varr. 744.
(2) H. N. l. 36. c. 10. n. 15.
(3) Plin. H. N. l. 36. c. 11.
(4) Huet. Dem. Ev. t. 1. pr. 4. c. 8. n. 2.
(5) Explic. Insc. Obelisc. Aug.
(6) in Aug. c. 26. n. 4.
(7) ibid.
(*a*) Non *septimo*, sed *vicesimo*: nam illae temporis notae, quas refert Inscriptio, IMP · XII · TRIB · POT · XIV · unice conveniunt anno V. C. Varr. 744. consulatus vero undecimus tum in nummis, tum in inscriptionibus legitur ab ann. V. C. 731. ad ann. 749., quo processit COS · XII ·
(8) part. 3. c. 9. n. 3.

XXXIIII. (Grut. p. 61. n. 1.)

IMP · CAESAR · DIVI · F · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAXIMVS
IMP · XIIII · COS · XI · TRIB · POTEST · XV ·
EX · STIPE · QVAM · POPVLVS · ROMANVS
ANNO · NOVO · APSENTI · CONTVLIT
NERONE · CLAVDIO · DRVSO
T · QVINCTIO · CRISPINO CoS · (1)
VOLCANO

Kalendas anni auspices, inquit Symmachus (2), *quibus mensium recursus aperitur, impertiendis strenis dicavit antiquitas*. eas porro ab omnibus ordinibus ipsi Augusti aliquando acceperunt. de Cajo Caesare scripsit Svetonius (3): *Stetitque in vestibulo aedium kalendis Ianuariis ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus ac sinu omnis generis turba fundebat*. Augusto autem strenae in Capitolio datae sunt etiam absenti: *ex qua summa*, ut idem auctor tradit (4), *pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicabat, ut Apollinem Sandaliarium et Iovem Tragoedum aliaque*. ex his fuit Vulcani statua, de qua hic sermo esse videtur: nisi de templo haec intelligenda censeas, quod Vulcano dedicaverit: quandoquidem ex illa stipe templum quoque fieri potuisse, manifestum est: et ipsum Augustum a Livio (5) *templorum omnium conditorem aut restitutorem* appellatum scimus.

Nero hic Claudius, Crispini collega, frater est Tiberii Aug. de quo haec habet Patereulus (6): *Drusum magna ex parte domitorem Germaniae, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas consulem, agentem annum tricesimum, rapuit*.

Cur *Apsenti* et *Volcano* scriptum sit, dicemus libro secundo (7).

XXXV. (Grut. p. 101. n. 1.)

PIETATI · AVGVSTAE
EX · S · C · QVOD · FACTVM · EST
D · HATERIO · AGRIPPA · C · SVLPICIO · GALBA · CoS · (8)
TIB · CL · CAES · AVG · GERM · PONT · MAX · TRIBVN ·
POT · IIII · COS · IIII · IMP · VIII · P · P · (*a*)
DEDICAVIT

Quod hic Pietati Augustae dedicatum dicitur, Pietati Liviae Augusti dedicatum puto, quam in ejus nummis etiam videre licet eodem nomine designatam (9). Livia, extrema aetate, sub Tiberio quum aegrotaret, consulibus Haterio et Sulpicio, *Supplicia*

(1) An. V. C. Varr. 745.
(2) lib. 10. epist. 20.
(3) in Cajo c. 42. n. 2.
(4) in Aug. c. 57. n. 4.
(5) l. 4. c. 10. n. 20.
(6) lib. 2. c. 97. n. 3.
(7) part. 3. c. 9. §. 1.
(8) An. V. C. Varr. 775.
(*a*) Apud Gruter. loc. cit. legitur quidem TRIBVN · POT · III · COS · IIII. IMP · III. sed quum nec hae notae, nec quas intulit cl. Auctor, cum annalibus congruant, satius puto eas recipere, quas habet magnae fidei vir Smetius p. 32. n. 6. nempe TRIBVN · POT · III · COS · III · IMP · III · quaeque conveniunt anno V. C. Varr. 796.
(9) Gessner. tab. 31.

Diis, inquit Tacitus (1), *ludique magni ab senatu decernuntur*. eo igitur tempore aram quoque seu potius signum eodem senatus consulto decretum crediderim, quod Pietati Augustae statueretur: cujus postea dedicationem Claudius, omissam neglectamque aegre ferens, peregerit ipse, aviae suae memor, cui etiam, uti Svetonius tradidit (2), *divinos honores, et circensi pompa currum elephantorum Augustino simile decernendum curavit:* Dione vero teste (3), etiam effigiem ejus in templo Augusti dedicavit; ad quam tamen inscriptio haec referri non debet, quum extra pomoerium *ad Septem Lucernas* inventa fuerit.

Annos sub Augustis quoque per consulatus designatos passim invenies. actum quidem de hac re fuerat his utique consulibus (4), censueratque M. Silanus, *Vt publicis privatisve monimentis, ad memoriam temporum, non consulum nomina praescriberentur, sed eorum, qui tribuniciam potestatem gererent:* at Tiberius nominatim arguisse dicitur *insolentiam sententiae:* obtinuitque vetus consuetudo, dum consules creati sunt: et jure quidem ac merito; nam inducto reipublicae Principe, tum etiam summum in ea magistratum non Imperator, sed Consules gerebant. itaque Svetonius, quum narrasset, Cajum Aug. consulibus, oblitis de natali suo edicere, abrogasse magistratum, adjecit (5), *Fuitque per triduum sine summa potestate respublica*. id ipsum norat M. Aurelius, qui numquam de curia recessit, nisi consul dixisset, *Nihil vos moramur, Patres Conscripti* (6). nec alia hujusmodi in historia Romana exempla desunt.

In numero tribuniciae potestatis mendum erat, Gudius XXIIII. legendum censebat; credo, quod titulum Tiberio adscriberet: nam Claudius quidem anno obiit decimo quarto imperii sui, nec sub decessore tribuniciam potestatem, ut olim patruus ejus Tiberius, ante imperium assequutus fuerat. equidem annos XX. haud injuria dempsi: nam inscr. LXXVI. Claudius Consul Des. V. Trib. Potest. VIII. ornatus dicitur: et quartum ille consulatum quinquennio ante quintum gesserat.

XXXVI. (Lupius Epit. Sev. M. p. 128. Murat. p. 147. n. 5.)

IMP · CAES · DIVI · TRAIANI
PART · F · DIVI · NERVAE · N ·
TRAIANVS · HADRIANVS · AVG ·
PONT · MAX · TRIB · POT · XX · COS · III · P · P ·
I · S · M · R · (7) STATVAM · EX · DONIS · AVREIS
ET · ARG · VETVSTATE · CORRVPTIS
FIERI · ET . CONSECRARI · IVSSIT
EX · AVRI · P · III= · (8) ET · ARG · P · CCVI= ·

Sacerorum cura ad Imperatores pertinebat, quod Pontifices Maximi essent. laudatur autem a Spartiano (9) Hadrianus, quod sacra Romana diligentissime curaverit, peregrina contempserit, Pontificis Maximi officium peregerit. hoc ille jure donaria Junonis in ejus statuam conflavit: cujus fortasse caput et manus ex auro factae, reliquum cor-

(1) Ann. l. 3. c. 64.
(2) in Claud. c. 11. n. 5.
(3) lib. 59. p. 667. E.
(4) Tacit. Ann. l. 3, c. 57.
(5) in Cajo c. 26. n. 3.
(6) Capit. in M. Aur. c. 10. v. et in Pertin. c. 5. etc.
(7) *Iunoni Sospitae Magnae Reginae.*
(8) Pondo sive libris tribus et sextante. v. lib. III. part. 1. c. 9. §. 1.
(9) in Hadr. c. 22. et num. Oecon. p. 238.

pus ex argento: nam artificii hoc genus jampridem in deliciis erat (1). de Augusto majora tradit Svetonius (2): *Argenteas*, inquit, *statuas olim sibi positas conflavit omnes, ex quibus aureas cortinas Apollini dedicavit.*

Iunonis Sospitae, quae Lanuvii maxime colebatur, habitum ornatumque describit Cotta apud Tullium de natura Deorum (3), sic enim ille Vellejum alloquens disserit: *Quid igitur censes? Apim illum sanctum Aegyptiorum bovem nonne Deum videri Aegyptiis? tam hercle, quam tibi illam nostram Sospitam, quam tu numquam, ne in somnis quidem vides, nisi cum pelle caprina, cum hasta, cum scutulo, cum calceolis repandis.* porro *Sospita* est, quae Graecis Σωτειρα; uti etiam *Sospitator* est Σωτηρ, quo nomine Iupiter quibusdam in nummis nuncupatur.

XXXVII. (Maff. M. V. p. 249. n. 9.)

DIVO · VERO · PARTH · MAX · FRATRI
IMP · CAESARIS · M · AVRELI · AN
TONINI · AVG · ARMENIAC · MEDIC ·
GERM · PARTH · MAX · TRIBVNIC ·
POTESTAT · $\overline{\text{XXVI}}$ · IMP · $\overline{\text{V}}$ · P · P ·
COS · $\overline{\text{III}}$ · PROCOS · (*a*)
COL · VLP · TRAIAN · AVG · DAC ·
SARMIZEGETVSA

Lucium Verum adoptione fratrem praemortuum M. Aurelius Aug. Divum appellaverat, flamine, ut Capitolinus scripsit (4), et Antoninianis sodalibus et omnibus honoribus, qui Divis habebantur, eidem dedicatis. ob eam rem Sarmizegetusa urbs Daciae, ac olim Decebali regia, deinde Trajani colonia, eundem illum L. Verum, ut fratri M. Aurelio obsequeretur, divinis honoribus decoravit, statua ei ut Divo posita, aut delubro dicato.

Inter devictas gentes Mediam quoque esse vides, a qua *Medicus* non Marcus solum sed etiam Lucius dictus est (5). id sane Capitolinus (6) non omisit, quamquam in utriusque nummis frustra quaeres (7).

Ne mirere tribuniciae potestatis annum sextum et vicesimum M. Aurelio tribui, quum ille anno imperii decimo nono de vita decesserit. tribunicia enim potestate donatus est, ac simul imperio extra urbem proconsulari, multo ante, quam rerum potiretur (8).

(1) Buonarr. in praef. p. XI. et p. 324.
(2) in Aug. c. 52. n. 2.
(3) lib. 1. c. 29. n. 82.
(*a*) An. V. C. Varr. 925. Ut autem constet ratio temporum, scribendum est IMP. VI. nam sic coepit appellari Antoninus an. 924. quum esset TRIB. POT. XXV.
(4) in M. Ant. Phil. c. 15.
(5) v. Grut. p. 1009. n. 12.
(6) in Vero c. 7.
(7) Maff. ad eand. inscr.
(8) Capit. in Ant. Phil. c. 6.

XXXVIII. (Noris. C. P. diss. 2. c. 6.)

M · PAPIVS · M · F · L · MATRIVS · L · F ·
DVO · VIRI · I · D · (1)
SIGNVM · CONCORDIAE · EX · S · C · RESTITVENDVM
COERAVERVNT · (2) EIDEMQ · DEDICARVNT
ET · BASIM · GRADVM · ARAM · SVA · PECVNIA
FACIVNDA · COER · EIDEMQVE · PROBAVER ·
AD · III · EID · OCT · CN · DOMIT · C · ASINIO · COS · (3)

Tituli hujus marmor in agro Casinate repertum est. Signum Concordiae ea occasione restitutum putat Norisius, quum Octavianus atque Antonius triumviri reipublicae constituendae, juncta pace Romam ovantes rediere, et non urbem modo, verum etiam Italiam universam ingenti laetitia affecerunt.

Duoviri sive *Duumviri Iuri* aut *Iure dicundo*, qui summus Casini magistratus fuisse videntur, quum opus illud faciendum locavissent, absolutum ex veteri more probaverunt. his et Quatuorviris concessam in coloniis jurisdictionem, contra Gentilis (4) et Reinesii (5) sententiam, multis exemplis confirmavit Norisius (6).

Dedicare non idem est semper, quod *Consecrare*. si Deorum templa, arae, signa *Dedicata* dicantur, ea fere consecrata jure censeas (7): quod ad magistratum aut ad eum pertinebat, quem populus nominatim praefecisset (8), hac fere lege, ut pontifex adesset, qui verba praeiret (9). saepe autem in antiquis titulis *Dedicatae* dicuntur porticus, bibliothecae, theatra, thermae, statuae illustrium virorum et alia hujusmodi. haec consecrata ne dixeris; sed potius addicta aut aperta populo: id certe Plutarcho (10) est Αναδεικνυναι, sive revelare atque ostendere; quod sine celebritate non fiebat, ludis datis aut epulo aut sportulis, ut inscriptiones docent. idem est apud Svetonium (11) *statuas ducum triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicare*. idem apud Pollionem (12) *dedicare domum et Aurelianum adhibere convivio*. est etiam in lapide Narbonensi (13) mulier quaedam *Secunda* nomine, quae sepulcrum *sibi et viro suo Dicat*, quod idem profecto est ac *Destinat* sive *Adsignat*, quo post mortem utriusque corpus inferatur. ceterum veteres in operum publicorum dedicationibus sacris quoque operatos esse, non negaverim; quum illi nihil fere sine sacris inchoare solerent. vide de his plura, si libet, apud Mazochium (14) qui de Villalpandi penu multa protulit (15).

(1) I. D. *Iuri Dicundo*.
(2) Coeraverunt αρχαικως pro *Curaverunt*.
(3) An. V. C. Varr. 714.
(4) lib. 2. de Iurisd. c. 6.
(5) epist. 30.
(6) Cen. Pis. diss. 1. c. 3.
(7) Cic. pro Dom. c. 46. n. 121.
(8) idem ibid. c. 54. n. 139.
(9) Liv. l. 9. c. ult. n. 46.
(10) in Pomp. p. 647. A.
(11) in Aug. c. 31. n. 8.
(12) In trig. tyr. n. 24. c. 25.
(13) Maff. Ant. Gall. ep. 11.
(14) in titulum Campani Amphith. c. 3.
(15) t. 3. p. 1. l. 3. c. 27.

XXXVIIII. (Grut. p. 79. n. 5.)

GERMANICO · CAESARE
C · FONTEIO · CAPITONE CoS · (1)
SEIAE · FORTVNAE · AVG ·
SACR ·
SEX · FONTEIVS · Ↄ · L · (2) TROPHIMVS
CN · POMPEIVS · CN . L · NICEPHORVS
MAG · VICI
SANDALIARII · REG · IIII ·
ANNI · XVIII · D · D ·

Deam Seiam satis frumentis praepositam (3) veteres putaverunt, *Sejamque,* inquit Plinius (4), *a serendo, Segestam a segetibus appellabant: quarum simulacra in circo videmus*. haec fortasse eadem ac *Seja Fortuna,* cui aedem rex Servius sacraverat eam, quam deinde Nero aurea domo complexus est (5). *Sejam* certe a Seia gente appellatam non puto: cognomina enim Diis imposita, nomini eorum subjiciuntur: sic in antiquis marmoribus occurrunt *Ceres Orciliana, Diana Planciana, Fortuna Flavia, Pluto Nervianius* et hujusmodi (6).

Spatium urbis, inquit Svetonius (7), *in regiones vicosque divisit* (Augustus) *instituitque, ut illas annui magistratus sortito tuerentur, hos magistri e plebe cujusque viciniae electi*. quo autem anno haec Augustus constituerit, inscriptionis hujus testimonio constat. nam si Trophimus et Nicephorus vici magisterio fungebantur anno ab institutione decimo octavo, quum Germanicus et Fontejus consules essent; qui primi magisterium adepti sunt, pertinent ad annum v . c . DCCXXXVIII. C. Antistio Vetere, D. Laelio Balbo Cos.

Vicum Sandaliarium Victor quoque in regione quarta posuit, quo in vico Augustus Apollinem Sandaliarium dedicaverat (8). nominis originem ab opificibus repete, qui in eo vico sutrinam faciebant. est enim Hesychio sandalium γυναικειον ὑποδημα: itaque Gnatho ille apud Terentium (9) maxime optat, ut Thrasoni Thais ad se venienti sandalium in caput impingat:

Vtinam tibi commitigari videam sandalio caput!

(1) Ann. V. C. Varr. 765.
(2) Ↄ. L. *Caiae Libertus.*
(3) Augustin. de C. D. l. 4. c. 8.
(4) H. N. l. 18. c. 2.
(5) idem l. 36. c. 22. n. 46.
(6) Fabr. Col. Traj. c. 8. p. 247. Spon. Misc. p. 103. etc.
(7) in Aug. c. 30. n. 1. vide infra inscr. 49.
(8) Svet. in Aug. c. 57. n. 5.
(9) Eunuch. 5. 7. 4.

XXXX. (Maff. M. V. p. 471. n. 2.)

CN · FLACCVS · Q · FVL · F · DE
CVMAM · PARTEM · HERCV
LI · ET · PRO · REDITV · FELI
CISSIMO · EX · AFRICA · VI
BI · FRATRIS · ET · PRO · SAL ·
PETINAE · MATRIS · SIGNA
AVREA · FORTVNAE · PRAEN ·
ET · FERONIAE · SANCTIS
SIMAE · D · D · T · VINIO · COS · (1) (*a*)

Cn. Flaccus Q. Fulvii filium se dixit, ut gentem suam manifestaret, distingueretque se ab alio aliquo Cn. Flacco non ejusdem gentis: nam et Avilii et Calpurnii et Flavii et Turii et Horatii et Hordeonii et Pomponii et Verrii et alii fortasse praeter Fulvios cognomento Flacci dicti sunt. at quanto illud commodius, *Cn. Fulvius Q. F. Flaccus?* quod tamen quum respuerit, veniebat in mentem, hunc Cn. Flaccum in Vibiam gentem adoptione migrasse, ex qua sane nominat Vibium fratrem: itaque *Q. Fulvii F.* idem esse ac *Fulvianum*, ut olim qui ex gente Aemilia in Corneliam adoptione transierat, appellatus est Aemilianus, qui ex Octavia in Iuliam, Octavianus.

Ergo Cn. Vibius Flaccus Fulvianus pro fratris reditu et salute matris decumam partem Herculi dedit, e fructibus scilicet praediorum: nam horum maxime decimam dedicare Diis, mos erat (2). sic autem saepe dedicabant, ut honorem Dii, populus fructum ferret. nam et Sulla dictator, quum Herculi decimam totius patrimonii sui consecrasset, splendidum ex ea epulum populo dedit (3). at Vibius contra, religioni obsequens, pecuniam redigere maluit, ex eaque signa facere aurea, quae donum Herculi daret, ipsarum nempe Dearum Fortunae et Feroniae parvula, ut opinor, simulacra.

Neque vero primus hunc ille morem induxit. signa sive deorum sive hominum dicare Diis atque in templis statuere, vetus consuetudo fuit Graecorum ac Latinorum. Platonis exempli caussa effigiem Musis in Academia consecrasse dicitur Persa Mithridates cum titulo (4), Μιθριδατης ὁ Ῥοδοβατου Περσης Μουσαις εικονα ανεθετο Πλατωνος, ἣν Σιλανιων εποιησε. Romae in ipsa Iovis Capitolini cella imaginem Africani majoris positam esse, scripsit Valerius Maximus (5), *quae*, inquit, *quotiescumque funus aliquod Corneliae genti celebrandum est, inde petitur: unique illi instar atrii Capitolium est.* signum vero Minervae a Tullio dedicatum in Capitolio, narrat Plutarchus (6) cum titulo ΑΘΗΝΑ · ΡΩΜΗΣ · ΦΥΛΑΚΙ; quae Tullius ipse testata reliquerat: qui eam urbis custodem ex sua domo in ipsius patris domum, hoc est in Iovis Capitolini aedem se detulisse dicit (7). adde huic Plinium iuniorem (8), adde quae Dionysius (9) de Romulo, et Strabo (10) de Augusto tradunt.

Data dona sunt eo anno, quo consules fuere C. Sulpicius Galba Aug. et T. Vinius; sed nulla Galbae fit mentio: credo, ne id Othoni Aug. displiceret. nam si Gal-

(1) An. V. C. Varr. 822.
(*a*) At Caj. Mariui Frat. Arv. p. 344. putat ad alium annum pertinere hanc inscriptionem.
(2) Liv. l. 5. c. 15. c. 25. Tomasin. de Donar. c. 4.
(3) Plutarch. in Sull. p. 474. 4.
(4) Laert. in vit. Plat. p. 180. segm. 25.
(5) lib. 8. c. 15. n. 1.
(6) in v. M. Tull. p. 876. F.
(7) de leg. l. 2. c. 17. n. 42.
(8) lib. 3. epist. 6.
(9) lib. 2. Antiq. c. 68.
(10) Geogr. l. 14. p. 657.

bae nomen ideo est praetermissum, quia jam occisus esset, Vinius quoque (1) eodem die interfectus fuerat. quem Othoniani scilicet, occiso Galba, primum invaserant, conscium scelcris, inquit Tacitus, cujus caussa erat.

Inscriptio in acrea tabella incisa est, quam in Latio repertam et a Vignolio vulgatam, adscripsit Maffejus.

XXXXI. (Maff. M. V. p. 82. n. 2.)

CLAVDIA · ATTICA
ATTICI · (2) AVG · LIB · A · RATIONIBVS
IN · SACRARIO · CERERIS · ANTIATINAE
DEOS · SVA · IMPENSA · POSVIT
SACERDOTE · IVLIA · PROCVLA
IMP · CAESAR · DOMITIANO
AVG · GERMANIC · $\overline{XI}$ · COS · (3)

Claudiae vir ratiocinator Caesaris erat, ipsa sacris dedita, sacrariumque Cereris, quae fortasse Antii religiose colebatur, signis Deorum auxerat. exaedificato enim sacrario, exstructisque, ut arbitror, statuarum loculamentis, nemo statuas collocaverat. est autem sacrarium non modo locus sacrae supellectili adservandae, sed etiam aedicula sive Lararium et privatum et publicum. Sacrarium Bonae Deae nominat Tullius (4), Sacrarium Augusti Svetonius (5). id fortasse in angulo praetorii erat, libertorum Aug. Lararium. Antii certe otiari Romani Principes et civilibus occupationibus se relaxare solebant (6): iisque cum tota cohorte et familia excipiendis magnificae ibi aedes erant, quas et Augustus et Tiberius et Cajus celebraverant; Nero autem et coloniam deduxerat, et portum operis sumptuosissimi fecerat (7): ceterum Domitianus Albanum suum (8), Antio posthabito, coluisse videtur.

In Cereris sacris illud singulare fuit, Graecas ad ea facienda mulieres semper esse delectas, civitatemque iis datam, *ut Deos immortales*, inquit Tullius (9), *scientia peregrina et externa, mente domestica et civili precarentur. has sacerdotes*, addit idem, *video fere aut Neapolitanas aut Velienses fuisse, foederatarum sine dubio civitatum. mitto vetera: proxima dico: ante civitatem Veliensibus datam, de senatus sententia C. Valerium Flaccum praetorem urbanum nominatim ad populum de Calliphana Velieuse, ut ea civis Romana esset, tulisse.*

Sed haec de sacerdote publica statuta dixerim, non vero de privatis aut ad sacraria Principis pertinentibus, ne Iuliae Proculae Romana origo in controversiam adducatur.

(1) Tac. hist. l. 1. c. 42.
(2) Vxor Attici etc. vid. inscr. 52.
(3) An. V. C. Varr. 838.
(4) pro Mil. c. 31. n. 86.
(5) in Aug. c. 5. n. 1.
(6) Strabo lib. 4. p. 160.
(7) Sveton. in Ner. c. 9. n. 5.
(8) idem in Domit. c. 4. n. 12.
(9) pro Balb. c. 24. n. 55.

XXXXII. (Oderic. Syll. p. 303. n. 1.)

IOVI · OPTIMO · MAXIMO · ET · IVNONI · REGINAE
MINERVAE · AVG · ET · GENIO · LOCI · IPSIVS
T · FLAVIVS · T · F · QVIR · VESTINVS · CVM · T · FLAVIO
VESTINO · FILIO · SVO · AEDE
VETVSTATE · DILAPSA · A · SOLO · EX · VISO · SVA · PECVNIA
REFECERVNT · DEDICATA
IMP · CAES · HADRIANO · ANTONINO · AVG · PIO · II ·
ET · C · BRVTTIO · PRAESENTE · COS · (1)

Qui titulum posuere, Graecorum potius morem quam Romanorum expressisse mihi videntur. post Iovem enim appellatur Iuno, deinde Minerva; quum haec in Capitolio a dextra Iovis staret, Iuno a sinistra (2): apud Graecos vero, versa vice, Minervae laevum latus tributum, Iunoni dextrum, Pausanias scripserit (3). tres porro hi Dii, quibus additus est Genius loci, ex eorum numero sunt, qui Συνναοι, Συμβωμοι, Συνεδροι ac Συνθρονοι etiam in lapidibus Graecorum nominantur; quod nempe communia haberent templa, communes aras, communes sedes (4). templum hujusmodi commune Cereri, Libero ac Liberae memorat Livius (5): in veteri inscriptione (6) Antinous dicitur Συνθρονος των εν Αιγυπτῳ θεων, sive consessor Deorum Aegyptiorum: apud Diodorum vero (7) Philippus Macedo credi voluit Συνθρονος τοις δωδεκα θεοις.

Refecerunt pro *Refecit:* poëtae veteres non aliter aliquando loquuti: Ovidii illa sunt (8):

Litora cum plausu clamor superasque Deorum
Implevere domos.

XXXXIII. (Grut. p. 73. n. 9.)

FORTVNAE · AVG · SAC ·
PRO · SALVTE · ITV · AC
REDITV · DD · NN ·
M · AVR · ANTONINI · PII
AVG · ET · P · SEPTIMII
GETAE · NOBILISS · CAES ·
CIV · BATAVI
FRATRES · ET · AMICI · P · R · (9)
V · S · L · M ·

Votiva haec tabella, in qua Antoninus Caracalla appellatur Augustus, jam a bello Parthico posita videri possit, quod Severus susceperat anno Varr. DCCCCLIII. ob ejus

(1) An. V. C. Varr. 892.
(2) Fabr. Col. Tr. p. 78. et in Add.
(3) lib. 10. p. 616.
(4) Spanhem. diss. 10. p. 130.
(5) lib. 3. c. 26. n. 55.
(6) Grut. p. 86. n. 1.
(7) lib. 16. p. 559.
(8) Metam. lib. 4. v. 734.
(9) P. R. *Populi Romani.*

siquidem belli felices exitus *etiam filium ejus*, inquit Spartianus (1), *Bassianum Antoninum, qui Caesar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem imperii dixerunt milites: Getam quoque minorem filium* Caesarem *dixerunt:* quem hic Batavi, quod eum quoque pater Severus successorem sibi designaverat, non jam *Principem Iuventutis*, ut veteri appellatione in nummis dictus fuerat, sed *Nobilissimum Caesarem* nominant, quo titulo, ut putat Spanhemius (2), primus ex Augustorum filiis, quibus deinde vulgo tributus est, ornatus fuit.

Ceterum quia inscriptio Severi nomen non refert, qui semper cum filiis ad bella profectus videtur, hanc mihi ad ea tempora referri placebat, quibus illi, mortuo Severo, Romam ex Britannia rediernnt. haesi tamen ad Getae titulos: nam et hunc anno ante Severi mortem *Augustum* appellatum, docet nos cum Harduino Spanhemius (3). quin ab Herodiano (4) e Britannia ambo solvisse dicuntur pari honore, τα της βασιλειας αμφοτεροι διοικουντες εν ὁμοτιμῳ αρχῃ· sed quum tradat idem, Caracallam muneribus ac promissis adhortatum esse duces, persuaderent militibus, uti se unum Imperatorem renunciarent, αποδειξαι μονον αυτοκρατορα, hujus fortasse opera factum est, ut Batavi Getam Aug. repudiarent: nisi hoc mavelis, in tabella voti sui tempus designare eos voluisse, quo Geta nondum Augustus dictus fuerat.

Domini appellationem ut maledictum et opprobrium exhorruisse Augustus dicitur, Tiberius pro contumelia habuisse (5): at sibi adrogarunt Cajus (6) et Domitianus (7), non respuit Trajanus (8): quique hunc consequuti sunt Principes, fere omnes aequi bonique fecerunt, praeter Severum Alexandrum, qui *Dominum* se appellari, omnino vetuit (9). ceterum antiquis in lapidibus id vocabulum vix ante Septimii Severi aevum apparet; in nummis vero a Gallieni tempore primum occurrit: quod quidem tamdiu a Principe repudiari par erat, quamdiu Pater Patriae dici maluisset: quippe, ut in epistola ad Atticum scripsit M. Brutus (10), *Dominum* majores ne parentem quidem esse voluerant.

Batavi Fratres Populi Romani? tam inepte, inquit Maffejus (11), *haud loquuntur marmora: et apud scriptores quoque* Socios *appellari ceteros populos passim videatur;* Fratres *numquam*. atqui apud Caesarem legimus (12), *Aeduos fratres consanguineosque saepenumero ab Senatu appellatos:* et Ariovistum minantem Aeduis iisdem, nisi in eo manerent, quod convenisset, stipendiumque quotannis penderent (13), *longe iis fraternum nomen populi Romani abfuturum*. ipse autem Ariovistus *Rex atque Amicus populi Romani appellatus* (14) dicitur. nulla igitur caussa erat, cur hunc titulum Maffejus pro confecto haberet.

(1) in Sev. c. 16.
(2) Diss. 12. p. 358.
(3) ibid. p. 376.
(4) lib. 3. c. 15. *imperium ambo pari honore administrantes.*
(5) Svet. in Aug. c. 53. n. 1. in Tib. c. 27. n. 2.
(6) Aur. Vict. Epit. et de Caes. c. 3.
(7) Id. ibid. c. 11. Svet. in Domit. c. 13. n. 4.
(8) Plin. lib. 10. in epist. ad Trajan.
(9) Lampr. in Alex. c. 4.
(10) Epist. 17. Cic. ad Brut.
(11) Ar. Cr. L. lib. 3. c. 4. p. 284.
(12) B. G. l. 1. c. 17. n. 33.
(13) ibid. c. 18. n. 36. v. et Tac. Ann. l. 11. c. 25.
(14) Caes. B. G. l. 1. c. 18. n. 35.

XXXXIIII. (Fabr. p. 434. n. 14.)

DEDICATA
III · NON · IAN ·
AEMILIANO · II · ET · AQVILINO · CoS · (1)
P · SERGIO · MAXIMO
M · LOLLIO · SABINIANO
II · VIR · Q · Q · (2)
CVRA · AGENTE
VEIENTIO · IANVARIO · LIB · ARK · (3)

VICTORIAE
AVGVST·
SACRVM
RESTITVTAE · POST · ANTI
QVISSIMAM · VETVSTA
TEM
ORDO · VEIENTIVM

Hic titulus arae frontem ac dextrum latus implet, et signum Victoriae Aug. a Vejentibus restitutum declarat. praeter diem autem dedicationis atque ejus anni consules, ipsi etiam Municipii Duumviri Quinquennales nominantur, quos a Duumviris Iuri dicundo distinguas, velim. erat enim Quinquennalitas nil aliud, quam Censura municipalis: munera quippe et magistratus eadem fere in municipiis erant, quae Romae, nomina licet non eadem. in his enim Senatus *Curia*, Senatores *Decuriones*, Consules *Duumviri*, Censores *Quinquennales* appellabantur: quamquam exempla quaedam invenies, quae Municipales in Romana nomina aliquando invasisse doceant.

Iam vero Quinquennales vel duo vel quatuor creabantur, qui et Duumviri et Quatuorviri Quinquennales dicti sunt. sed si quis II · VIR · I · D · QVINQVEN. nominetur, hic binos magistratus gessisse putandus est, Duumviratum et Quinquennalitatem (4). illud tamen dubium est, num idem de iis sentiendum sit, qui *Pontifices* aut *Flamines Quinquennales* dici videntur. dividit eas voces Norisius (5), et duo munera facit: Olivierus conjungendas putat, et temporarium fuisse aliquando et Pontificatum et Flaminium ostendit: in quo quidem ei facile assentior, sic tamen, ut *Quinquennales* nomen ubique, non appositum esse, cum Norisio credam.

Addo, Quinquennales suos fuisse interdum et Collegiis, quod Gothofredus monstravit (6), et inscriptiones declarant: ut quae infra sunt CCLXXX. et CCCXXVIII.

Qui autem Municipii Quinquennalitate functi essent, Quinquennalicii audiebant. ii magistratum in quinquennium sive lustrum (7) gessisse putantur: sed apud quosdam annuum fuisse, inscriptio inter Pisaurenses XXVIII nos docet: ut idem magisterium in collegiis perpetuum aliquando fuisse, plane constat (8). munera porro Quinquennalium fuere, I. Censum agere ex formula ab Romanis censoribus data, censoriasque tabulas conficere (9). II. Curiam legere et Decurionum nomina in albo proponere (10). III Operum publicorum curam administrare (11): quae omnia Romae etiam ad censores pertinebant. iidem multae dictionem habebant (12), itaque et fasces his insignia jurisdictionis praeferebantur (13).

Cura interdum idem est ac *Curator:* sic Valerianus Aug. (14) in epistola ad Zosimionem procuratorem Syriae dari Claudio jubet *Curam Praetorii* unum. hic *Cura*

(1) An. V. C. Varr. 1002.
(2) *Duumviris Quinquennalibus*.
(3) *Liberto Arkario*.
(4) Olivier. Marm. Pisaur. in not. ad Inscr. 28.
(5) Cen. Pis. diss. 1. c. 5.
(6) in comm. ad l. 7. tit. 3. lib. 14. C. Th.
(7) v. inscr. 114.
(8) v. inscr. 329.
(9) Liv. lib. 29. c. 15. n. 15. et Tab. Heracl. Mazoch. p. 455.
(10) Fabr. Inscr. cap. 9. n. 9.
(11) Don. cl. 2. 17.
(12) l. 1. tit. 3. lib. 3. C. H.
(13) Apul. lib. 10. Metam.
(14) Poll. in Claud. c. 14.

Agente idem prope videtur, ac *Curam Agente*, ut antiquiores scribebant (1). apud eundem Fabrettum leges quoque *Cura Agentibus* (2): quod Boldonius mendum esse putavit (3). vide inscr. CCCXVI.

Libertus Arcarius is est, cui Arcae sive aerarii municipalis custodia credita erat (4). at cujus, inquies, libertus censendus est Ianuarius? omnino municipii Vejentis, ut nomen indicat, publicaque auctoritate manumissus, postquam servus publicus fuisset. eam consuetudinem omnium primus sibi visus est adnotasse Fabrettus (5), cui Maffejus quoque adsentitur (6). sed utrumque Varronis fugit locus ille insignis (7): *Alii nomina habent ab oppidis, alii aut non habent, aut non, ut debent, habent; habent plerique libertini a municipio manumissi*. de ipsis Veiis dicemus capite sexto, inscr. CCCVIIII.

XXXXV. (Donat. Suppl. Murat. Cl. 1. p. 58. n. 8.)

DEAE · AVENTIAE
ET · GENIO · INCOLAR ·
T · IANVARIVS
FLORIANVS
ET · P · DOMITIVS
DIDYMVS
CVRATORES · COL · (8)
EX · STIPE · ANNVA
ADIECTIS · DE · SVO
HS · $\overline{N}$ · $\overline{I}$ · D · (9)

Deam Aventiam in duobus saxis se legisse, obiter narrat Hagembuchius (10), additque, *sive Aventicum Helvetiorum Deae Aventiae, sive Dea Aventia oppido Aventico, gentis Helvetiae olim capiti, nomen dederit*. ipsum oppidum Coloniam fuisse, titulus declarat, et aliis exemplis confirmavit Cellarius (11).

Curatores Coloniae, quum stipem a populo unius anni spatio collatam numerassent, adjectis de suo sestertiis nummis mille quingentis, opus aliquod aut donarium Deae Aventiae consecrarunt. sic etiam Metellum de stipe, quam populus contulerat, delubra Romae fecisse, tradit Ovidius (12): eundemque morem stipis dandae indicat Varro (13): *Diis*, inquit, *quum thesauris asses dant, stipem vocant:* quo loco *thesauri*, ut vides, sunt ipsae arcae, in quas populus stipem mittebat. thesaurum hujusmodi fuisse arbitror in ea fori parte, quae etiam post terram eo congestam solumque exsiccatum *Lacus Curtius* vocabatur, in quem, ut a Svetonio accepimus, omnes ordines quotannis ex voto pro salute Augusti stipem jaciebant (14). in legibus autem, quas Tullius privata auctoritate scripsit, ea quoque est (15) *Praeter Idaeae Matris famulos, eosque justis diebus, ne quis stipem cogito:* de qua lege hanc subinde rationem

(1) Grut. p. 1081. n. 2.
(2) p. 723. n. 441. et in Mus. Ver. p. 253. n. 8.
(3) lib. 2. p. 193.
(4) Reines. 3. Var. 16. et ad Inscr. p. 431.
(5) pag. 434. E.
(6) M. V. p. 83. n. 1.
(7) de L. L. l. 7. in fin.
(8) COL. *Coloniae*.
(9) *Sestertiis nummis* 1500. v. Inscr. 121. et l. 3. c. 10. §. 1.
(10) Epist. epigr. p. 71.
(11) l. 2. c. 3. sect. 1. n. 36.
(12) Fast. l. 4. v. 350.
(13) de L. L. lib. 4. sub fin.
(14) in Aug. c. 57. n. 4.
(15) de leg. l. 2. c. 9. n. 22.

affert (1): *Stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus: implet enim superstitione animos, et exhaurit domos.* stipem Idaeae Matris non a Romanis collectam, sed a Phrygii generis viro et muliere, qui ejus Deae sacerdotio fungebantur, auctor est Dionysius Halicarnasseus (2).

XXXXVI. (Murat. p. 13. n. 1.)

IOVI · OPTIMO · MAXIMO
ET · BONAE · DEAE · SACRVM
LVCIVS · NEVIVS · LVCII · FILIVS · TITIANVS
AEDILIS · CVRVLIS · IIII · VIR · IVRE
DICVNDO · PATRON · MVNICIPI · ARAM
VETVSTATE · LAPSAM · SOLO · PVBLICO
SVMPTV · PVBLICO · FECIT
L · D · D · D · (3)

Titianus, qui patronus municipii dicitur, Aedilis etiam et Quatuorvir appellatur. sed aedilitate Romae, quatuorviratu in municipio functum existimo. nam Aediles quidem et in municipiis fuere, ut Arpini, Novariae, Arretii, Vlubris (4) sed non curules: *summi* potius appellabantur (5): si quidem Aedilitas summus esset magistratus.

Noli autem mirari, qui Romanos magistratus attigisset, quique patronus esset municipii, ab eo repudiatum non esse quatuorviratum municipalem. eos enim magistratus gratificandi caussa accipiebant, quum id sibi municipes honori et laudi verterent. itaque non modo Annius Milo dictator Lanuvii fuit (6), et Tulliorum Marci et Quinti filii Aediles Arpini (7): neque enim unum summi magistratus nomen in municipiis erat; sed ipsi Caesares Imperatoresque honores ejusmodi a municipibus delatos non inviti acceperunt. Tiberio certe Caesari, tum fortasse quum Rhodiorum in insula degeret, a Nysaeis, qui in Caria sunt, bis supremum urbis suae magistratum delatum esse, apparet ex Froelichi nummo (8), in quo ille appellatur Γραμματευς το Β Νυσαιων eo nempe nomine quaedam Asiae civitates praefectum urbis significabant (9). quin ipse etiam Hadrianus Aug., uti a Spartiano traditum est (10), *in Hetruria* Praeturam *Imperator egit: per Latina oppida* Dictator *et* Aedilis *et* Duumvir *fuit: apud Neapolim* Demarchus: *in patria sua* (11) Quinquennalis: *et item Adriae* Quinquennalis *quasi in alia patria: et Athenis* Archon *fuit:* in singulis scilicet urbibus summum gessit magistratum, quem alii alio nomine appellabant.

Quid, si Titianus ante Quatuorvir in patria fuerit, quam Romae Aedilis? nam qui urbanos magistratus cogitabant, honoribus municipalibus antea fungi solebant, qui tamquam gradus quidam erant ad rempublicam capessendam: saepe autem, ut alibi ostendemus, qui magistratus omnium ultimi capti essent, eos in titulis primo loco, extremo contra qui primi fuissent, veteres recensebant.

Adscriptum extremo versu, locum a Decurionibus datum esse; ut omnia scilicet

(1) de leg. l. 2. c. 16.
(2) Ant. Rom. l. 2. p. 91.
(3) *Locus Datus Decreto Decurionum.*
(4) Cic. l. 13. fam. ep. 11. Svet. de Cl. Rh. c. 6. n. 1, Pers. sat. 1. v. 130. Iuven. sat. 10. v. 103.
(5) idem sat. 3. v. 179.
(6) Cic. pro Mil. c. 10. n. 27.
(7) idem l. 13. fam. ep. 11.
(8) Tentam. in R. N. p. 155.
(9) Act. Apost. c. 19. v. 35.
(10) Hadr. c. 19. Grut. 421. 1. Trebell. Gallien. c. 11.
(11) Italicae in Baetica.

rite ac Romano more institutoque perfecta viderentur. quippe Romae, si quid in loco publico injussu populi dedicatum esset, sacrum non habebatur (1).

XXXXVII. (Grut. p. 19. n. 6. at hic emendatior ab autogr.)

PRO · SALVTE
COLONIAE · ET · ORDINIS
DECVRIONVM · ET · POPVLI
TVDERTIS · IOVI · OPT · MAX ·
CVSTODI · CONSERVATORI
QVOD · IS · SCELERATISSIMI · SERVI
PVBLICI · INFANDO · LATROCINIO
DEFIXA · MONVMENTIS · ORDINIS
DECVRIONVM · NOMINA
NVMINE · SVO · ERVIT · AC · VINDI
CAVIT · ET · METV · PERICVLORVM
COLONIAM · CIVESQVE · LIBERAVIT
L · CANCRIVS · CLEMENTIS · LIBERTVS
PRIMIGENIVS
SEXVIR · AVGVSTALIS · ET · FLAVIALIS
PRIMVS · OMNIVM · HIS · HONORIBVS
AB · ORDINE · DONATVS
VOTVM · SOLVIT

Non multum in istis rebus intelligunt, qui, ut servi hujus facinus explicent, nescio quod veneficium comminiscuntur (2), quo sagae olim obligare aliquem volentes, imaginem ejus ceream effingebant, vel nomen in cera notabant, additis carminibus et devotionibus. id ne enim est *Defigere monumentis ordinis decurionum nomina?* cerea ne sunt *monumenta ordinis?* ecquod igitur, inquies, servi illius maleficium fuit? rem paucis expediam.

Quum in curia Tudertium inter cetera ordinis sive senatus illius monumenta album quoque, in quo descripta erant nomina decurionum, de more prostaret; servus ille publicus, vel quod, aerea tabula sublata, se divitem fore speraret, vel potius quod decurio aliquis, non eo, quo volebat, ordine scriptus aut etiam expunctus, ipsum promissis ad furtum impulerat; facinus clam aggressus, album decurionum defixit, hoc est detraxit, refixit: nam idem est aliquando *Defigere*, quod *Detrahere* aut *Refigere* (3). defixum porro, ut tuto lateret, humi abdidit. factum est autem, ut a Primigerio reperiretur, Iove, ut putabat, monstrante: ideirco decuriones libertum hunc primum e libertinis Sevirum Augustalem et Flavialem fecerunt, gratiae nempe referendae caussa; quippe, albo per eum restituto, hoc nacti erant, ut iterum cujusque honores et in decurionum ordine gradus in publico monumento legi possent: quod ad familiarum de-

(1) Cic. pro D. S. c. 53. n. 136. ex Ovid. 3. Amor. el. 7. v. 29.
(2) Forcellin. V. *Defigo* et *Defixus*. (3) Curius ad Tull. Fam. l. 7. ep. 29.

cora, atque ad colonorum civiumque concordiam maxime intererat. albi exemplar invenies apud Fabrettum (1), ex lamina aenea, quae Canusii reperta est. initium ejus hoc est: L . Mario . Maximo . II . L . Roscio . Aeliano . Cos . (2) M . Antonivs . Priscvs . L . Annivs . Secvndvs . II . Vir . Qvinqvenn . Nomina . Decvrionvm . In . Aere . Incidenda Cvravervnt. nomina deinde subscripta sunt Decurionum Canusinorum hoc ordine, ut prima classis inscribatur *Patroni CC. VV.* (3) secunda vero *Patroni EE. QQ. RR.* (4) tertia *Quinquennalicii*, quarta *Allecti inter Quinquennalicios*, quinta *II. Viralicii*, sexta *Aedilicii*, septima *Quaestoricii*, octava *Pedani*, nona *Praetextati*. hinc facile, opinor, intelligis, cur, restituto albo, colonia civesque metu periculorum liberati esse dicantur: nam eo certe conflato, quas non turbas concivisset nova decurionum descriptio, altiorem plerisque gradum, ut fit, sibi vel immerito vindicantibus?

Votum denique Iovi, si album decuriorum inventum esset, ideo a Primigenio potissimum factum esse puto, quod is monumentorum publicorum custos esset, non secus atque Vejentius Ianuarius (5) arcae publicae fuit: recte item Iovi factum, vindici violatae Fidei, quam veteres in Capitolio vicinam ejus esse voluerant (6).

Album autem minime haesitans tabulam ex aere fuisse affirmavi: quippe id verba ex Canusina inscriptione desumpta suadebant; quibus addenda est formula illa apud Muratorium (7) *In Tabulam In Album Referunda*, qua scilicet ἐν δια δυσιν significatur. scio tamen placuisse Winchelmanno sententiam eorum, qui *Album* parietem esse dealbatum contendunt, in quo edicta maxime scribebantur; quod cum Plauti versu confirmant, ubi ait (8):

Qui hic albo pariete aliena oppugnant bona:

tum vero luculento plane testimonio, quod nempe vetus Pompeiis porta detecta sit cum pariete dealbato, et quibusdam inscriptionum vestigiis: ad portas autem alicubi et praetoris tribunal fuisse constet. sed ne hoc quidem dari potest, Album ipsum Praetoris non aliud ubique fuisse, quam parietem dealbatum, in quo edicta descripta essent: nam Vlpianus, ut adnotavit Gravina (9), diserte distinguit *Album sublatum* ab *Albo corrupto* his verbis (10), *Hoc edicto tenetur et qui tollit, quamvis non corruperit.*

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

XXXXVIII. (Fabr. p. 691. n. 126. Grut. p. 44. n. 3.)

SIGNVM
HERCVLIS
DORVS · LARO
DISP · QVI · ANTE · VILICVS
HVIVS · LOCI
D · D ·

(1) p. 599. n. 9.
(2) An. V. C. Varr. 976.
(3) CC. VV. *Clarissimi Viri*.
(4) EE. QQ. RR. *Equites Romani*.
(5) Inscr. 44.
(6) Cic. de Off. l. 3. c. 29. n. 104.
(7) p. 582. tab. c. §. 5.
(8) Pers. Act. 1. sc. 2. v. 21.
(9) de O. et P. I. C. n. 38.
(10) L. 7. D. de Iurisd. §. 5.

Ex vilico Dispensatorem se factum, docet nos Dorus, οἰκονόμον nempe, qui domini rationes et pecuniam et omne patrimonium curaret (1). sed nihil addit de domino; aut, si libertus fuit (2), de patrono: credo, quia id ex loco ipso constabat, in quo signum Herculis posuisset; nam in ipso, opinor, domini sui Larario dedicarat, quod rure excitatum vilicus religiose coluerat. errare autem Fabrettum, quod Dispensatorem agnoscat neminem, nisi servilis conditionis, ostendit Hagenbuchius (3), eoque munere functos esse et libertos et claros cives, saltem in domo Augusta: quorum tu quae officia, quae partes essent, videsis apud Statium (4) accurate singula describentem.

XXXXVIIII. (Grut. p. 129. n. 2.)

AEDICVLAM
ET · BASIM · MAGISTREI
DANT
M/ · AIMILIVS · M/ · F · (5)
M/ · OFELLIVS · M/ · F ·
P · MAMMIVS · P · F ·

Quae inscriptiones post virorum nomina non habent cognomina, eas Fabrettus (6) pro antiquissimis habet: quia vetustiores Romani cognominibus carebant; quae tum usurpari coepta sunt, quum ex eadem gente plures familiae existere coeperunt. ex earum porro inscriptionum numero haec profecto habenda est, quam scriptura quoque vetustam declarat. Aquini esse dicitur in Campania: quod quidem oppidum Colonia (7) fuit: itaque Duumviros potius pro magistratibus, quam magistros, habere debebat, qui pagorum et vicorum erant. sed eo fortasse lapis ab urbe, ut alio alii bene multi, translatus est, atque ad vicorum in urbe magistros pertinet. id vero si ita est, non ideo de ejus antiquitate detractum a me quidquam putes, quod ad inscr. xxxviiii. scripserim, Augustum instituisse, ut magistri e plebe electi vicos tuerentur. nam urbis quidem tuendae causa, ni fallor, neque novos magistratus neque novos magistros instituit Augustus; sed regiones tantum et vicos descripsit, illasque annuis magistratibus, praetoribus nempe, aedilibus, tribunis plebis; hos vero magistris, qui a majoribus instituti fuerant, adsignavit, ut suam quisque ditionis partem tueretur. vicorum enim magistros in urbe ante Augustum fuisse, satis liquet ex L. Valerii tribuni pl. oratione apud Livium (8) contra legem Oppiam. *Hic Romae*, inquit, *infimo generi* Magistris vicorum *togae praetextae habendae jus permittemus:* item ex Asconio de collegiis a Clodio restitutis scribente, cujus haec sunt verba (9): *Solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut* magistri vicorum *faciebant Compitalitios praetextati.*

Ceterum descriptis ab Augusto regionibus, auctoque vicorum numero, magistrorum quoque collegia crevisse, non negaverim: ac tum fortasse, quum singula magistris tribus constarent, ut haec inscriptio ostendere videtur, e duobus tantum facta esse, quemadmodum tricesima nona demonstrat: eaque de caussa ab institutione Augusti no-

(1) Svet. in Vesp. c. 22. n. 5. Fabr. Inscr. c. 4. p. 293.
(2) Murat. p. 9. n. 8.
(3) Epist. epigr. p. 161.
(4) l. 3. silv. 3. v. 86.
(5) *Manius* etc. *Manii Filius.*
(6) cap. 3. p. 240.
(7) Tacit. Hist. l. 2. c. 63.
(8) lib. 34. c. 2. n. 7.
(9) in c. 4. orat. in Pison.

vos veluti fastos inchoatos, et annos inde numeratos esse, sed Hadriani Aug. aetate singulis vicis magistros praefuisse quaternos, Gruteriana inscriptio demonstrat (1). (*a*)

L. (Fabr. p. 689. n. 106.)

VMBRARVM · AC · NEMO
RVM · INCOLAM
FERARVM · DOMITRICEM
DIANAM · DEAM · VIRGINEM
AVXENTIVS · V · C · VBIQVE
PIVS · SVO · NVMINI · SEDI
QVE · RESTITVIT

Senatores in titulis a M. Aurelii aetate *Viros Clarissimos* primum appellari videmus (2): subinde conjuges ipsae senatorum *Clarissimae* dictae sunt (3). senatorum autem non multo post tres veluti ordines facti: quorum primus fuit *Virorum Illustrium*, alter *Virorum Spectabilium*, tertius *Virorum Clarissimorum* (4). primi demum post Clarissimos extra senatum instituti sunt equitibus digniores *Viri Perfectissimi*, infra hos vero *Viri Egregii* (5): quos honores codicillis Principes concedebant (6).

Dianam numini suo sedique restituisse dicitur Auxentius, quod statuam ejus, quae fortasse neglecta in angulo aliquo jacuerat, postquam poliendam aut reficiendam curasset, in veteri aede sua rite collocarat. Deorum enim statuae divino numine compleri putabantur, simul atque in templis dedicatae essent (7).

LI. (Torrem. Inscr. Sic. Cl. 2. n. 6.)

ANNIA · ZOSIMA
VOTVM
LVCERNAM

Lucernis veteres usi sunt non domi solum et ad sepulcra, sed etiam in templis: *Placuere*, inquit Plinius (8), *et lychnuchi pensiles in delubris, aut arborum modo mala ferentium lucentes: qualis est in templo Apollinis Palatini; quod Alexander Magnus Thebarum expugnatione captum in Cyme dicaverat eidem Deo*. non igitur ineptum Diis donum attulit Zosima.

Illud etiam veteribus usitatum fuit, ut principum natalitiis et festis Deorum sollemnibus lucernas sub noctem in fenestris accenderent ad urbem illuminandam: quod a Persio traditum est (9).

Materia lucernarum universa, inquit Passerus (10), *fusilis, coctilis, sculptilis: aeneas lucernas in museis frequentissime intuemur: aureas et argenteas legimus tantum apud scriptores*.

(1) p. 249. n. 8.
(*a*) Legenda omnino quae de magistris vicorum attulit Caj. Marini Lett. al Sig. Guattani p. 7.
(2) inscr. Tib. rep. an. 1778.
(3) Lampr. in Heliog. c. 4.
(4) Isid. l. 9. Etymol. c. 4. Fabr. p. 677. n. 31.
(5) l. 1. Th. de his qui ven. aet. impetr.
(6) Pancirol. in Not. Imp. Or. c. 2.
(7) Arnob. adv. Gent. l. 6. p. 203.
(8) H. N. l. 34. c. 3. n. 8.
(9) Sat. 5. v. 180. v. inscr. 460.
(10) Luc. t. 1. in prol. p. 13.

LII. (Murat. p. 122. n. 2.)

QVINCTILLAE
L · HERVTII
DONVM
VENERI

Quinctillae vir fuit L. Herutius: hoc enim modo Latini veteres mulierum viros indicare solebant. id maxime in titulis nummorum apparet, qui sunt Augustarum: nam si ad filiam matremve Augusti pertinent, adscriptum est *Filia* vel *Mater* (1); sin autem ad uxorem, nihil fere additur praeter viri nomen: ut *Livia Augusti*, *Agrippina Germanici*.

LIII. (Grut. p. 20. n. 1.)

IVPPITER
CVSTOS
DOMVS · AVG ·
P · MALVGINENSIS · D · D · (2)

Maluginenses in gente Cornelia fuerunt, et in fastis consularibus ab anno V. C. Varroniano CCLXVIIII. saepe occurrunt.

LIIII. (Murat. p. 239. n. 1.)

DIVI · PII · OB · PLVRIMA · BENEFICIA · EIVS
ERGA · PATRIAM · D · D · P · P · (3)
POPVLO · POSTVLANTE

De Antonino Pio, ad quem pertinere inscriptionem hanc censeo, haec habet Capitolinus (4): *A senatu Divus est appellatus, cunctis certatim adnitentibus, quum omnes ejus pietatem, clementiam, ingenium, sanctimoniam laudarent.* de ejusdem vero beneficentia haec leges (5): *Multas etiam civitates adjuvit pecunia, ut opera vel nova facerent, vel vetera restituerent.* existimo autem in earum civitatum numero fuisse Paestanos, qui ei statuam jam Divo posuerunt: Paesti enim repertus lapis, in quo inscriptio haec grandibus incisa litteris legitur. Lucania nempe, in qua Paestum fuit, Campaniae finitima erat, ubi Antoninus et praedia habuerat, et in omni vita privata frequentissime vixerat: electus ab Hadriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur; et eodem Imperator se contulerat, ut praedia sua viseret (6). cur *Pius* appellatus sit, dicam ad inscr. LXXXXIII.

(1) Fabr. p. 56. K.
(2) *Donum Dedit.*
(3) *Decreto Decurionum Paestanorum Publice*, vel *Publice Posita*, statua nempe.
(4) in Anton. Pio c. 13.
(5) ibid. c. 8.
(6) idem ibid. c. 2. et 7.

LV. (Fabr. p. 693. n. 142.)

SILVANO · HERCVLI · LIBERO
TI · IVLIVS · ALEXANDER · D · D ·
DIIS · SANCTIS

Tres illi Dii, ait Cuperus (1), *in unum conflari ex nova opinione deberent: sed quo minus id fieri queat, vetant Dii Sancti*. id tamen pro comperto est, particulam connexivam saepe omitti in titulis, ubi Dii cum Diis consociantur, quamquam eorum quidam duo nomina habebant, vel etiam plura. ut Semo Sancus Deus Fidius, ut Mars Silvanus, ut Iuno Feronia. satis quippe populus noverat, quo paeto Deos distingueret, et ab ipso signorum numero discere poterat.

LVI. (Vignol. Inscr. sel. p. 196.)

SANCTISSIMO · DEO
GENIO · COLONIAE
PVTEOLANORVM
M · NEMONI · M · FILI
LVGVRINVS · ET
SABINVS · FELIX
DONO · DANT

Colonia Puteolos deducta dicitur a Livio (2) jam usque ab anno urbis conditae DLX. Tullii tamen temporibus inter colonias oppidum illud numerari non videtur; siquidem haec scripserit Tullius, de coloniis, quas decemviri deducturi erant, sic disserens (3): *Dixi antea lege permitti, ut, quae velint municipia, quas velint veteres colonias, colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt, Theanum oppriment; Atellam, Cumas, Neapolim, Pompejos, Nuceriam suis praesidiis devincient:* Puteolos *vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo jure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventitiis copiis occupabunt*. scio, quae hic de Puteolis dicuntur omnia Neapoli tribui a Martorellio (4); itaque mendorum ille librarios incusans, *Puteolos* post *Cumas* collocat; post *Devincient* legit *Neapolim*, et huic urbi aptat quae sequuntur: id vero quodam veluti jure postulare sibi videtur, quod permulta sane vel testimonia vel argumenta congesserit, quibus ostenderet, Neapolitanos suos Graecorum more ac suis semper legibus vixisse, nec unquam colonos Neapolim ab urbe Roma deductos esse. sed tantum Martorellio non tribuit Morisanus (5); nec patitur, Tullii verba ad libidinem aliorum, vel si de patria agatur, loco moveri.

Quicumque autem Neapoli status rerum tum fuerit, Puteolos ex antiquiorum coloniarum numero haud temere exemeris. Livii certe auctoritatem elevat Vellejus (6), qui apud quosdam ambigi scripsit, utrum ea aetate, nec ne, coloni Puteolos Salernumque et Buxentum missi essent. quid, quod ipse Livius tricenas tantum familias eo deductas perhibet, quae sane nomen coloniae dare potuisse non videntur. ceterum Pu-

(1) Cuper. apud Polen. Antiq. t. 2. p. 260. n. 5.
(2) lib. 32. c. 20. n. 29. et l. 34. c. 24. n. 45.
(3) 2. de l. Agr. c. 31. n. 86.
(4) Th. Cal. l. 2. c. 5. part. 3. n. 9.
(5) Marm. Regin. diss. 4. n. 11.
(6) lib. 1. c. 15.

teoli, ut tradidit Tacitus (1), jus tandem coloniae et cognomentum a Nerone adepti sunt: *Colonia* nempe *Augusta* dicti, imo paullo post et *Flavia* a Tito Aug. uti leges infra ad inscr. LXXXIII.

LVII. (Grut. p. 44. n. 4.)

ANNAEVS
PLACIDVS
HERCVLI
DONVM
DEDI

LVIII. (Maff. M. V. p. 248. n. 9.)

HERCVLE
TIBI
V · S ·

Hercule Graeco more, ut Latino *Hercules* in vocativo casu. non aliter Ovidius (2):

Tuque tuis armis, nos te potiremur, Achille.

qui autem Herculi votum solvit, nomen hic nobis invidit suum, ut ille etiam, qui sequentem Iovi inscriptionem posuit.

LVIII. (Grut. p. 21. n. 5.)

DEO · FVLGVRATO
RI · ARA

De Iovis fulminibus multa poëtae cecinere, quae passim legere est. ob ea Iupiter *Tonans, Fulgurator, Fulminator* dictus est. illud animadvertendum, fulgura aliquando pro fulminibus sumi, ut apud Svetonium (3) et Capitolinum (4): itaque et Fulguratorem sive Fulgeratorem pro Fulminatore. hunc Graeci dicebant Καταιβατην: de qua appellatione erudite disseruit Petrus Burmannus (5). ceterum apud Latinos *Fulgurator* item dictus, qui fulmina inspiceret conderetque (6).

LX. (Montfauc. t. 1. p. 384.)

L · FL · (7) HERMADION
HOC · MIHI · LIBENS
DON · DEDIT

Mithras est, qui loquitur, fabulosus ille Persarum Deus, cujus sacris Romani

(1) Ann. l. 14. c. 27.
(2) Metam. l. 13. v. 130.
(3) in Domit. c. 15. n. 2.
(4) in Ant. Pio c. 3.
(5) post diss. de Vect. p. 223.
(6) Cic. de Divin. l. 2. c. 55. v. Fabr. p. 696. n. 171.
(7) *Lucius Flavius.*

quoque initiabantur. *sollemne* autem *fuit antiquis*, inquit Passerius (1), *inscriptiones in persona prima, quasi donarium ipsum seu simulacrum loqueretur, concipere: ut* Ego Sum Isis, Ego Sum Osiris, *plurimaque alia his similia, quae lato calamo in Roncaliensibus cumulavimus:* ceterum in Roncaliensibus et perpauca affert exempla, et quae affert, Graeca sunt, ex Diodoro et Pausania petita. Latinum alterum exemplum vetustate antiquissimum proferri potest ex Museo Kircheriano, bis male acceptum a Muratorio (2). legitur id in operculo aerei tripodis in agro Praenestino inventi, quem cistam Mysticam aut Ἀνάθημα dixeris a Dindia Macolnia Diis in patris memoriam consecratum; patris quippe, ut videtur, effigies bullata inter duos Fannos in ipso operculo eminet, ad ejus vero pedes incisa inscriptio litteris, quae Hetruscas imitantur: NOVIOS PLAVTIOS · MED · ROMAI · FECID, deinde versus alter βουστροφηδόν, DINDIA · MACOLNIA · FILEA · DEDIT

E Graecis autem exemplum hujusmodi praeclarissimum est inscriptio illa latericiae pyramidis, apud Aegyptios, quam ab rege Asychi factam incredibili magnitudine, describit Herodotus (3): pyramis ipsa sic loquens inducitur: Μη με κατανοσθῃς προς τας λιθινας πυραμιδας, προεχω γαρ αυτεων τοσουτον, ὁσον ὁ Ζευς των αλλων Θεων. κοντῳ γαρ ὑποτυπτοντες ες λιμνην, ὁ τι προσχοιτο του πηλου τῳ κοντῳ, τουτο συλλεγοντες πλινθους εἰρυσαν. και με τροπῳ τοιουτῳ εξεποιησαν: quae latine reddita hoc sonant: *Ne tibi prae saxeis pyramidibus contemptui sim: nam supra illas tantum attollor, quantum alios supra Deos Iupiter. imum nempe lacum conto subruentes, quidquid luti conto adhaesit, hoc colligendo lateres finxere, et me in hanc molem eduxerunt.*

LXI. (Fabr. p. 698. n. 198.)

SOLI
INVICTO · MITHRAE
T · FLAVIVS · AVG · LIB · HYGINVS
EPHOEBIANVS
ΗΛΙΩΙ · ΜΙΘΡΑΙ
Τ · ΦΛΑΟΥΙΟC · ΥΓΕΙΝΟC
ΔΙΑ · ΠΟΛΛΙΟΥ · ΡΟΥΦΟΥ
ΠΑΤΡΟC · ΙΔΙΟΥ

Solem perhibent omnium prope gentium commune in Oriente numen habitum. sol est, uti scribit Salmasius (4), *Emissenorum Elagabalus, Palmyrenorum Malachbelus et Aglibolus, Persarum Mithres, Babyloniorum Belus, et sic aliarum orientis gentium et urbium aliud.*

Donum Hyginus Soli dedit pro Pollio Rufo patre suo: at hujus nomen cur latine non protulit? num quod patronum liberti parentis loco haberent? in patris certe potestate non erant.

Bilingues hujusmodi inscriptiones non alia fere de caussa propositae sunt, quam ut ab omnibus intelligerentur (5). Graeca enim, ut Tullius dixit, legebantur in omnibus fere gentibus; Latina suis finibus, exiguis sane, continebantur: ut in ipsa etiam

(1) in Symb. Gor. Florent. vol. 1. p. 208.
(2) p. 132. n. 2. p. 2045. n. 9.
(3) lib. 2. n. 136.
(4) ad Vopisc. in Aur. c. 25.
(5) Martor. Th. Cal. l. 2. c. 5. par. 2. n. 4.

urbe, sub Augustis maxime, quum eam tot undique mortales adirent, plures fortasse numerarentur, qui graece, quam qui latine scirent perbene: non modo autem in marmoribus inscriptiones occurrunt bilingues, sed etiam in numnis, quod jam Spanhemius adnotavit (1).

Dedi jam, quae pars capitis hujus prima esse debuit, sacrorum titulorum exempla et multa et varia: triplicis simul dictionis formam distributione ipsa triplicem demonstravi. qui tamen haec primum tirones delibarunt, eos sic esse affectos arbitror, ut qui museum hospites primum invisunt: quibus, quum signa et nummos et tabulas propalam collocatas intuentur, aspiciendi potius, quam contemplandi potestas esse solet. verum ut illi deinde singula relegendo, multa, quae latuerant, inveniunt sensim atque dignoscunt: ita, ubi tirones ad librum alterum devenerint, haec ipsa retractando, omnes demum divitias atque ornamenta plane noscent.

PARS II.

MONVMENTA SACRORVM

§. I.

LEGES DEDICATIONVM

LXII. (Grut. p. 61. n. 3. Fabr. p. 684. n. 83.)

HAEC · AREA · INTRA · HANC · DEFINITIONEM · CIPPORVM
CLAVSA · VERVBVS · ET · AREA · QVAE · EST · INFERIVS
DEDICATA · EST · EX · VOTO · SVSCEPTO · QVOD · DIV
ERAT · NEGLECTVM · NEC · REDDITVM · INCENDIORVM
ARCENDORVM · CAVSA · QVANDO · VRBS · PER · NOVEM
DIES · ARSIT · NERONIANIS · TEMPORIBVS · ET · HAC
LEGE · DEDICATA · EST · NE · CVI · LICEAT · INTRA · HOS
TERMINOS · AEDIFICIVM · EXSTRVERE · MANERE
NEGOTIARI · ARBOREM · PONERE · ALIVDVE · QVID
SERERE · ET · VT · PRAETOR · CVI · HAEC · REGIO · SORTI
OBVENERIT·LITATVRVM·SE·SCIAT·ALIVSVE·QVIS·MAGISTRATVS·VOLCANALIBVS
X · KAL · SEPT · OMNIBVS · ANNIS · VITVLO · ROBIO · ET · VERRE

Altercandum hic mihi est cum Maffejo, qui omnem monumenti hujus fidem resignavit (2). *Quaenam haec,* inquit, *non templi, arae, signi, sed* areae *dedicatio? aedem Concordiae in area Vulcani dedicatam memorat Livius* (3), aream *dedica-*

(1) Dissert. 13. p. 604. (2) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p. 281. (3) lib. 9. c. 34. n. 46.

tam qui memoret, non succurrit. at inquirenti locus ille Tullii occurrisset scribentis ad Atticum (1): *Pontifices si sustulerint religionem*, Aream *praeclaram habebimus:* et in oratione pro domo sua (2): *Video esse legem veterem tribuniciam, quae vetet, injussu plebis aedes*, Terram, *aram consecrare*.

Rursus idem, *quid sibi*, inquit, *volunt Definitio Cipporum, Area Clausa Verubus, et in Area Ara, Quae Est Inferius?* atqui Tullius in oratione pro Caecina (3) haec habet: *Ejus fundi extremam partem oleae directo ordine definiunt:* cippis autem usos esse veteres pro terminis, praeter scriptores rei agrariae (4), ipsae quoque inscriptiones declarant (5). *Area* vero *clausa verubus* est Area vallata; nam *veru* et *vallus* nihil differunt: e vallis autem vallum fiebat. *Ara In Area* non legitur in Fabretti exemplari: de areis duabus sermo est, quarum altera inferior erat. areas Diis consecratas saepe memorat Pausanias: ac de ea, quae Olympiae in Alti erat, Εστι δε, inquit (6), εντος της Αλτεως και Πελοπιον ποτε τετιμημενον Τεμενος. eandem mox aream septo clausam et arboribus consitam, signisque ac donariis conspicuam fuisse tradit, Pelopi ab Hercule dedicatam.

Quid deinde? *Sponius qui dedicatam addit ab* Imp. Caesare Domitiano Aug. Germanico, *Romani*, inquit, *senatus auctoritatem audacter temerat, qui eradendos ubique Domitiani titulos, abolendamque omnem memoriam* decrevit (7). nihil hic quidem de Domitiano. sed non debebat haec Sponio objicere Maffejus, qui in Museo suo integram inscriptionem protulit Domitiani nomine insignem (8).

Vrbem, pergit enim ad reliqua, *Neronianis temporibus per novem dies arsisse, Svetonii et Taciti fidei derogat, qui dies sex incendio illi deputant*. ita sane: sed Tacitus ignem rediisse affirmat: *Nec dum posito metu, redibat levis rursum grassatus ignis, patulis magis urbis locis* (9). quem ad locum Lipsius, ut Taciti sententiam explanaret, hae ipsa inscriptione usus est.

At *lex dedicationis, ne cui liceret intra eos terminos* Manere, *aut* Negotiari, *nec linguam veterum sapit nec mores*. cur haec illi verba displiceant, omnino non intelligo. *Manere* est commorari, unde stationes etiam *Mansiones* dictae sunt: in ejus autem Museo (10) leges *Hoc Mansum Veni*, nempe *habitatum veni*. *Negotiari* idem est quod Graecis πραγματευεσθαι, et hinc *Negotiatores*, qui ab his, quae venderent, appellati sunt *Vestiarii* et *Frumentarii* et hujusmodi. quo vero venerationis plus inesset, lege cautum esse, ut in illis areis, quasi in stationibus, otiosi homines ne sederent, aut negotiatores quaestus caussa eodem ne convenirent, non est sane, cur miremur; quum et leviora quaedam diligentissime observarint veteres, inani nimium superstitione obligati. unum e multis exemplum satis est, quod Livius suggerit; nempe de loco agens in quo, Gallis ad urbem adventantibus, Flamen Quirinalis et Virgines Vestales sacra condiderant, addit idem; *Ubi nunc despui religio est, defodere* (11).

Vrget tamen Maffejus, et nihil remittit: *Quam improprie quaeso*, Haec Area Dedicata Est, Vt Praetor, Cui Haec Regio Sorti Obvenerit, Litaturum Se Sciat: *haeccine in antiquo lapide?* non utique ista solum, sed haec etiam, *Hac Lege, Vt Praetor Sciat, Se Litaturum*, nimirum *ut meminerit, sibi litandum esse*, sive *ut sacrum stato die faciat:* quippe in verbo futuri temporis infinito haec aliquando vis inest, ut significet, quod non ex voluntate sed ex necessitate continget: ut exempli caussa apud

(1) lib. 4. ep. 1. in fin.
(2) cap. 49. n. 127.
(3) cap. 8. n. 22.
(4) Simplic. apud Goes. p. 88.
(5) Grut. p. 198. n. 4. etc.
(6) lib. 5. c. 12. *est autem intra Altim et Pelopeja area olim in honore habita*.
(7) Svet. in Dom. c. 23. n. 2.
(8) p. 82. n. 2. v. inscr. 41.
(9) Ann. l. 15. c. 40.
(10) p. 108. n. 2.
(11) lib. 5. c. 22. n. 40.

Caesarem, ubi legatos Galliae sic loquentes inducit (1): *Non minus se id contendere et laborare, ne ea, quae dixissent, enuntiarentur, quam uti ea, quae vellent, impetrarent: propterea quod, si enuntiatum esset, summum in cruciatum se Venturos viderent.* quod profecto idem est, ac si dixissent, *sibi veniendum esse*. tum illud *Sciat* verbum est commonendi caussa sollemne, quod in Rescripto etiam legitur Claudii Quartinii a Maffejo ipso edito (2): *Sciant Futurum Vt Non Per Hoc Tuti Sint.*

Denique, *ut repudietur inscriptio*, sic Maffejus sententiam suam concludit, *Regionum sortitio abunde est, quae Praetoribus hic tribuitur. etenim sortiti Praetores sunt pro ratione temporum jurisdictionem urbanam et peregrinam: sortiti sunt judicia: unde Tullius* (3), Quum Praetores designati sortirentur, Q. Metello obtigit, ut is de pecuniis repetundis quaereret: *sortiti etiam sunt Romanae ditionis provincias, quas regerent, et in quibus jus dicerent: at Regiones urbis nec singulis unquam Praetoribus adsignatae, nec ulli magistratui sortito traditae.*

Haec vero a Maffejo dici, vix ferendum est. nonne ipse Augustus, ut e Svetonio (4) docuimus ad inscriptionem xxxviiiI. et xxxxviiiI. regionibus urbis divisis, instituit, ut illas annui magistratus *sortito tuerentur?* id autem et Dio scripserat (5). Καιτοι και εκεινων (των αγορανομων) και των δημαρχων, τωντε ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ πασαν την πολιν εις δεκατεσσαρα μερη νεμηθεισαν ΚΛΗΡΟΥΝ προσταχθεντων.

De Vitulo Robio haec adnotat Fleevuoodus (6): *Robum rubro colore et quasi rufum significari, ut bovem quoque rustici appellant, manifestum est, inquit Paullus. ego vitulum rufum hic intelligo.* haec autem sacra vel in municipiis a magistratibus fiebant, qui *Praetores Sacris Volcani* dicebantur, ut videre licet apud Gruterum (7): eaque veteres passim, incendiorum, ut reor, averruncandorum caussa quotannis instaurabant: nam in urbano aeque et in rustico kalendario statum illum sacrificiorum diem mense Augusto consignatum invenies.

(1) B. Gall. l. 1. c. 17. n. 31.
(2) Diplom. l. 1. n. 9. p. 24.
(3) Act. 1. in Verr. c. 8. n. 21. de vario in urbe praetorum numero v. Lipsium in excursu in l. 1. Ann. Tacit. c. 14. D.
(4) in Aug. c. 30. n. 1.
(5) lib. 55. p. 554. A. *illis tamen* (Aedilibus) *et tribunis et* praetoribus *universam urbem in quatuordecim distributam partes* sortiri *jussis*.
(6) pag. 45. n. 1.
(7) p. 618. n. 7. etc.

LXIII. (Farlat. Illyr. Sacr. t. 1. p. 288. at nunc emendatior ex autogr.)

L · *HELIO* · *CAESARE* · *IMP* · *P* · *COELIO* · *ET* · ALBINO · (*a*) VIBVLLIO · PIO · COS · (*b*)

VII · *IDVS* · OCTOBRES

CN · *DOMITIVS* · *VALENS* · *II* · *VIR* · *I* · *D* · (*c*) *PRAE*EVNTE · C · IVLIO · SEVERO · PONTIF ·

LEGEM · *DIXIT* · *IN* · *EA* · *VERBA* · *QVAE* · *INFRA* · SCRIPTA · SVNT

IVPPITER · *OPTIME* · *MAXIME* · *QVANDOQVE* · *TIBI* · *H*ODIE · HANC · ARAM · DABO · DEDICABOQVE · OLLIS · LEGIB ·

OLLISQVE · *REGIONIBVS* · *DABO* · *DEDICABOQVE* · *QVAS* · *HIC* · *H*ODIE · PALAM · DIXERO · VTI · INFIMVM · SOLVM · HVIVS · ARAE · EST

SIQVIS · *HIC* · *HOSTIA* · *SACRVM* · *FAXIT* · *QVOD* · *MAGMENTVM* · *NEC* · PROTOLLAT · ITCIRCO (*sic*) · TAMEN · PROBE · FACTVM · ESTO · CETERAe

LEGES · *HVIC* · *ARAE* · *EAEDEM* · *SVNTO* · *QVAE* · *ARAE* · *DIANAE* · *SVNT* · *IN* · AVENTINO · MONTE · DICTAE · HISCE · LEGIBVS · HISCE · REGIONIB ·

SICVTI · *DIXI* · *HANC* · *TIBI* · *ARAM* · *IVPPITER* · *OPTIME* · *MAXIME* · DICO · DEDICOQVE · VTI · SIS · VOLENS · PROPITIVS · MIHI · COLLEGISQVe

MEIS · *DECVRIONIBVS* · *COLONIS* · *INCOLIS* · *COLONIAE* · *MARTIAE* · IVLIAE · SALONAE · CONIVGIBVS · LIBERISQVE · NOSTRIs

(*a*) Sic legitur in marmore, sed plurimorum probabili conjectura legendum: L · AELIO · CAESARE · II · P · COELIO · BALBINO

(*b*) An. V. C. Varr. 890.

(*c*) *Duumvir Iuri Dicundo.*

Inscriptio haec Patavii adhuc, partim veteri, partim novo in marmore legitur: nam marmor ipsum vetus Salona avectum Ramnusii habuere non integrum. queritur autem Maffejus (1), qui hanc inscriptionem ediderint, non omnes antiqua a recentibus distinxisse: quod a me etiam neglectum est. atqui parum intererat (*a*), quippe eandem Cyriacus Anconitanus aliique ante descripserant, quam ad Ramnusios mutila perferretur. quae quidem gens Arimino primum Venetias transmigravit anno MCCCCLVIII. quo tempore Cyriacus litterarum caussa late longeque peregrinabatur. sed multo ea serius Patavium incolere coepit (2): ut longo post tempore marmor in eam urbem Salona translatum esse videatur (3).

L. Aelius, quem hic consulem cum Balbino vides, is est, quem Hadrianus adoptaverat, Caesaremque dixerat, qui tamen, ut ait Spartianus (4), nihil *de regia, nisi mortem, habuit dignitate:* obiit enim ante Hadrianum, *sepultusque est imperatorio funere.*

Praeire, et *Praeire verba* Pontificum erat tam in dedicationibus, quam in obsecrationibus, devotionibus, foederibus, exsecrationibus, ut Livius (5) et alii rerum Romanarum scriptores tradidere. Romae aliquando ipsum Claudium Aug. jure maximi pontificis verba praeisse, scripsit Svetonius (6). addit Plinius, alium quoque magistratibus custodem datum, qui attenderet, alium vero praepositum, qui favere linguis juberet (7). ceterum nemo verba praeisse videtur, quum sacerdos, qui dedicationem aliosve obiret ritus, carmen ipse tenebat: haec enim de M. Aurelio a Capitolino tradita accepimus (8): *Fuit,* inquit, *in eo sacerdotio* (saliatu) *et praesul et vates et magister, et multos inauguravit atque exauguravit, nemine praeeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset.* enimvero quaenam essent id genus carmina, didicimus ex actis Fratrum Arvalium, quae nuper Marinius vulgavit: carmina autem, quibus Dii evocabantur ab hostium urbibus, et quibus urbes exercitusque devovebantur, videsis apud Macrobium (9): quaedam alia in Catone si libet, invenies.

Pontificum Municipalium in antiquis quidem inscriptionibus saepe fit mentio; at in veterum libris non item (*b*): quippe historiam municipiorum scriptores, quorum opera exstant, vix attigere. eos tamen eodem jure constitutos apparet, quo urbani creabantur. nam quae hic cientur leges sive conditiones, in monumentorum sacrorum dedicatione, nisi Romano jure, non addebantur. itaque eas frustra olim Plinius apud Nicomedienses quaesivit: sic enim scripsit ad Trajanum (10), de religioso templo transferendo: *Quum quaererem, num esset aliqua lex dicta templo, cognovi, alium hic, alium apud nos esse morem dedicationis.* rescripsit autem Trajanus, templum transferri posse, adjecitque (11), *Nec te moveat, quod lex dedicationis nulla reperitur, quum solum peregrinae civitatis capax non sit dedicationis, quae fit nostro jure.*

Regiones, de quibus hic sermo est, sunt limites sacri et profani loci. *Infimum*

(1) Art. C. I. p. 208.
(*a*) Imo multum, ut opinor, intererat antiqua a recentibus distinguere; quod mihi quidem Patavii degenti faciendum putavi, praesertim quum animadvertissem neminem hactenus (ne Pignorio quidem excepto, qui tamen melius quam ceteri eam retulit et illustravit Symbol. epist. 30.) hanc inscriptionem satis accurate descripsisse. Te itaque hoc monitum volo, ea quae inclinatis, recentem; quae rectis, antiquam scripturam repraesentare; quae denique in quorumdam versuum extremitate minusculis litteris excusa sunt, in marmore non apparere, sed a me, qui illud meis ipsemet oculis vidi, facili negotio suppleta fuisse.
(2) Zen. ad Fontan. Bibl. Ital. t. 2. p. 275.
(3) v. Grut. p. 23. n. 12.
(4) in Ael. Ver. c. 6.
(5) lib. 8. c. 8. n. 9. etc.
(6) in Claud. c. 22. n. 2.
(7) H. N. l. 28. c. 2. n. 3.
(8) in M. Ant. Phil. c. 4.
(9) Saturn. l. 3. c. 9.
(*b*) Suppetit locus *Cic.* 2. *Agr.* c. 35. *n.* 96. in quo mentio est de pontificibus colonicis Capuam deducendis, qui sex numero erant.
(10) lib. 10. ep. 58.
(11) ibid. epist. 59.

autem *solum* ipsa area, in qua ara excitata fuerat: unde maxime futurorum auguria sacrificantibus portendebantur. itaque narrat Tullius (1), quum Sulla in agro Nolano immolaret ante praetorium, *ab infima ara subito anguem emersisse*. idem leges apud Virgilium, ubi de Aeneae sacrificio ad Anchisae tumulum agit (2).

Quaeres, quid sibi velint ea verba *Quod Magnen* (*a*) *Nec Protollat:* dicam autem, quod veri mihi quam simillimum videtur; sed illud primum est animadvertendum, in Grutero (3) scriptum esse *Quod Magmentum Nec Protollat,* ut est etiam in inscriptione Narbonensi (4); in Terrassonii (5) vero exemplari, ex Itinerario Cyriaci descripto legi *Quod In Augmentum Ne Protollat:* sed utrique lectioni praeferendum esse Farlati exemplum scriptoris diligentissimi, qui plures veterum de rebus Illyricis commentarios scrutatus est. quamquam, sive *Magnen* sive *Magmentum* legendum sit, unum idemque significant, nempe *Majus Augmentum,* a duobus nempe vocabulis *Magis* et *Augmen,* sive *Augmentum*.

Existimo autem, Duumvirum id a Iove postulare, ut quae in ea ara sacrificia fient, ea, qualiacumque futura sint, accepta habeat, et ut prima hostia rite semper perlitetur: quare cum Sigonio (6) hanc sub illis verbis sententiam latere puto: *Si quis hic hostia sacrum fecerit, quod sacrum ob hostiae vitium non crescat sive adolescat, ut in legitimis accidit, nec majus augmentum proferat; idcirco tamen probe factum esto, ac triste nihil sacrificanti portendat*. congruit cum hac sententia inscriptio Fabrettina (7), in qua M. quidam Ofentius *Matri Deum Taurobolium et Criobolium Magmentum* fecisse dicitur, id est, ut arbitror, sacrum sine vitio, vel saerum majore augmento.

De fano Dianae in Aventino, quod Servio rege Latini populi eum populo Romano fecerunt, quemadmodum Ephesinum a civitatibus Asiae factum, fama ferebat, vide Livium (8), qui ejus quoque aram commemorat bovis Sabinae sacrificio celeberrimam.

Vnum tantum habere collegam poterat Domitius, quum Duumvir esset. cur igitur *Collegas* nominat? quia Quatuorviros Quinquennales aliosve magistratus pro collegis habuit. Tullius quoque de Murena, qui consul designatus erat, et Catone, qui tribunus pl. eodem anno futurus esset, dixit, *eos in ejusdem anni custodia a fortuna positos, et aliquo reipublicae vinculo conjunctos esse* (9). quin Messala Augur apud Gellium (10) docet *Consulem Praetoremque collegas esse*.

Salona, Dalmatiae urbs, quam Plinius quoque coloniam appellat (11), cur et *Martia* et *Iulia* dicta sit, adhuc quaeritur: Farlatus (12) tamen *Martiam* ob bellicam laudem, *Iuliam* ob studium Iulianarum partium appellatam rectissime opinatur. lege, quae Caesar scripsit (13) de colonorum Salonensium virtute et fide, quum a M. Octavio, qui Pompejo studebat, obsidione et oppugnationibus premerentur, tum potissimum ea cognomina nobilissimae coloniae parta esse, facile dabis: quae etiam ab Hirtio significari mihi videntur, quum cives Romanos *fortissimos fidelissimosque* maritimum illud oppidum incoluisse tradit (14). cetera vero, quae de Salonae origine ac nomine, deque opulentia, gloria, fortuna veteres mandarunt litteris, omnia a Farlato et diligenter collecta et scite digesta reperies.

(1) de Divin. l. 1. c. 33. n. 72.
(2) Aen. l. 5. v. 84.
(*a*) *Magnen*, quod monstrum verbi recte dixeris, apud nullum Latinum scriptorem reperias, nedum in hac inscriptione; sed illud a Turnebo Advers. l. 22. c. 6. ex conjectura fictum videtur, quem tum Farlatus tum cl. Auctor sequi maluit, quam marmor ipsum, eosque omnes, qui illud antea descripserant.
(3) pag. 23. n. 12.
(4) ibid. p. 229.
(5) Vet. Iurispr. R. mon. §. 1. n. 26.
(6) de ant. Iur. prov. l. 2. c. 6.
(7) pag. 635. n. 301.
(8) lib. 1. c. 17. n. 45.
(9) pro Mur. c. 31. n. 64.
(10) N. A. l. 13. c. 15.
(11) H. N. l. 3. c. 22. n. 26.
(12) Illyr. Sacr. t. 1. p. 285.
(13) B. C. l. 3. c. 3. n. 9.
(14) B. Alex. c. 13. n. 45.

§ II.

INDICES LVDORVM VOTORVMQVE PVBLICORVM

LXIIII. (Grut. p. 11. n. 1.)

TI · CLAVDIVS · TI · F · NERO
PONTIFEX · COS · ITERVM
IMP · ITERVM (1)
LVDOS · VOTIVOS · PRO · REDITV
IMP · CAESARIS · DIVI · F · AVGVSTI
PONTIFICIS · MAXIMI
IOVI · OPTIMO · MAXIMO · FECIT
EX · S · C ·

Ludos a Tiberio datos absente, eosque magnifice impensa matris ac vitrici, scripsit Svetonius (2). non alii autem fuere, quam quos inscriptio haec memorat: Tiberius enim consul iterum anno urbis DCCXXXVII. ad bellum Germanicum profectus est; ludisque, Tiberii loco, praefuit cum Pisone consule Caius Caesar Princeps Iuventutis (3).

Ludorum haec caussa, votum a Senatu pro reditu Augusti susceptum: erat enim ille eo anno in Galliis, ubi Sicambros Vbiosque a Tiberio in deditionem acceptos in agris Rheno proximis collocaverat (4).

Ludi porro Diis vovebantur ac fiebant, quod et ludi quidam a Diis ipsis instituti putarentur, ut Olympici et Pythii (5): et Dii quoque certaminibus illis delectati esse aut delectari dicerentur. itaque et statuas eorum in thensis collocatas circensi pompa spectatum in circum ducebant, ubi coronae etiam Diis ac sellae tamquam supremis ludorum praesidibus ponebantur (6). hunc deinde honorem Romani Augustis quoque vel defunctis vel absentibus habuere (7).

De loco si me rogas, ubi haec olim inscriptio prostaret, certi nihil habeo, quod edisseram. sed quum alias hujusmodi sub anaglyptis incisas repererim, hanc quoque positam fuisse puto sub signo aliquo columnave cochlide, quae ludos a Tiberio factos repraesentaret (8). basim, in qua incisa fuit, muro insertam videre adhuc licet in Mausolei Aug. vicinia.

(1) An. V. C. Varr. 747.
(2) in Tib. c. 7. n. 3.
(3) Dio l. 55. p. 554. D.
(4) Suet. in Aug. c. 21. n. 2.
(5) Pott. Arc. l. 2. cc. 22. 23.
(6) Spanhem. diss. 10. p. 209.
(7) Dio l. 70. p. 813. l. 53. p. 512. lib. 64. p. 671.
(8) v. inscr. 493.

LXV. (Fleetwood. p. 100. n. 3.)

A · P · R · C · DCCCXLI · (1)
IMP · CAESARE · DIVI · VESPASIANI · F ·
DOMITIANO · AVG · GERMANICO
MAGISTRO · XV · VIR · (2)
EX · S · C · LVDI · SAECVLARES · FACTI

Consul erat Domitianus XIIII. cum L. Minutio Rufo, ludosque saeculares fecit, *computata*, ut ait Svetonius (3), *ratione temporum ab anno, non quo Claudius proxime, sed olim Augustus ediderat*. quamquam legitimum tempus nondum elapsum erat, quum saeculares ludos fecisset Augustus An. v. c. DCCXXXVII. nec instaurari deberent nisi post annum centesimum decimum, ut ab Horatio docemur in eo carmine, quod illis ipsis ludis cantatum est (4).

Ludis saecularibus Domitiani adfuisse se scribit Tacitus (5), sacerdotio Quindecimvirali praeditum, ac tum praetorem: idemque addit, collegio Quindecimvirûm antiquitus eam curam fuisse, et magistratus potissimum exsequi solitos officia caerimoniarum. collegiis autem sacerdotum qui praecrant, Magistri fere appellati (6), is in primis, qui magisterio Quindecimvirûm fungebatur (7), ut hic Domitianus.

Porro Quindecimviri sunt, qui primum *Duumviri*, ac deinde *Decemviri sacris faciundis* appellati fuerant, custodes librorum Sibyllinorum, quos in periculis civitatis adire jubebantur. aucto tertium numero, nomen mansit (8), et singuli *Quindecimviri* dicti sunt.

Ludi, quos Claudius edidit, in fastis Capitolinis *sextum facti* dicuntur. eos pro saecularibus nec habere se, nec non habere ostendit Domitianus, qui in hoc indice, qui fortasse ad fastos pertinet, nullum adscribi numerum voluit.

LXVI. (Grut. p. 116. n. 2.)

AVGVSTORVM · ANNALIA · FELICITER

Haec et sequentes inscriptiones ad fornicem Severi in foro Romano repertae sunt, quae basibus columnarum incisae sacrificia ibidem anaglyphis expressa, cujus rei caussa facta essent, indicabant. Severi tamen aetate recentiora ea monumenta esse, atque ad Diocletiani tempora pertinere existimaverim: itaque nec isto loco digna fuisse. verum similium exemplorum inopia vel potius egestas fecit, ne contemnerem.

Annalia autem sunt vota et sacrificia, quae singulis annis pro Augustis fiebant: de quibus loqui mihi videtur Cajus jurisconsultus, ubi ait (9): *Post calendas Ianuarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur*.

Illud *Feliciter* saepe acclamationis vocabulum est, antiquis familiare. *Vt mos est vulgi*, inquit Phaedr (10), *passim et certatim ruunt*, Feliciter *succlamant*. Svetonius de Claudio (11): *Praeseditque nonnunquam spectaculis in Caii vicem, acclamante*

(1) *Anno Post Romam Conditam* 841.
(2) *Quindecimvirorum*.
(3) in Domit. c. 4. n. 7.
(4) Carm. Saec. v. 21.
(5) Ann. l. 11. c. 11.
(6) Mon. V. Ant. c. 7. p. 97.
(7) Plin. H. N. l. 28. c. 2. n. 3.
(8) Gruch. de com. l. 2. c. 2.
(9) de verb. sign. l. 233.
(10) lib. 5. fab. 1.
(11) in Claud. c. 7. n. 2.

populo Feliciter *partim* Patruo Imperatoris, *partim* Germanici Fratri. hic tamen felicem votorum exitum designari, haud male quis statuat, quum sacrificia ad vota soluta rectius referantur.

LXVII. (Grut. ibid. n. 3.)

VICENNALIA · IMPERATORVM

Quum inscriptiones unius monumenti tres fuerint, veniebat in mentem, in prima Augustos dici, qui anno Christiano CCCV. imperium auspicati sunt, Constantium atque Galerium: in altera Imperatorum nomine appellari, qui tum fere *Seniores Augusti* audiebant, Diocletianum ac Maximianum: in ea, quae sequitur, Caesares esse Severum et Maximinum (1).

LXVIII. (Grut. ibid. n. 4.)

CAESARVM
DECENNALIA
FELICITER

Vota pro reipublicae incolumitate tum in quinquennium tum in decennium vetustiores quoque Romani nuncuparunt. bello Punico secundo C. Attilius Serranus praetor vota suscipere jussus (2), *Si in decem annos Respublica eodem stetisset statu*. item eodem bello, quum Flaminius ad Trasimenum cum exercitu caesus esset, vota suscepta (3), *Si res populi Romani Quiritium ad quinquennium proximum salva servata* esset.

Sub Augustis autem *Quinquennalium, Decennalium, Vicennalium, Tricennalium* nomine haec significari consuevisse, docet Franciscus Pagius (4), I. Ludos, qui ob quintum, decimum, vicesimum, tricesimum imperii annum vel elapsum vel inceptum celebrabantur: II. Ipsam votorum susceptorum solutionem ob eandem causam: III. Initium quinquennii, decennii, et vota pro quinquennii, decennii felicitate suscepta: IIII. Annum quintum, decimum imperii, deinceps.

At non haec sub ipso Octaviano Aug. inchoata omnia. ludos quidem apud Actium is constituerat quinquennales; sed quo Actiacae victoriae memoria celebratior apud posteros foret (5). quia tamen illi primum a senatu imperium in decennium, deinde in quinquennium decretum est, tum eo circumacto in quinquennium alterum ac decennium, et post hoc iterum in decennium (6), ita ut continuatis decenniis per totam vitam imperii summam obtinuerit; ideirco ab ipso Augusto Quinquennalium ac Decennalium origo deduci solet, quae deinde ludorum certaminibus, ac sacrificiis votisque publicis in Augustorum honorem celebrata sunt.

(1) V. Tillem. in Constantin. art. 5.
(2) Liv. l. 21. c. 26. n. 62.
(3) idem l. 22. c. 7. n. 10.
(4) diss. hypat. II. 21. seqq.
(5) Svet. in Aug. c. 18. n. 3.
(6) Dio lib. 53. p. 508. C.

§. III.

KALENDARIA

Veterum Kalendariorum primum exemplar esto Romanum illud, quod Aldus Manutius Paulli filius edidit (1), Maffejarum olim aedium ad Agrippinam κειμηλιον. tabulam marmoream superne fractam esse, ille adscripsit; at Gruterus (2), quae supereſſent litterae, repraesentavit omnes: quas hic praescribam.

C Ↄ . . . . . .

ILEIR . . . RIMA . . V . . . . . LI . . .

EXPOLIENDVM · ET · PINGENDVM . . . NTO . .

TABVLIS · PICTIS · ET · M . . FAST · LIBERI . .

CO · CON . . . . . F . . S . . . . .

enimvero Fastorum id genus, qui nunc constant, nullum aliud exemplum huic praeferri oportuit: cetera quippe multo pejus habita omnia, multoque pluribus hiantia locis vel trunca accepimus.

LXVIIII. (Grut. p. 133.)

A K · IAN · F ·
B F ·
C C ·
D C ·
E NON · F ·
F F ·
G C ·
H C ·
A AGON ·
B EN ·
C CAR · NP ·
D C ·
E EID · NP ·
F EN · DIES · VITIOS ·
G CAR · EX · S · C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E F ·
F N ·
G C ·

H K · FEB · N ·
A N ·
B N ·
C N ·
D NON ·
E N ·
F N ·
G N ·
H N ·
A N ·
B N ·
C N ·
D EID · NP ·
E N ·
F LVPER · NP ·
G EN ·
H QVIR · NP ·
A C ·
B C ·
C C ·
D FERAL · F ·
E C ·
F TER · NP ·
G REGIF · N ·
H C ·
A EN ·
B EQ · NP ·
C C ·

D K · MAR · NP ·
E F ·
F C ·
G C ·
H C ·
A NP · HOC · DIE · CAESAR PONTIF · MAXIM · FACT · EST
B NON · F ·
C F ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·
H EN ·
A EQ · NP ·
B EID · NP ·
C F ·
D LIB · NP ·
E C ·
F QVIN · N ·
G C ·
H C ·
A N ·
B TVBIL · NP ·
C Q · REX · C · F ·
D C ·
E C ·
F NP · HOC · DIE · CAESAR
G C · ALEXAND · RECEPIT
H C ·
A C ·
B C ·

(1) Ep. Orthogr. p. 209.

(2) p. 133.

C K · APR · N ·
D C ·
E C ·
F C · LVDI
MATRI · MAG ·
G NON · LVD ·
H NP · LVDI
A N · LVDI
B N · LVDI
C N · LVDI
D N · LVDI · IN · CIRC ·
E N ·
F N · LVDI · CERERI
G EID · NP · LVDI
H N · LVDI
A FORD · NP · LVDI
B N · LVDI
C N · LVDI
D N · LVDI
E CER · N · LVDI
IN · CIRC ·
F N ·
G PAR · NP ·
H N ·
A VIN · NP ·
B C ·
C ROB · NP ·
D F ·
E C ·
F NP · LVD · FLOR ·
G C · LVDI
H C · LVDI

A K · MAI · N ·
B F · COMP ·
C C ·
D C ·
E C ·
F C ·
G NON · N ·
H F ·
A LEM · N ·
B C ·
C LEM · N ·
D NP · LVD · MART ·
IN · CIRC ·
E LEM · N ·
F C ·
G EID · NP ·
H F ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E AGON · NP ·
F N ·
G TVB · NP ·
H Q · REX · C · F ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·

H K · IVN · N ·
A F · MART · CAR · MO
NET ·
B C ·
C C ·
D NON ·
E N ·
F N ·
G MENTI · IN · CA
PIT ·
H VEST · NF · PR ·
A N ·
B MATR · N ·
C N ·
D EID · N ·
E N ·
F Q · ST · D · F ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D F ·
E C ·

F K · IVL · N ·
G N ·
H N ·
A NP ·
B POPLIF · NP ·
C N · LVDI · APOLLIN ·
D NON · N · LVDI
E N · LVDI
F N · LVDI
G C · LVDI
H C · LVDI
A NP · LVDI
B C · LVD · IN · CIRC ·
C C · MERK ·
D EID · NP · MERK ·
E F · MERK ·
F C · MERK ·
G C · MERK ·
H LVCAR · NP · MERK ·
A C · LVD · VICT · CAE
SAR ·
B LVCAR · LVD ·
C C · LVDI
D NEPT · LVDI
E N · LVDI
F FVRR · NP · LVDI
G C · LVDI
H C · IN · CIRC ·
A C · IN · CIRC ·
B C · IN · CIRC ·
C C · IN · CIRC ·
D C ·

E K · AVG · N ·
F C · FER · HOC · DIE
C · CAESAR · HISP · VICIT
G C ·
H C ·
A NON · F ·
B F ·
C C ·
D C ·
E NP · HOC · DIE · CAESAR
F C · HISPALIN · VIC ·
G C ·
H C ·
A EID · NP ·
B F ·
C C ·
D C ·
E PORT · NP ·
F C ·
G VIN · F · P ·
H C ·
A CONS · NP ·
B EN ·
C VOLC · NP ·
D C ·
E OPIC · NP ·
F C ·
G VOLT · NP ·
H NP · H · D · ARA · VICTO
RIAE · IN · CVRIA
A F · DEDIC · EST
B F ·
C C ·

D K · SEPT · N ·
HOC · DIE · FER · NEP ·
E N ·
F NP ·
G C · LVDI · ROMANI
H NON · F · LVD ·
A F · LVDI
B C · LVDI
C C · LVDI
D C · LVDI
E C · LVDI
F C · LVDI
G N · LVDI
H EID · NP ·
A F · F · EQVOR · PROB ·
B LVD · ROM ·
IN · CIRC ·
C C · IN · CIRC ·
D C · IN · CIRC ·
E C · IN · CIRC ·
F C · IN · CIRC ·
G C · MERK ·
H C · MERK ·
A C · MERK ·
B NP · MER · H · D ·
AVGVSTI · NATALIS
C C · LVD · CIRC ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·
H F ·
A C ·

B K · OCT · N ·
C F ·
D C ·
E C ·
F C ·
G C ·
H NON · F ·
A F ·
B C ·
C C ·
D MEDITR ·
E AVGVST · NP ·
F FONT · NP ·
G EN ·
H EID · NP ·
A F ·
B C ·
C C ·
D ARM · NP ·
E C ·
F C ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C · LVD · VICT ·
E C · LVDI
F C · LVDI
G C · LVDI
H C · LVDI

A K · NOVEM · N ·
B
C
D
E NON · F ·
F F · LVDI
G C ·
H C · LVDI
A C · LVDI
B C · LVDI
C C · LVDI
D C · LVDI
E EID · NP · EPVL · INDICT ·
F F · EQVOR · PROB ·
G C · LVD · PLEB · IN CIRC ·
H C · IN · CIRC ·
A C · IN · CIRC ·
B C · MERK ·
C C · MERK ·
D C · MERK ·
E C ·
F C ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C C ·
D C ·
E F ·
F C ·

G K · DEC · N ·
H
A
B
C NON · F ·
D
E C ·
F C ·
G C ·
H C ·
A AGON · NP ·
B EN ·
C EID · NP ·
D F ·
E CONS · NP ·
F C ·
G SAT · FERIAE SATVRN ·
H C ·
A OPAL · NP ·
B C ·
C DIV · NP ·
D C ·
E LAR · NP ·
F C ·
G C ·
H C ·
A C ·
B C ·
C F ·
D F ·
E C ·

Posset agi lege, necne, inquit Cicero (1), *pauci quondam sciebant: fastos enim vulgo non habebant. erant in magna potentia qui consulebantur: a quibus etiam dies, tamquam a Chaldaeis, petebantur. inventus est scriba quidam Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, et singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit, et ab ipsis cautis jurisconsultis eorum sapientiam compilarit.* eadem vero de Cn. Flavio apud Livium (2) invenies. porro uterque Kalendarium *Fastos* appellat, quod in eo dies fasti descripti essent. ad aetatem Augusti hoc spectare, argumento est, quod ipse Augustus non appellatur *Divus,* quo idem nomine post mortem semper est appellatus; nam quae memorat Augustalia, fortasse post illius mortem adjecta sunt.

Litteras octo Kalendarii ab A ad H, quae deinceps semper iterantur, Nundinales dixere Scaliger et Erycius Puteanus, quod putabant adscriptas ad nundinas indicandas. eam opinionem rejecit Bianchinus (3); atque ex Tullio ac Macrobio (4) ostendit, nundinas nono quoque die fuisse: proinde non octo sed novem esse litteras debuisse, ut nundinas omnes ea semper littera significaret, quae anni initio primas indicasset. existimat autem sub octonis illis litteris periodum anni magni latere, diversam a Chaldaea, Aegyptia et Graeca, nec tamen ab iis alienam: eam nempe, quam C. Iulius Caesar duce Sosigene in suo Cyclo complexus fuerit. jam vero octo illas litteras perpetuo sibi

(1) pro Mur. c. 11. n. 25.
(2) lib. 9. c. 34. n. 46.
(3) de Kal. et Cycl. c. 2. p. 8.
(4) ad Fratr. l. 2. ep. 13. Saturn. l. 1. c. 16.

succedentes, quatuor colorum generibus distinctas fuisse, contendit: quod certe suadere videntur illa verborum vestigia in Kalendarii initio PINGENDVM et TALVLIS · PICTIS · primas ille octo litteras albas facit, easdem subinde repetitas facit prasinas, tertias russatas, quartas venetas: quae deinceps eodem ordine sibi succedant. his porro Romanos ad Νεμηνιας numerandas recte uti potuisse, demonstrat. ceterum negat Vulpius, ullo in Kalendario (1) ea se colorum vestigia usquam reperisse: quum tamen picturae saepe antiquissimae in lucem prodeant, claris adeo intactisque coloribus, ut recens omnino pictae videantur: quin et illud veteribus minime difficile fuerit, siquidem coloribus istis opus erat, litteras ipsas coloreas musivo opere ad perennitatem marmori inserere.

Reliquae litterae, quae fere singulariae sunt, quid sibi velint, paucis expediam. F. est dies fastus, C. dies comitialis, N. dies nefastus, NP. dies nefastus priore, prima nempe diei parte, FP. fastus priore, EN. dies endotercisus, sive intercisus et horis aliquot fastus: K. calendae, NON. nonae, EID. idus.

Fasti dies, sive ii, quibus licebat praetori lege agere, et tria illa verba sollemnia fari, in toto Kalendario ne quadraginta quidem numerantur. eos tamen multo plures fuisse scito: quippe omnes, qui comitiales dicuntur, nisi iis diebus comitia habenda essent, fasti erant (2): quibus addendi sunt ceteri; qui parte aliqua diei fasti essent, ut intercisi, nefasti priore: peractis enim sacrificiis, jus reddere Praetori Fas erat. quin vel ipsis diebus festis ludisque publicis, imo et nefastis, quaeri leges jubebant de seditiosis conscleratisque civibus, qui aut armati senatum obsedissent, aut magistratibus vim attulissent, aut rempublicam oppugnassent (3). iisdem diebus deferre nomen cujusque, citare reos, testes rogare licuisse (4), satis liquet. accedit Tullii locus, quem tute, velim, cum Kalendario compares (5). *Nonae sunt hodie Sextiles: hora nona convenire coepistis. hunc diem jam ne numerant quidem. decem dies sunt ante ludos Votivos, quos Cn. Pompejus facturus est. hi ludi dies quindecim auferent. deinde continuo Romani consequentur. ita prope quadraginta diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur: deinde se ducturos et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae: cum his Plebejos esse conjunctos; secundum quos aut nulli aut pauci dies ad agendum futuri sunt. ita defessa ac refrigerata accusatione rem integram ad M. Metellum praetorem esse venturam.* hoc nempe Tullius animadvertere judices volebat, Hortensium, qui Verrem defenderet, consulto nihil ludorum diebus acturum; ut interjecti dies et dicendo et excusando consumerentur, nec sententia, nisi a Metello praetore post calendas Ianuarias pronuntiari posset. integrum enim patrono fuisse puto (6), ut per ludos et ferias, si mallet, omnibus negotiis forensibus abstineret.

Idcirco Augustus, uti leges apud Svetonium (7), *ne quod maleficium negotiumve impunitate vel mora elaberetur, triginta amplius dies, qui honorariis ludis occupabantur, actui rerum accommodavit.* et M. Aurelius, uti narrat Capitolinus (8), *Fastis dies judiciarios addidit, ita ut ducentos triginta dies annuos rebus agendis litibusque disceptandis constitueret.*

Singuli jam menses suos habent sive ludos sive festos dies. quinto idus Ianuarias occurrunt AGONalia, festa scilicet in honorem Iani (9). tertio autem idus easdem CARMentalia, dies quinque festi, in quibus sacra fiebant Carmentae Evandri matri (10). cur

(1) Tab. Antiat. c. 5. p. 27.
(2) Manut. de vet. dier. rat.
(3) Cic. pro Coel. c. 1. n. 1.
(4) Cic. Fam. l. 7. ep. 1. etc.
(5) Act. 1. in Verr. c. 10. n. 31.
(6) l. 6. D. de feriis et dilat.
(7) in Aug. c. 32. n. 6.
(8) in M. Aurel. c. 10.
(9) Ovid. 1. Fast. v. 317.
(10) id. ibid. v. 461.

vero qui dies postridie idus est, *Vitiosus ex senatus consulto* appelletur, non teneo. sed Livius tamen ad rem declarandam lumen praefert. narrat enim, quod postridie idus Quinctiles non litasset Q. Sulpitius tribunus militum; neque inventa pace Deûm, post diem tertium objectus hosti exercitus Romanus esset; postridie idus rebus divinis supersederi jussum: inde quosdam traditum putare, ut postridie calendas quoque ac nonas eadem religio esset (1). porro hinc licet arguere, ob similem caussam senatum decrevisse, ut is dies vitiosus haberetur, ne quod eo die Quirites publicum privatumve negotium susciperent. quamquam Gellius (2) dies eos, qui sunt postridie calendas, nonas, idus, imperite a vulgo *Nefastos* appellari dicit, quum Verrio teste *Atri* dicti habitique sint, quod nempe non unam calamitatem illis diebus respublica accepisset. addit idem: *Ante diem quoque quartum calendas vel nonas vel idus tamquam ominalem diem plerique vitant. ejus observationis an religio ulla sit tradita, quaeri solet: nihil super ea re scriptum invenimus: nisi quod Q. Claudius Annalium quinto cladem pugnae Cannensis vastissimam factam dicit ante diem quartam nonas Sextilis*. atque hujusmodi superstitione diu infectos Romanos fuisse reperies, ut ipse Augustus dies quosdam observarit, *ne aut postridie nundinas quoquam proficisceretur, aut nonis quidquam rei seriae inchoaret* (3). veri tamen simile duco et illud, quod a Plutarcho (4) animadversum est, antiquiores Romanos non superstitione aliqua, sed ratione certa et acri judicio constituisse, ut qui dies ferias consequerentur, nefasti essent: quippe, quum feriis operari sacris solerent, nec nisi res divinas curandas putarent, noluerunt die sequenti homines imparatos ac sine meditatione ad rei publicae privataeque negotia tractanda statim accingi.

XV. cal. Martias LVPERcalia erant, quo die a Lupercis sacra fiebant in honorem Panis (5). XIIII. cal. item Martias QVIRINALIA in honorem Romuli (6). VIII. cal. easdem FERALIA, VII. TERMINALIA, haec in honorem Dei Termini, illa Diis Manibus sacrata (7). postridie Terminalia signatur REGIFUGIUM, quo die rex Tarquinius ex urbe pulsus fuerat, et parta populo libertas (8). NI. denique cal. Martias EQUIRIA, ludi scilicet in honorem Martis, in quibus equi currebant (9).

Pridie nonas Martias adscribitur, Caesarem eo die Pontificem maximum factum esse: quem, inquis, Caesarem? Iulium, opinor, Dictatorem: esto, hoc ipso die pontificatum, Lepido demortuo, Augustus sine dubio susceperit (10), parens ejus Iulius num eodem ceperit, incertum sit. nam hoc quidem si affirmavero, nemo falsum ostendat: at nullum in Kalendario discrimen utriusque nominis factum, incredibile est: nec vero mirum, notatas Caesaris Dictatoris res, cujus memoriam Augustus tantopere colebat. quare quae hic Caesari tribuuntur, ea de Dictatore semper dicta puto: hunc Alexandriam recepisse ante diem VI. cal. Apr. ut jam a Velsero animadversum est (11), hunc Hispaniam vicisse postridie cal. Aug. sive Sextiles, Afranio nempe Petrejoque devictis, ut ipse in commentariis suis exposuit (12): hunc demum Hispalim vicisse, v. idus Sextiles, quam sane ab eo captam tradit Dio (13): et hujus Pharsalicam de Pompejo indicari victoriam XIII. cal. Sextiles, ut infra adnotatum reperies. quae autem ad filium hujus Caesarem Octavianum pertinerent, ea, ut par erat, Augusti appellatione designata sunt; sic enim ille audiebat. jam pridie idus iterum occurrunt EQUIRIA; postridie vero LIBERalia, Liberi sive Bacchi sacra (14). XIII. cal. Apriles QVINQUATRIA dies festi

(1) lib. 6. c. 1, n. 1.
(2) N. A. l. 5. c. 17.
(3) Svet. in Aug. c. 92. n. 6.
(4) Quaest. Rom. p. 270. C.
(5) Ovid. 2. Fast. v. 267.
(6) id. ibid. v. 475.
(7) Varr. l. 5. de l. l. c. c. 3.
(8) Ovid. 2. Fast. v. 685.
(9) id. ib. v. 859.
(10) Dio l. 54. p. 540. E. Ovid. Fast. l. 3. v. 419.
(11) Rer. Aug. Vind. l. 2. p. 199.
(12) B. C. l. 1. c. 27. n. 84.
(13) l. 43. p. 233. C.
(14) Ovid. 3. Fast. v. 713.

Minervae (1). x. cal. easdem TVBILustrium, quod eo die, agna Minervae immolata, fieret lustratio tubarum, quae in sacris adhibebantur (2). postridie eum diem adscriptum est Q . REX . C . F . de his litteris Ovidius (3):

Quattuor inde notis locus est: quibus ordine lectis
Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

duobus enim modis ipsi veteres legebant: nempe *Quando Rex comitiavit, fas*, vel *Quando Rex comitio fugit*. at Varro sic explicat (4): *Dies, qui vocatur*, Quando Rex comitiavit, fas, *dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus itat ad comitium: ad quod tempus est nefas; ab eo fas: itaque post id tempus lege actum saepe*. ceterum sacris peractis Rex sacrorum profugiebat (5): hinc altera interpretatio orta est. *comitiare* autem erat sacrificium in comitio facere.

Pridie nonas Apriles *Ludi Matri Magnae:* hi sunt, quos *Megalenses* et *Megalesia* vocarunt (6), in honorem Matris Deorum celebrati. pridie idus ludi Cereri, quartoque eorum ludorum die FORDICIDIA in honorem Telluris, quod boves fordae sive praegnantes immolarentur (7): ultimo eorum ludorum die CEREALIA, festum, quod matronae maxime in honorem Cereris celebrabant (8). xI. cal. Majas PARILIA, quae saepius *Palilia* dicuntur, Palis Deae festum, diesque natalis urbis Romae (9). VIIII. cal. easdem VINALIA, dies, quo vinum novum Iovi libabant (10). VI. cal. easdem ROBIGALIA, dies festus in honorem Robigi Dei, quem sacris placabant, ut rubiginem a segetibus averteret (11). III. demum calendas easdem FLORALIA, dies festi ludique in honorem Florae instituti (12).

Postridie calendas Majas COMPITALIA, ludi et sacra in compitis, quae fiebant in honorem Larium (13). Compitalitiis Augustus (14) Lares ornari bis anno instituit, vernis floribus et aestivis. VI. autem, v. et II. idus Majas LEMURIA, festa Lemurum placandorum caussa instituta (15). at III. idus LVDI MARTI IN CIRCO. XII. cal. Iunias AGONALIA iterum (16). x. cal. easdem TVBILUSTRIUM iterum, et postridie eum diem sacrum Regis sacrificuli in comitio.

Postridie cal. Iunias dies sacer MARTI, CARNAE sive Cardeae, quae ostiorum cardinibus praeerat, et MONETAE Iunoni. VI. idus Iunias sacra fiebant Deae MENTI IN CAPITOLIO (17): die sequenti VESTAE, quo die NEFAS PRAETORI jus dicere. III. idus easdem MATRALIA, festa Matris Matutae (18). XVI. cal. Iulias quando STERCUS DELATUM, FAS: eo nempe die aedes Vestae purgabatur, et sordibus in Tiberim delatis, fas erat Praetori jus dicere (19).

III. nonas Iulias POPLIFUGIUM, quo die plebs in Sacrum montem secesserat (20). deinde LVDI APOLLINARES in honorem Apollinis voti bello Punico secundo (21), *victoriae*, inquit Livius, *non valetudinis ergo, ut plerique rentur*. hi deinde, lege lata a P. Licinio Varo praetore urbano, quippe ad hunc unum eorum cura spectabat, *in perpetuum in statam diem* rursus voti (22): ipseque primus fecit *ante diem* III. *nonas Quinctiles:* sic Livius, quum in Kalendario *pridie nonas* sint. tributi ludis dies octo, quorum ultimus Circensibus celebrabatur. uni Apollini, non et Dianae sacros fuisse, multis adversus Vaillantium ostendit Spanhemius (23).

Pridie idus Iulias, si Manutii et Ciacconii interpretatio placeat, MERKATUS sive nun-

(1) Ovid. 3. Fast. v. 809.
(2) id. ib. v. 849.
(3) id. 5. Fast. v. 727.
(4) de L. L. l. 5. c. 4.
(5) Festus in V. *Quando*.
(6) Ovid. 4. Fast. v. 179.
(7) id. ib. v. 629.
(8) id. ib. v. 391.
(9) id. ib. v. 721.
(10) Festus v. *Vinalia*.
(11) Varro de R. R. l. 1. c. 1. etc.
(12) Macr. Saturn. l. 1. c. 4.
(13) Varro de L. L. l. 5. c. 3.
(14) Svet. in Aug. c. 31. n. 6.
(15) Ovid. 5. Fast. v. 421.
(16) id. ib. v. 721. etc.
(17) id. 6. Fast. v. 241.
(18) id. ib. v. 533.
(19) id. ib. v. 227. et 713.
(20) Liv. l. 2. c. 17. n. 32.
(21) id. l. 25. c. 9. n. 12.
(22) id. l. 27. c. 23. n. 23.
(23) Diss. 10. p. 123.

dinae, de quibus sane Hortensia lex lata est, ut quae feriae olim fuerant (1), fastae essent: quo rustici, qui nundinandi caussa in urbem veniebant, lites suas peragere eodem die possent. sed mihi tamen probanda magis videtur Scaligeri (2) opinio et Pontederae (3) existimantium litteris illis dies MERKedonios significari ex *Mercedino* mense intercalari, quem Plutarchus (4) facit εικοσι και δυσιν ημερων οντα, in Quinctilem, Septembrem ac Novembrem a Caesare annum ordinante translatos distributosque. quis enim credat, mercatus in Kalendario his tantum mensibus designari, quum nono quoque die in urbe haberentur; aut his potissimum mensibus per plures dies a feriatis rusticis celebratos, quum in agris opus maxime fervere solet? quinam vero esset priscis temporibus *Mensis Mercedinus*, codex nos edocet bibliotheeae Barberinianae Ioannis Lydi Philadelphiensis nomine inscriptus, quem mihi perofficiose indicavit egregius antiquitatis investigator Cajetanus Marinius: Κιγκιος, inquit Lydus (5), εν τῳ περι των εορτων λεγει, Νοεμβριον παρα τοις παλαιοις Μερκεδινον ονομασθηναι, ὡσανει μισθοφορον. εν αυτῳ γαρ τοις κτητορσιν οι μισθωτοι τας προσοδους εισεφερον του παρελθοντος κυκλου, ετερων καρπων αυθις επερχομενων. eo igitur mense in domini horrea anni vertentis proventus ab operis inferebatur; quippe post eum novae dein fruges supervenirent. quare multo commodius a Caesare ejus mensis dies distributi sunt in Quinctilem, Septembrem, et Novembrem, quum rustici ter in anno locatae operae mercedem exigerent, primum frumento convecto, deinde vino coacto, denique pomis oleisque lectis. tum porro mercedes operis solutas esse, haud obscure Tertullianus (6) ostendit: *Sunt*, inquit, *quidam dies munerum, quae apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. nunc ergo, inquis, recipiam meum, vel rependam alienum: si hunc morem sibi homines de superstitione consecraverunt, tu extraneus ab omni eorum vanitate quid participas Idolothyta sollemnia, quasi tibi quoque praescriptum sit de die, quo minus id, quod homini debes, vel tibi ab homine debetur, citra diei observationem luas vel recipias?* XIII. et XII. cal. Augustas LVCARIA, sacris ludisque celebrata inter viam Salariam et Tiberim, quod Romani a Gallis victi, atque fugientes e proelio, ibi in luco se occultaverant (7). et XIII. cal. easdem LVDI VICTORIAE CAESARIS Pharsalicae; ut ut Lucanus diem ejus ignotum dixerit (8): qui tamen dies in Kalendario Antiatino dicitur fuisse quinto idus Augustas (9). de victoria, quam Augustus consequutus esset, intelligi certe non potest; quod maximas victoriarum suarum, praeter Actiacam, quam retulit III. non. Septembr. mense Sextili adeptus sit, eaque maxime de caussa mensem hunc vocarit Augustum (10). X. cal. easdem NEPTVNALIA, ludi in ejus Dei honorem, a quo nomen habent (11). VIII. demum cal. easdem FVRINALIA, sacra et feriae Deae Furinae sive Furiae (12). miror in hoc mense diem cladis Alliensis, qui erat XV. cal. Augustas, non appellari Nefastum; quum adeo ejus diei memoria mansit, ut Decuriones Pisani in celeberrimo Ordinis illius decreto diem, quo decessit C. Caesar Aug. F. *pro Alliensi* habendum decreverint. eodem ipso die Fabios quoque ad Cremeram caesos dicit Livius (13): *sed eum*, inquit, *diem a posteriori clade Alliensem appellarunt, insigniemque rei nulli publice privatimque agendae fecerunt.*

Postridie cal. Augustas FERIAE, quarum adhuc nomen, non sine aliqua depravatione

(1) Macr. Saturn. l. 1. c. 16.
(2) Siccam in Fast. Kal. c. 13.
(3) Antiq. epist. 42.
(4) in Num. p. 71. F.
(5) C. c. M. Νοεμβρ. (L. Cincius Alimentus vet. Gramm. a Gellio et Festo et Macrob. saepe cit.) *Cincius, de festis, ait, Novembrem ab antiquis* Mercedinum *appellatum esse, quasi mercedes afferentem. eo enim mense possessoribus mercenarii inferebant reditus exacti temporis, quum novos fructus terra submitteret.*
(6) de Idol. c. 13.
(7) Festus v. *Lucar.*
(8) lib. 7. v. 411.
(9) Inscr. Capit. t. 2. p. 162. DIVVS IVL · PHARS · VICIT
(10) Suet. in Aug. c. 31. n. 2. Macrob. Saturn. l. 1. c. 12.
(11) Varro de L. L. l. 5. c. 3.
(12) idem ibid.
(13) lib. 6. c. 1. n. 1.

retinemus. hoc die Caesar Aug. HISPANIAM vicit. XVI. calend. Septembres PORTUNALIA vel Portumnalia, sacra in honorem Portumni sive Palaemonis Dei portuum praesidis (1). VIII. cal. easdem VINALIA iterum, quo die Fas Praetori. ea Varro *Rustica* appellata esse dicit (2), quod tum Veneri dedicata aedes, et horti ejus tutelae adsignati, ac tum feriati essent olitores. XII. cal. easdem CONSUALIA, ludi in honorem Consi sive Neptuni equestris (3). X. cal. easdem VOLCANALIA. VIII. OPICONSIVA vel opeconsiva, dies Opi Consivae sacer, quae uxor Saturni ferebatur (4). VI. calend. easdem VOLTURNALIA, sacra Dei Volturni, qui forsitan idem ac Volturnus Campaniae fluvius (5). postridie hujus diei adscriptum HOC DIE ARA VICTORIAE IN CVRIA DEDICATA EST, cujus Deae statuam Augustus Tarento in urbem transtulerat (6).

Calendis Septembribus FERIAE NEPTUNO. postridie idus Feriae EQVORUM PROBANDORUM: is nimirum dies Transvectionis equitum fuisse videtur, quae olim idibus Quinctilibus fiebat (7): nam eum morem quum post longam intercapedinem reduxisse Augustus dicatur (8), idem fortasse constituit, ut hoc mense et Novembri celebraretur. VIII. cal. Octobres, HOC DIE AVGVSTI NATALIS, LVDI CIRCENSES. *Natus est Augustus*, inquit Svetonius (9), *M. Tullio Cicerone et Antonio consulibus* IX. *Kalend. Octobris paullo ante solis exortum regione Palatii ad capita bubula, ubi nunc sacrarium habet, aliquanto post, quam excessit, constitutum*. porro Natalem Augusti, dum is vixit, Equites Romani sponte atque consensu biduo semper celebrarunt (10). in circo etiam Venationes editas, tradit Dio: quas in aliis quoque urbis locis datas esse apud eumdem legimus (11).

V. idus Octobres MEDITRINALIA. de his Festus: *Meditrinalia dicta hac de caussa: mos erat Latinis* populis, *quo die quis primum gustaret mustum, dicere ominis gratia:* Vetus novum vinum bibo: Veteri novo morbo medeor: *a quibus verbis Meditrinae Deae nomen captum, ejusque sacra Meditrinalia dicta sunt*. deinceps AVGVSTALIA in honorem Augusti post ipsius mortem instituta, de quibus audi Tacitum (12): *Tribuni plebeii petivere, ut proprio sumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi* Augustales *vocarentur. sed decreta pecunia ex aerario*. III. idus FONTINALIA seu Fontanalia, feriae Fontibus dicatae, quo die, uti scribit Varro (13), et in fontes coronas jaciebant, et puteos coronabant. XIII. cal. Novembres ARMILUSTRIUM quo die Romani sacra faciebant armati, ac dum sacrificium procurabatur, tubis canebant, armorum exercitusque lustrandi atque expiandi caussa. locus sacrificii Armilustrum vocabant, eratque in regione urbis decima tertia (14). VI. demum cal. easdem LVDI VICTORIAE, a Sulla instituti (15).

Idibus Novembribus EPVLUM INDICTIVUM, quod Diis instituebatur ludorum caussa, et *Epulum Iovis* appellabant (16). deinde EQVORUM PROBATIO: tum LVDI PLEBEII IN CIRCO, *quos*, ut ait Asconius (17), *exactis regibus pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum*. quarto, tertio et pridie nonas hujus mensis nihil adscriptum, quod ii, opinor, dies *Atri* (18) haberentur, qui, ut tradit Gellius, *neque proeliares erant neque puri neque comitiales* (*a*).

III. idus Decembres AGONALIA tertium. at XVIII. cal. Ianuarias CONSUALIA iterum. XVI.

(1) Varro de L. L. l. 5. c. 3.
(2) idem ibid.
(3) idem ibid.
(4) Festus in V. *Opima*.
(5) Varro de L. L. lib. 6. c. 3.
(6) Dio l. 51. p. 459. D.
(7) Liv. l. 9. c. 34. n. 46.
(8) Svet. in Aug. c. 38. n. 3.
(9) in Aug. c. 5. n. 1.
(10) id. ibid. c. 57. n. 3.
(11) l. 54. p. 545. A.
(12) Ann. l. 1. c. 15.
(13) de L. L. l. 5. c. 3.
(14) Varro ibid. et P. Victor de region. Vrb. Rom.
(15) Ascon. in 2. Verr. c. 10.
(16) Liv. l. 25. c. 2. n. 2.
(17) in 2. Verr. c. 10.
(18) N. A. lib. 5. c. 17.
(*a*) Haec non sunt Gellii verba, ut ait cl. Auctor; sed Forcellini in ejus Lex. tot. Latin. ad V. *Ater*.

cal. easdem SATURNALIA FERIAE SATVRNO trium vel potius septem dierum festa: quippe Sigillariorum, ut ait Macrobius (1), adjecta celebritas in septem dies discursum publicum et laetitiam religionis extendit. idem tamen scripserat (2), apud majores Saturnalia uno die finita, quod inepte ab eo falsoque prolatum esse, ostendit Pontedera (3): quum non modo Tullius Saturnalia memoret secunda et tertia, sed etiam apud eundem Macrobium Nonius et Mummius antiquissimi scriptores hasce ferias *septem Saturnalia* vocantes inducantur. idem argumenta elevat, quae pro eadem sententia Macrobius attulit.

In ipsis vero Saturni feriis OPALIA quoque celebrata, dies festi, quibus Opi supplicabatur Saturni uxori (4). et XII cal. Ianuarias DIVALIA, dies festus Divae Angeronae, cui sacrificium faciebant in curia (5). haec Dea silentii habita esse videtur (6): itaque simulacrum ejus ore obligato obsignatoque fuisse dicitur.

X. tandem cal. easdem LARENTALIA habes sive etiam Laurentalia, ferias nimirum in honorem Aecae Laurentiae, cui sacerdotes in Velabro faciebant (7). ea fuit Faustuli pastoris uxor, quae Romulum ac Remum laetavit atque aluit (8): cui hoc die Romanos publice parentari solitos, ex ultimo Kalendarii Praenestini fragmento nuper didicimus: eamque fuisse caussam, quod ea populo Romano magnam pecuniam testamento reliquisset.

LXX. (Grut. p. 138.)

MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS
IANVAR ·	FEBRVAR ·	MARTIVS	APRILIS
DIES · XXXI ·	DIES · XXVIII ·	DIES · XXXI ·	DIES · XXX ·
NON · QVINT ·	NON · QVINT ·	NON · SEPTIMAN ·	NONAE
DIES · HOR · VIIIIS ⊐	DIES · HOR · XS ⊐	DIES · HOR · XII ·	QVINTAN ·
NOX · HOR · XIIII ⊐	NOX · HOR · XIII ⊐	NOX · HOR · XII ·	DIES
SOL	SOL · AQVARIO	AEQVINOCTIVM	HOR · XIIIS ·
CAPRICORNO	TVTEL · NEPTVNI	VIII · KAL · APR ·	NOX
TVTELA	SEGETES	SOL · PISCIBVS	HOR · XS ·
IVNONIS	SARIVNTVR	TVTEL · MINERVAE	SOL · ARIETE
PALVS	VINEARVM	VINEAE · PEDAMEN ·	TVTELA
AQVITVR	SVPERFIC · COLIT ·	IN · PASTINO	VENERIS
SALIX	HARVNDINES	PVTANTVR	OVES
HARVNDO	INCENDVNT ·	TRIMESTR · SERITVR	LVSTRANTVR
CAEDITVR	PARENTALIA	ISID · NAVIGIVM	SACRVM
SACRIFICANT	LVPERCALIA	SACR · MAMVRIO	PHARIAE
DIS	CARA · COGNATO ·	LIBERAL · QVINQVA	ITEM
RENATIBVS	TERMINALIA	TRIA · LAV · M · I · A ·	SARAPIA

(1) Saturn. l. 1. c. 10.
(2) ibid.
(3) Antiq. epist. 41.
(4) Varro de L. L. l. 5. c. 3.
(5) id. ibid.
(6) Plin. H. N. l. 3. c. 5. n. 9. Macrob. Saturn. l. 1. c. 10.
(7) Varro de L. L. l. 5. c. 3.
(8) Macr. Saturn. l. 1, c. 10.

MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS
MAIVS	IVNIVS	IVLIVS	AVGVST ·
DIES · XXXI ·	DIES · XXX ·	DIES · XXXI ·	DIES · XXXI ·
NON · SEPTIM ·	NON · QVINT ·	NONAE	NON · QVINT ·
DIES · HOR · XIIIIS ·	DIES · HOR · XV ·	SEPTIMAN ·	DIES · HOR · XIII ·
NOX · HOR · VIIIIS ·	NOX · HOR · VIIII ·	DIES	NOX · HOR · XI ·
SOL · TAVRO	SOLIS · INSTITIVM	HORARVM	SOL · LEONE
TVTELA · APOLLIN ·	VIII · KAL · IVL ·	XIIIIS♎	TVTEL · CERER ·
SEGET · RVNCANT ·	SOL · GEMINIS	NOX · HOR ·	PALVS · PARAT ·
OVES · TONDENT ·	TVTELA	VIIII♎	MESSES
LANA · LAVATVR	MERCVRI	SOL · CANCR ·	FRVMENTAR ·
IVVENCI · DOMANT ·	FAENISICIVM	TVTELA	ITEM
VICEA · PABVLAR ·	VINEAE	IOVIS	TRITICAR ·
SECATVR	OCCANTVR	MESSES	STVPVLAE
SEGETES	SACRVM	HORDIAR ·	INCENDVNT ·
LVSTRANTVR	HERCVLI	ET · FABAR ·	SACRVM · SPEI
SACRVM · MERCVR ·	SACRVM	APOLLINAR ·	SALVTI · DEANAE
ET · FLORAE	FORTIS · FORTVNAE	NEPTVNAL ·	VOLCANALIA

MENSIS	MENSIS	MENSIS	MENSIS
SEPTEMBER	OCTOBER	NOVEMBER	DECEMB ·
DIES · XXX ·	DIES · XXXI ·	DIES · XXX ·	DIES · XXXI ·
NON · QVINT ·	NONAE	NON · QVINT ·	NON · QVINT ·
DIES · HOR · XII ·	SEPTIMAN ·	DIES · HOR · VIIIIS ·	DIES · HOR · VIIII ·
NOX · HOR · XII ·	DIES	NOX · HOR · XIIIIS ·	NOX · HOR · XV ·
AEQVINOCT ·	HOR · XS ·	SOL	SOL · SAGITT ·
VIII · KAL · OCT ·	NOX	SCORPIONE	TVTEL · VESTAE
SOL · VIRGINE	HOR · XIIIS ·	TVTELA	HIEMIS · INITIVM
TVTELA	SOL	DEANAE	SIVE · TROPAE
VOLCANI	LIBRA	SEMENTES · TRITICAR ·	CHIMERIN ·
DOLEA	TVTELA	ET · HORDIAR ·	VINEAS · STERC ·
PICANTVR	MARTIS	SCROBATIO	FABA · SERENTES
POMA · LEGVNT ·	VINDEMIAE	ARBORVM	MATERIAS
ARBORVM	SACRVM	IOVIS	DEIICIENTES
OBLAQVEATIO	LIBERO	EPVLVM	OLIVA · LEGENT ·
EPVLVM		HEVRESIS	ITEM · VENANT ·
MINERVAE			SATVRNALIA

En tibi Kalendarium rustieum Farnesianum, signis caelestibus distinctum, olim a Fulvio Vrsino explicatum, cui exemplar alterum antiquum, quod a domino *Vallense* nominat, ad germanam hujus lectionem lumen attulit.

Singulis mensibus dierum numerum edicit, et nonas, quae modo quinto, modo septimo mensis die quum essent, ideo Quintanae, aut Septimanae appellabantur. omittit idus, quod a nonis aeque omnes distarent. addit diei ac noctis horas, semihoras, quadrantes: solis ortum, Deum, in cujus tutela mensis esse putabatur: denique rusticorum

opera, et sacra quaedam diesque festos, de quibus fere diximus ad primum Kalendarium.

Supplenda hic saepe litteris aliquot verba, quod angustiae marmoris integra non caperent. *Aquitur* lege *Acuitur;* est enim Q pro C, ut Quoi pro Cui. *Palos,* inquit Columella (1), *una opera caedere, et exputatos acuere centum numero potes.*

Parentalia, antiquae appellationis hic dies, inquit Ausonius (2), *et jam inde ab Numa cognatorum inferiis institutus.*

Quae hic *Cara Cognatorum* dicuntur, ab Ovidio *Charistia* appellata (3): eo die sollemne convivium apparabatur opipare, quod praeter cognatos et affines inibat nemo (4). in Fabrettina inscriptione (5) appellatur *Dies Carae Cognationis:* quod leges etiam apud Tertullianum (6).

Trimestria semina sunt, quae trimestri spatio maturescunt (7).

Isidis Navigium, sive navigatio, nam id quoque *Navigium* (8) significat. de hoc festo Lactantius (9): *Certus dies habetur in fastis, quo Isidis Navigium celebratur: quae res nos docet, non tranasse illam sed navigasse.* eundem hunc diem Ausonius *Natalem Ratis Isiacae* appellat (10). quid vero his verbis designarent veteres, disce ab Hygino (11): *Velificia,* inquit, *primum invenit Isis: nam dum quaerit Harpocratem filium suum, rate velificavit.*

Sacrum Mamurio: recte Vrsinus indicari diem putat, quo Ancilia movebantur. tunc enim, in fine sacri, Mamurii nomen Salii canebant, qui Numa regnante Ancilia confecerat, et hoc facti praemium a rege petierat (12).

Lavatio Matris Idaeae Almone. Vibius Sequester (13): *Almo Romae, ubi Mater Deum* VI *Kal. Apr. lavatur.* quam rem Ovidius quoque attigit (14).

Sacrum Phariae Deae, Isidi nempe Aegyptiorum numini. tam festum hoc, quam quod mense Martio dicitur *Isidis Navigium,* Harduinus (15) institutum arbitratur propter Isidis errores, dum maritum quaereret Osirim. sed *Navigium,* ut vidimus, Isidis errores designabat filium quaerentis.

Sarapia, sacrum Serapidi sive Sarapidi Deo Aegyptiorum, qui idem atque Apis et Osiris (16).

Vicia Pabularis: Columella (17): *sed et viciam in pabulum secare oportet, priusquam siliquae ejus durentur.*

Segetes lustrantur. de eo ritu Tibullus (18), qui et de ovium lustratione canit.

Solis Institium. in Kalendario Vallensi *Solstitium* legitur. *Institiones stellarum* habet Tullius, nisi mendum sit in scriptura (19).

Messes Hordeariae, vel *Hordiariae,* ut apud Festum *Aes Hordiarium.* hordeum Plinius frugum omnium mollissimum esse dicit, idemque ex omni frumento minime calamitosum, quia tollitur, antequam triticum occupet rubigo (20).

Palus Paratur: Columella (21): *vel etiam palis conficiendis idoneum tempus est.*

Messes Frumentariae Item Triticariae. Frumentum id esse veteres docebant, *quod arista in se teneat:* lupinum vero et fabas fruges potius dici, *quia non arista, sed siliqua continetur* (22). frumenti autem genus est triticum: et tritici tamen *genera*

(1) lib. 11. c. 2.
(2) in Parental. praefat.
(3) 2. Fast. v. 617.
(4) Val. Max. l. 2. c. 1. n. 8.
(5) p. 724. n. 443.
(6) de Idolol. c. 10.
(7) Colum. l. 11. c. 2. etc.
(8) L. 122. D. de verb. oblig.
(9) Inst. l. 1. c. 11.
(10) Eclogar. de fer. Rom. v. 24.
(11) Fab. 277. in fin.
(12) Ovid. Fast. l. 3. v. 383.
(13) in lib. de flumin.
(14) 4. Fast. v. 337.
(15) Num. P. et V. p. 404.
(16) Augustin. de C. D. l. 18. c. 5.
(17) lib. 11. c. 2.
(18) lib. 2. eleg. 1.
(19) 1. Tusculan. c. 25.
(20) H. N. l. 18. c. 7. n. 18.
(21) lib. 11. c. 2.
(22) L. 77. D. de verb. et rer. signif.

plura, inquit Plinius, *quae fecere gentes: Italico nullum equidem comparaverim candore ac pondere* (1).

Stipulae Incenduntur, ut Virgilius quoque faciendum censet, ubi agri steriles (2).

Dolia Picantur. Dolia veteres fictilia habuere, quae in cellis vinariis defossa, et pice intus illita vinum diu servabant. *In doliis picandis*, inquit Palladius (3), *hic modus erit: ut dolium ducentorum congiorum duodecim libris picetur*. edicto olim admonuit Romanos Claudius, *Vt uberi vinearum proventu bene dolia picarentur* (4).

Arborum Oblaqueatio, sive *Ablaqueatio*, utrumque enim veteribus placuit. Isidorus: *Oblaqueare*, inquit (5), *est circa codicem terram aperire, et velut lacus efficere*. Cato: *Circum oleas autumnitate ablaqueato, et stercus addito* (6).

Epulum Minervae. Vt Iovi, sic Minervae et omnibus Diis majorum gentium, tamquam epulaturis mensas cibis instruebant Epulones statis diebus, religionis caussa (7); eas demum epulas pro Diis ipsi vorabant. de his ad inscr. LXXX.

Scrobatio Arborum. *scrobs* et *scrobis* fovea ad depangendas arbores. *scrobare* et *scrobatio* in Latinis voluminibus non occurrunt: *scrobem facere* aut *fodere* dixere.

Heuresis. Inventio, opinor, Proserpinae, quae Cyane indice a Cerere matre reperta est (8).

Tropae Chimerinae. Bruma: nam χειμερινος est hibernus. τροπας appellarunt Graeci ea signa, in quibus sol positus immutat, et aëris conversiones facit (9). itaque Oppianus (10) ipsas autumnales conversiones οπωρινας τροπας nuncupavit.

Materias Dejicientes. *Materia* hic rami arborum sunt, et sarmenta, quae amputantur. Columella (11): *Modus materiarum is erit, quem dictabit humi atque ipsius stirpis laetitia*.

Haec habui, quae ad monumentum hoc illustrandum, breviter strictimque dicerem. verum si Iulii Pontederae (12) judicio standum est, oleum hic et operam perdidi. fictum enim Kalendarium istud a plano aliquo, nobisque imperite suppositum esse contendit: quin etiam *iners, ignavum, barbarum* appellare non dubitat. primum enim *in hoc monumento*, inquit, *praepostero ordine, mense Ianuario sol non in Aquario, sed in Capricorno describitur; Februario non in Piscibus, sed in Aquario*, et sic deinceps. ita sane: id vero nobis quid obest? num antiquos errare numquam potuisse, aut numquam errasse defendimus? quamquam, quia potiore mensis Ianuarii parte solem in Capricorno esse sciebant, idcirco nempe adscripsere, *Sol In Capricorno*, minime vero ut indicarent, eo mense ad Capricorni signum accedere.

Cardines temporum VIII. calendas constitutos contra astronomiam dicit. id quoque dabo: at Plinius etiam (13) eo die statuit. nam quod ipse addit, ex vitiatis Plinii exemplaribus ad Kalendarium hoc concinnandum eos cardines desumptos esse, unde didicit?

Ridet Vestam, in cujus tutela December mensis esse dicitur, novamque Vraniam appellat. atqui non incommode eum illi mensem tribuere, quo igni maxime et camino luculento utendum est. Vestam vero ruri etiam cultam esse, inscriptio prima demonstrat.

Quid de hiemis, inquit, *initio? cum brumali cardine quam apposite copulatur?* nempe quam apud Virgilium veris initium cum verno cardine (14). at illa quoque in-

(1) H. N. l. 18. c. 7. n. 12.
(2) Georg. l. 1. v. 85.
(3) in Septembr. tit. 11.
(4) Svet. Claud. c. 16. n. 9.
(5) Orig. l. 17. c. 5.
(6) de R. R. c. 5.
(7) Fest. v. *Epul.*
(8) Ovid. Metam. l. 5. v. 464. Hygin. fab. 146.
(9) Sex. Empir. l. 5. adver. Mathem. c. 1.
(10) Cyneg. l. 1.
(11) lib. 4. c. 24.
(12) Antiq. epist. 46.
(13) H. N. l. 18. c. 26.
(14) Georg. l. 1. v. 125.

terpretatio displicet, *Hiemis Initium Sive Tropae Chimerinae*, tamquam *Brumae* proprium nomen in Latio non esset. sed *Brumae* et novissimum veteris solis tempus, et novi primum dicebatur (1). nec vero Graeca vocabula rusticis inaudita, qui et stellas plerasque Graecis nominibus designabant. addit idem, et dies naturales longiores fieri, quam sint: qui tamen in Farnesiano marmore ob notas, opinor, aliquot deletas mense Ianuario et Februario semihora breviores perhibentur.

Atque haec quidem de caelestibus: *de re rustica*, inquit, *videndum, qua nihil inveniri aut excogitari potest hoc in monumento perfectius*. jocatur autem de messe hordiaria et fabaria, quae Iulio mense peragenda dicitur, quum Iunio fiat, et fabas extremo Iunio contercndas, doceat Columella: perinde ac si inter Iunium extremum et Iulii initium medii dies numerarentur multi; nec meminit, frigus hibernum alicubi, ut fere in montibus, diuturnius esse; itaque et messes paullo tardiores fieri. nec illud commentitium est, his olim regionibus nives frequentius cecidisse, et gelicidiis agros saepius perustos, quam nunc fiat: quod vel unus Horatius satis declarat, quum et stantia gelu flumina, et Soracte alta nive candidum memorat (2), vel diffugisse nives canit (3), nec jam prata rigere, nec fluvios strepere hiberna nive turgidos (4): quae sane nostra hac aetate Romae nova prope et inusitata sunt. quare frumentariae olim et triticariae messes, quae nunc Iulio jam peractae sint, Augusto alicubi mense faciendae fuerunt: qui autem Kalendarium confecit, tempora messis complecti voluit extrema; quod illud fortasse in montanam aliquam regionem asportandum erat.

Rogat, quae poma Septembri mense legenda sint, quum ipse alio loco tradiderit (5), *Quidquid ex stirpe ut malum estur, id pomum appellari, ceu nuces, glandes, ficus, uvas, caulem tenellum, corticem et radicem:* quae deinde omnia auctoritate confirmat.

Ad arborum cultum quod attinet, miratur, Februario vinearum tantum superficiem coli debere, quum prisca aetas saepius per annum vineas alte foderet: quasi vero cautum sit, ne, si liberet, quamvis alte foderentur. ad mensem autem Martium *Vineas*, inquit, *putari novi: putari* pedamina in pastino *prorsus ignoro*. pastinum dixere veteres non modo ferramentum, ut ait Columella (6), bifurcum, quo semina pangnntur; sed etiam ipsum solum pastinatum fossumque: itaque Palladius (7) ait, *Non est uno genere vitium omne pastinum conserendum*. in hoc scilicet agricola et vineas et pedamenta nativa putare jubetur, ut crescant, adnixaeque his vites altius attollantur.

Sacra demum indici quaedam, quae minime villicorum sint, alia contra desiderari admonet, quae omnino rusticorum erant. sed Kalendarium hoc paucorum forsitan agricolarum, et unius familiae erat, in coque ea tantum sacra descripta sunt, quae domi studiosius celebrabantur: e quibus ea fuisse credibile est, quae magis nova erant, aut ab urbe petita. eum etiam offendunt verba quaedam, quae Latina non putat esse: quum tamen si minus scriptorum, at rusticorum certe Latinorum fuisse, verisimile sit. de his autem satis a me superius dictum est.

Haec igitur, et si quae sunt hujusmodi, quamquam a magno viro, reique rusticae peritissimo profecta sunt, mihi tamen tanti non fuerunt, ut de monumenti hujus vetustate dubitarem: praesertim quum nec a Maffejo rejectum fuerit, et Vrsinus, Smetius, Gruterus album ei calculum adjecerint.

(1) Colum. l. 11. c. 2.
(2) l. 1. od. 9.
(3) l. 4. od. 7.
(4) l. 4. od. 12.
(5) Antiq. epist. 68.
(6) l. 3. c. 18.
(7) in Febr. tit. 9.

CAPVT II.

Specimen inscriptionum honorariarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae honorem claris viris aut primariis feminis habitum demonstrant.

Qui capitis superioris exempla perlegerint, eos jam experiendo adsequutos existimo, quam utili haec consilio ante proposita tironi sint, quam rudis adhuc atque hospes ad scriptionem deduceretur. neque enim iis vel ipso in exordio obscurum ambiguumve esse potest, artem hanc nostram, quaecumque sit, ex illa distributione efflorescere, fierique sensim, ut quae dispersa vix usui esse poterant, suis reddita sedibus quemdam certae dictionis characterem vel oculis ipsis objiciant. eodem nunc modo honorarias inscriptiones volventi alia orationis fundendae augendaeque ratio atque forma se offeret: ut quantum eae ceterarum dissimiles sint, tantum inter se similes reperiantur. enimvero huic quoque generi partes subjiciuntur duae: non modo quod honorariae inscriptiones aliae claris viris positae fuere, aliae vero feminis primariis; sed hac etiam de caussa, quod in illis quidem nisi virorum ipsorum magistratus, et quae ipsi tantum gesserunt, exponi ac commendari non solent; in his autem maritorum etiam aut filiorum aut parentum honores ad ipsarum feminarum laudem recensentur. jam vero utriusque partis exempla quum dictione varia inter se ac diversa repererim; tribus item pars utraque articulis distinguetur, et simplices, ornatas, singulares inscriptiones tripartita divisione exhibebit.

PARS I.

INSCRIPTIONES HONORARIAE CLARIS VIRIS POSITAE

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

LXXI. (Murat. p. 219. n. 1. reper. in opp. S. Ag. prope Ben.)

C · IVLIO · C · F · CAESARI
IMP · TRIVMVIRO · R · P · C ·
PATRONO
D · D · (1)

(1) *Decreto Decurionum.*

Haesit Muratorius in C secundi versus, quum putaret municipalem rempublicam indicari, Calatinam aut Campanam aut similem. sed in *Addendis* et *Corrigendis* (1), ut vocat, monitum ille hoc adscribendum curavit: *Dele notam, et scribe* Triumviro R. P. C. *fortasse Rei Publicae Constituendae*. quid tamen? illud *Fortasse* nimis timide: quid enim obvium magis, quid certius? mitto nummos ipsorum triumvirorum Antonii, Lepidi et Caesaris Octaviani (2), formula ista Sullanis jam temporibus invecta fuerat, et ipse Sulla in fastis appellatus *Dictator Rei Publicae Constituendae* (3).

LXXII. (Grut. p. 226. n. 5.)

SENATVS · POPVLVS · QVE · ROMANVS
IMP · CAESARI · DIVI · IVLI · F · COS · QVINCT ·
COS · DESIGN · SEX · IMP · SEPT · (4)
REPVBLICA · CONSERVATA

Statuas Romae C. Caesari Octaviano plurimas a senatu populoque Romano positas, et ex his quasdam argenteas (5), rerum Romanarum scriptores prodiderunt. neque earum dedicandarum aut occasio deerat aut caussa, tam bono Principe de republica et civibus suis quotidie benemerente. sed quae titulum hunc subscriptum habuit, dedicata est post Actiacum bellum et captam Alexandriam (6), quum respublica, pace parta, extollere jam caput, et recreata se erigere videbatur. eandem ob caussam, nec alio tempore positam eam quoque arbitror, cujus inscriptionem strictim attigit Appianus (7): *και εστη μεν ἡ εικων επιγραγην εχουσα, ὁτι την ειρηνην εστασιασμενην εκ πολλου συνεστησε κατα τε γην και θαλασσαν.*

LXXIII. (Maff. M. V. p. 234. n. 1.)

IMP·CAESARI·AVGVSTO·DIVI·F·PONTIFICI·MAXVMO·TRIBVNIC·POTESTATE·XV·IMP·XIII·
M·IVLIVS·REGIS·DONNI·F·COTTIVS·PRAEFECTVS·CEIVITATIVM·QVAE·SVBSCRIPTAE·SVNT
SEGOVIORVM·SEGVSINORVM·BELACORVM·CATVRIGVM·MEDVLLORVM·TEBAVIORVM·ADANATIVM
SAVINCATIVM·EGDINIORVM·VEAMINIORVM·VENISAMORVM·IEMERIORVM·VESVBIANIORVM·QVADIATIVM
ET·CEIVITATES·QVAE·SVB·EO·PRAEFECTO·FVERVNT

Fornicis Segusini inscriptio haec est, quam primus omnium integram descripsit Maffejus, Segusium non alia de caussa profectus. de civitatibus Cottianis Harduinus (8): *Cave*, inquit, *civitatum nomine oppida intelligas, quae hodierno usu civitatis appellatione censentur*. Alpini nempe sunt populi, numero quatuordecim, quorum maximam partem geographia ignorabat. eos Donni filius Cottius non jam regia, ut pater ejus, potestate, sed ex Romano more Praefectus ab Augusto constitutus regebat: quippe hic Inalpinos omnes partim bello devicerat, partim in fidem receperat (9). Cottii tamen praefecturam perpetuam ac plane regiam fuisse arbitror. eum certe Alpium tractum,

(1) tom. 4. Inscr. p. 12.
(2) v. inscr. 356.
(3) ad an. v. c. 672.
(4) Ann. V. C. Varr. 725. 726.
(5) Svet. in Aug. c. 52. n. 2.
(6) v. inscr. 33.
(7) B. C. l. 5. p. 746. *et statua posita est cum inscriptione*, Quod pacem, diuturnis seditionibus turbatam, terra marique constituerit.
(8) ad Plin. l. 3. c. 20. n. 24.
(9) Senec. de vit. brev. c. 5.

cui praeerat, Κοττιου γην appellat Strabo (1) *Cottii regnum* Svetonius (2): quod demum, Cottio defuncto, in provinciae formam redegit Nero (3).

Cottio, qui Iulius ab Augusto dicitur, *Marcus* praenomen est, non *Cajus*. veniebat autem in mentem, id forsitan a M. Agrippa datum, qui Augusti benevolentiam Cottio conciliarit. relege, quae scripsimus ad inscr. XXVI.

Illustria passim monumenta in honorem Augusti, civitatum provinciarumque nomine, excitata esse, plerique veterum scriptorum tradidere: nec simulacra solum et fornices, sed aras etiam et templa et fora et basilicas: quae inter ab ipso Augusto moles quaedam celebratur, Ancyrae a Communi Asiae magnifico opere exstructa, ubi ille, ut Flavius Iosephus scribit (4) decretum etiam illud prostare voluit, quo Iudaeos αυτονομους esse jusserat: Και τουτο το διαταγμα κελευω ανατεθηναι εν επισημοτατῳ τοπῳ γενηθεντι μοι ὑπο του Κοινου της Ασιας εν Αγκυρᾳ. quo deinde loco exemplar quoque incisum est tabularum earum, quae Romae ad ejus mausoleum fixae fuerant.

LXXIIII. (Grut. p. 236. n. 11.)

NERONI · CLAVDIO · DRVSO · GER · COS · DESIG · (5)
EQVESTER · ORDO · PRINCIPI · IVVENT ·

Quaesivit Norisius, quid *Iuventutis* nomine, cujus hic *Princeps* dicitur Drusus Tiberii frater, intelligi a nobis atque accipi oporteret (6): idemque Iuventutem ipsum esse equestrem ordinem confirmavit. nimirum ut multi in eo ordine consenescerent, potior tamen equitum pars Iuvenes censebantur, ex iisque nobilissimi et senatorum filii, qui propter aetatem nec in senatorum numero esse, nec magistratum capere poterant. idcirco illa sunt in monumento Ancyrano: *Equites autem Romani universi* PRINCIPEM *Cajum hastis argenteis donatum appellaverunt:* Principem utique suum sive Iuventutis, ut in nummis quoque legimus, non vero Senatus, nam Princeps Senatus, Dione teste (7), ipse Augustus pater dictus fuerat, cui aliquando successurus Cajus ille Augusti ex filia nepos putabatur, quemadmodum et Ovidius (8) praecinuit:

Nunc Iuvenum Princeps, deinde future senum.

idcirco et Domitianus, qui in nummis Vespasiani appellatur *Princeps Iuventutis* (*a*), a Iuvenali (9) *Iam Princeps equitum* dicitur (*b*).

(1) lib. 3. p. 124.
(2) in Tiber. c. 37. n. 5.
(3) idem in Ner. c. 18. n. 2.
(4) Ios. Ant. l. 16. c. 6. n. 2. *et hoc decretum reponi iubeo in clarissimo monumento, quod Ancyrae mihi a Communi Asiae statutum est.*
(5) Design. in an. V. C. Varr. 745.
(6) Cen. Pis. Diss. 2. c. 3.
(7) l. 53. ad an. V. 726. et l. 57. de Tiber.
(8) de A. A. l. 1. v. 194.
(*a*) Non modo in nummis, sed etiam in lapidibus ita appellatur, nempe apud Grut. p. 244. n. 2. et Marin. Frat. Arv. p. 191.
(9) Sat. 4. v. 32.
(*b*) At cit. Iuvenalis loco non Domitianus, sed Crispinus quidam aulae parasitus eo nomine nuncupatur.

LXXV. (Murat. p. 188. n. 3. at nunc 4.° et 7.° versu aucta ex Marin. Frat. Arv. Inscr. n. 48.)

NERONI · CAESARI
GERMANICI · CAESARIS · F ·
TI · CAESARIS · AVGVSTI · N ·
DIVI · AVGVSTI · PRO · N ·
FLÁMINI · AVGVSTÁLI
SODÁLI · AVGVSTÁLI (a)
SODÁLI · TITIO · FRÁTRI · ARVÁLI
FÉTIÁLI · QVAESTORI
EX · S · C ·

Nero hic Caesar Caii Augusti frater fuit, Germanici filius, idemque Tiberii nepos, quod is patrem Germanicum adoptasset. quem autem vides tot sacerdotiis praeditum, eundem et Drusum fratrem senatus Tiberio criminante hostes judicavit (1).

Flamines initio tres tantum fuere, Dialis, Martialis, Quirinalis, ab rege Numa instituti (2). plures deinde creati; nec fere in deorum numerum quisquam ex Augustis relatus, qui non et flaminem habuerit. Iulii Caesaris Antonius fuit, minime tamen, ut Abramio videtur (3), inauguratus: Augusti autem Germanicus, quo demortuo decrevit senatus (4), ne quis Flamen aut Augur in locum Germanici, nisi gentis Iuliae crearetur. itaque filius ejus Nero proditus est. porro singuli flamines singulorum Divorum assidui sacerdotes erant, insigni veste, et curuli regia sella adornati (5), ac sacerdotii sui jure in senatum introibant (6). nomen eorum a *flameo* ductum crediderim quod *Flaminum* pileus erat sive apex (7). id sacerdotium sub Augustis saepe et provinciales adepti: at republica incolumi, nisi patricius, nemo capere poterat. nam quod Clodius, ut tribunus plebis fieret, e patriciis exisset, sic Tullius disserebat (8): *Probate genus adoptionis; jam omnium sacra interierint..... Populus Romanus brevi tempore neque regem sacrorum, neque* Flamines, *nec Salios habebit.*

Sodales Tatios, qui et Titii aut Titienses dicti, a T. Tatio rege institutos tradit Tacitus in annalibus (9): sed idem in historia (10) Tatio regi a Romulo sacratos affirmat. pugnam hanc sic dirimi posse existimat cum Pichena Brotierus (11): *Tatius,* inquit, *Sabinorum rex in partem Romani imperii acceptus, Tatios sodales instituit, ne Sabinorum religio periret. mortuo Tatio sodales illos ipsi Tatio sacravit Romulus, ut Sabinorum animos certius devinciret.* Varro tamen sodales Titios, non a Tatii praenomine, sed a Titiis avibus appellatos dicit (12), quas ii in auguriis certis observare solebant, ceteri augures non solebant.

Fratres Arvales, qui a Romulo et undecim Accae Laurentiae filiis cepisse exordium dicebantur, erant collegium sacerdotum duodecim; qui sacra publica faciebant,

(a) *Sodales Augustales* primum institutos fuisse ab Tiberio Aug. an. V. C. Varr. 767. narrat Tacit. Ann. l. 1. c. 54. Quidnam vero discriminis inter hos et Flamines Augustales esset, docet Norisius Cen. Pis. Diss. 1. c. 4. et Gor. Inscr. Antiq. II. p. 54.

(1) Svet. in Cajo c. 7. n. 3.
(2) Livius l. 1. c. 8. n. 20.
(3) in Philip. 2. c. 43. n. 110.
(4) Tacit. Ann. l. 2. c. 83.
(5) Livius l. cit.
(6) idem l. 27. c. 10. n. 8.
(7) Dionys. Halic. l. 2. c. 64.
(8) pro Dom. sua c. 14. n. 37.
(9) lib. 1. c. 54.
(10) lib. 2. c. 95.
(11) ad annal. l. 1. c. 54.
(12) de L. L. l. 4. c. 15.

propterea ut arva fruges ferrent (1). eos Varro a *Ferendo* et *Arveis* Fratres Arvales dictos tradit. nam *Fratrem* a *Fratria* ducit, quo Graeci vocabulo a φρω partem hominum designabant, ac potissimum sacrorum ministrorum corpus, ut Martorellius ostendit (2). hosce Arvales vota aliquando etiam pro salute Imperatorum suscepisse, monumenta Antiatina et Vaticana testantur (3). *Spicea corona*, ut est apud Plinium (4), *quae vitta alba colligaretur, sacerdotio ei pro religiosissimo insigni data, quae prima apud Romanos fuit corona: honosque is non nisi vita finitur, et exsules etiam captosque comitatur* (*a*).

De Fetialibus, quos Plutarchus (5) ειρηνοφυλακας appellat, multa sunt apud Livium (6). magna sacerdotum istorum fuerat auctoritas sub regibus, magna sub consulibus, usque ad Sullana tempora: ipsi enim ex s. c. a magistratibus consulebantur, ipsi ad res ab hostibus repetendas mittebantur: neque sine his aut bella suscipi, aut foedera feriri poterant. nihil autem ab his sine sacris caerimoniisque sollemnibus fiebat. sed jam omnia extremis reipublicae temporibus contemni coeperant, nec Fetiales in bellicis rebus, nisi ad usurpationem vetustatis adhibebantur (7). Claudius Aug. ritum eorum et sacra revocavit, atque *cum regibus*, ut ait Svetonius (8), *foedus in foro icit porca caesa, ac vetere Fetialium praefatione adhibita*, cujus exemplum antiquissimum apud Livium (9) reperies.

LXXVI. (Fabrett. p. 104. n. 243. Murat. p. 226. n. 7.)

TI · CLAVDIO
DRVSI · F · CAESARI · AVG ·
GERMANICO
PONT · MAX ·
TRIB · POT · VIIII · IMP · XVI ·
COS · IIII · COS · DESIGN · V · (10)
P · P ·
VICVS · VENERIVS

Praenomine *Imperatoris* Claudium abstinuisse scripsit Svetonius (11): quod et marmorum inscriptiones confirmare videntur. eundem tamen quibusdam in nummis *Imp.* initio tituli appellatum esse, jam a Spanhemio (12) animadversum est (*b*). *Germanicus* autem dictus, quod id cognomen Druso patri et posteris ejus a senatu datum esset (13). si perconteris, unde idem ille, vir minime bellicosus, tot victorias consequutus sit, ut anno imperii nono ad eas ex more designandas *Imperator decimum sextum* dici potuerit; responsum a Dione (14) feras, qui de Claudio scripsit, *Imperatorem* eum ob res in Britannia gestas saepe appellatum, Αυτοκρατωρ πολλακις επωνομασθη,

(1) Varr. de L. L. l. 4. c. 15.
(2) Th. Calam. a p. 591.
(3) Torr. p. 97. c. 7.
(4) H. N. l. 18. c. 2. n. 2.
(*a*) De his sacerdotibus accuratissime egit Cajet. Marinius in opere, cui titulus: *Gli Atti e i Monumenti de' Fratelli Arvali. Roma* 1795. Quem, si plura de iis scire libet, videsis.
(5) in Numa p. 68. A.
(6) lib. 1. c. 13. n. 32. etc.
(7) Ovid. 6. fast. v. 205.
(8) in Claud. c. 25. n. 17.
(9) lib. 1. c. 9. n. 24.
(10) Ann. V. C. Varr. 803.
(11) in Claud. c. 12. n. 1.
(12) Diss. 12. p. 397.
(*b*) At hic Spanhemius non de praenomine Imperatoris, sed de eodem cognomine loquitur. Unus vero tantum citatur numus ab Eckhel. D. N. V. t. 6. p. 246. cum praenomine IMP. quem affert Liebe Goth. Num. p. 451. sed tamen de eadem epigraphe idem Eckhelius subdubitare videtur.
(13) Svet. ibid. c. 1. n. 8.
(14) lib. 60. p. 679.

atque id factum esse contra Romanam consuetudinem, παρα τα πατρια: quippe eodem bello nisi semel nomen illud assumere non licebat: ου γαρ εστιν εν ουδενι πλειν, η ἁπαξ εκ του αυτου πολεμου την επικλησιν ταυτην λαβειν. adde, quod jamdiu obtinebat, Augustos toties item ab exercitibus atque a senatu *Imperatores* esse appellatos, quoties legati auspiciis eorum bella gerentes (1), victoriam aliquam retulissent: ex quo factum est, ut Claudius ob res qua ductu qua auspiciis ejus gestas *Imperator* vicesimum septimum salutatus sit (2), quod de aliis Imperatoribus me legisse non memini.

LXXVII. (Murat. p. 185. n. 5.)

IMP · CAESARI
VESPASIANO · AVG · PONT · MAX ·
TR · POT · VIII · IMP · XVII · P · P ·
COS · VIII · DES · VIIII ·'(3) CENSORI
CONSERVATORI · CEREMONIARVM
PVBLICARVM · ET · RESTITVTORI
AEDIVM · SACRARVM
SODALES · TITII

Quum Vespasianus templum Capitolinum, quod Vitelliano bello deflagraverat, restitui jussisset, tantum opus summis caerimoniis inchoari voluit. idcirco mihi videtur a Sodalibus Titiensibus, qui rei sacrae interfuissent, *Conservator Ceremoniarum* appellatus: tum ob ejus templi restitutionem, et quod alterum in Coelio monte, Divo Claudio dicatum, sed a Nerone prope funditus destructum, perfecerat (4), *Restitutorem Aedium Sacrarum* dictum arbitror.

Placet autem ex Tacito describere, quibus ritibus Capitolinae illi molitioni manus admotae sint (5): *Vndecimo*, inquit, *cal. Iulias* (6), *serena luce, spatium omne, quod templo dicabatur, evinctum vittis coronisque. ingressi milites, queis fausta nomina, felicibus ramis: dein virgines Vestales cum pueris puellisque patrimis matrimisque, aqua, vivis e fontibus amnibusque hausta, perluére. tum Helvidius Priscus praetor, praeeunte Plautio Aeliano pontifice, lustrata suovetaurilibus area, et super cespitem redditis extis, Iovem Iunonem Minervam praesidesque imperii Deos precatus, uti coepta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas divina ope attollerent, vittas, quibus ligatus lapis, innexique funes erant, contigit: simul ceteri magistratus et sacerdotes et senatus et eques et magna pars populi studio laetitiaque connixi saxum ingens traxere: passimque injectae fundamentis argenti aurique stipes, et metallorum primitiae nullis fornacibus victae, sed ut gignuntur.*

(1) v. inscr. 88.
(2) Grut. p. 176. n. 1.
(3) Ann. V. C. Varr. 830.
(4) Svet. in Vesp. c. 9. n. 1.
(5) Hist. l. 4. c. 53.
(6) Ann. V. C. Varr. 823.

LXXVIII. (Vit. Ant. Ben. t. 1. p. 253.)

IMP · CAESARI · DIVI · NERVAE · FILIO
NERVAE · TRAIANO · OPTIMO · AVG ·
GERMANICO · DACICO · PONT · MAX · TRIB ·
POTEST · $\overline{\text{XVIII}}$ · IMP · $\overline{\text{VII}}$ · COS · $\overline{\text{VI}}$ · P · P · (1)
FORTISSIMO · PRINCIPI · S · P · Q · R ·

Vestigia inscriptionis hujus adhuc manent in fornice Beneventano pulcherrimo: nam litterae, quae, ut reor, ex aere inaurato fuerunt, sublatae sunt. forniceni eum senatus Trajano bellum in Parthos Armeniosque gerenti excitaverat, quo Principem suum a bello reducem magnificentius exciperet, ac Romam ad triumphum deduceret. imperatorem nempe ad bella Orientis proficiscentem, Beneventum usque, comitari solebant Romani ab urbe frequentes, ac eum ibidem excipere redeuntem, ut multis ostendit auctor Antiquitatum Beneventanarum (2). sed Trajanus vota senatus populique Romani non implevit, morte praereptus. hunc moribus Optimum dixerat senatus, quem demum rebus gestis Fortissimum Principem nuncupatum vides.

Primum autem fuisse, qui Optimus appellaretur, affirmavit Plinius (3): *Paratum*, inquit, *id quidem, et in medio positum, novum tamen: scias neminem ante te meruisse*. atqui meruerat P. Scipio Nasica (4), usurpaverat Cajus Aug. (5) Claudius etiam *Princeps Optimus Parensque Publicus* dictus fuerat (6). verum non de privatis hominibus, sed de Principibus loquebatur Plinius: haec enim addit: *Vt nomine Augusti admonemur ejus, cui primum dicatum est; ita haec* Optimi *appellatio nunquam memoriae hominum sine te recurret*. deinde sciebat, Cajum quidem eam appellationem sine ullo senatus decreto sibi arrogasse; Claudio vero et obiter et assentatorie tributam. porro nomen *Optimi*, quod Trajanus ante annum imperii tertium acceperat, ejusdem modestia sero in monumentis receptum est.

LXXVIIII. (Don. Cl. 3. n. 14.)

IMP · CAESARI · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F ·
DIVI · NERVAE · NEPOTI · TRAIANO · HADRIANO · AVG ·
PONT · MAX · TR · POT · $\overline{\text{V}}$ · COS · OPTIMO · MAXIMOQ ·
PRINCIPI · DECVRIONES · MVNICIPESQ ·
SVRRENTINI · PECVNIA · CONLATA

Hadrianus suscepto imperio ac republica ex animi sui sententia ordinata, Campaniam petiit, *ejusque omnia oppida*, ut a Spartiano (7) traditum est, *beneficiis et largitionibus sublevavit, optimum quemque amicitiis suis jungens*. ergo Surrentini, qui in extrema Campania sunt, ob eam munificentiam, pecunia collata, statuam ei statuerunt, et Principem Optimum Maximum, quod patri ejus Trajano non contigerat, quasi Iovem alterum appellarunt. de *Municipibus* dicemus ad inscr. LXXXI.

(1) An. V. C. Varr. 868.
(2) Vit. diss. 7.
(3) in Paneg. c. 88.
(4) L. 2. D. de orig. jur. §. 37.
(5) Svet. in Cajo n. 22. n. 2.
(6) Plin. lib. 8. ep. 6.
(7) in Hadr. c. 9.

LXXX. (Grut. p. 396. n. 1.)

P · CORNELIO
DOLABELLAE · COS · (1)
VII · VIRO · EPVLON ·
SODALI · TITIENSI
LEG · PRO · PR · DIVI . AVGVSTI
ET · TI · CAESARIS · AVGVSTI
CIVITATES · SVPERIORIS
PROVINCIAE · ILLYRICI

Hic ille est Dolabella, qui deinde Africae proconsul, Tacfarinate Numidarum duce caeso, provinciam pacavit. huic, ut narrat Tacitus (2), petenti triumphalia, abnuit Tiberius, Sejano scilicet obsequutus, ne avunculi ejus Blaesi, qui idem bellum administraverat, laus obsolesceret.

Epulones primum creati numero tres anno v. c. Varroniano DLVIII (3) propter sacrificiorum multitudinem, quod omnia soli obire pontifices non possent. his triumviris, item ut pontificibus, lege datum togae praetextae habendae jus. ab epulo autem, quod Iovi ceterisque Diis indicebant curabantque, Epulones appellati: ipsum epulum dixere etiam Lectisternium, de quo multa invenies apud Livium (4). Sullanis demum temporibus Epulones numero septem creari coepti, et Septemviri Epulones aut Epulonum dicti sunt (5). de Sodalibus Titiensibus dixi ad inscr. LXXV. geminum vero a Dolabella initum est sacerdotium, nulla tum lege vetante: quae deinde sic perlata videtur, ut ea tamen Principis liberi non tenerentur (6), *Non licet autem*, inquit Marcianus jurisconsultus (7), *amplius quam unum collegium licitum habere, ut est constitutum et a Divis Fratribus: et si quis in duobus fuerit; rescriptum est, eligere eum oportere, in quo magis esse velit: accepturum ex eo collegio, a quo recedit, id, quod ei competit ex ratione, quae communis fuit*. ceterum eam in urbe legem saepe esse neglectam, veteres inscriptiones declarant (8): nisi forte statuendum est, quorum plura sacerdotia numerantur, eos secundum non accepisse, ante quam primum deposuissent.

Qui ab Imperatoribus praesides in provincias suas mittebantur, ii neque Praetores neque Proconsules, sed Legati Augusti appellati sunt; nam ipse Imperator Proconsul erat (9). quia tamen praetoriam aut proconsularem potestatem habebant, idcireo dicebantur *Legati Aug. pro praetore* aut *pro consule*, vel *praetoria* aut *proconsulari potestate*. plura de his te docebit Heineccius (10).

Porro Illyricum ex Augusti provinciis fuisse constat: neque enim a Dione inter provincias numeratur, quas senatus decernebat (11): quamquam Strabo (12) Illyricum una cum Epiro quintam senatus provinciam facit: quod pro Dalmatia fortasse posuit, quae pars ejus habebatur, et ab ipso Augusto in celebri illa distributione adsignata senatui fuerat: nisi si hoc veri similius videtur, quod ipsa inscriptio suggerit, partem

(1) An. V. C. Varr. 763.
(2) Ann. l. 4. c. 26.
(3) Liv. l. 33. c. 17. n. 42.
(4) lib. 5. c. 8. n. 13. et lib. 22. c. 7. n. 10. etc, v. inscr. 334.
(5) Gell. N. A. l. 1. c. 12.
(6) v. inscr. 337.
(7) l. 1. §. 2. D. de coll. et corp.
(8) Maff. M. V. p. 213. n. 6. etc.
(9) v. inscr. 16.
(10) App. l. 1. Ant. Rom. c. 4. n. 106.
(11) lib. 53. n. 12.
(12) lib. 17. in fin.

quidem superiorem provinciae ad Augustum, quae vero inferior erat, ad senatum pertinuisse. ita certe Strabonis Dionisque stabit auctoritas.

Verum *divisio Illyridis*, inquit Cellarius (1), *in historiis, quantum nobis est cognitum, non reperitur*. inscriptionis autem hujus testimonio utitur, ut aliquam fuisse in superiorem et inferiorem ostendat. fugit scilicet Cellarii memoriam, quod Livius scripsit (2), Illyricum jam usque a Pauli Macedonici temporibus, rege Gentio in potestatem redacto, in tres partes ab L. Anicio praetore divisum esse.

LXXXI. (Maff. M. V. p. 351. n. 2.)

MAMMIO · MAXIMO
AVGVSTALI
MVNICIPES · ET · INCOLAE
AERE · CONLATO

Municipes in Italia ante legem Iuliam, quae lata est anno v. c. Varr. DCLXIII. ii tantum dicebantur, qui ex municipio essent civium Romanorum. at postquam lege Iulia, ut Merula animadvertit (3), oppidorum omnium in Italia jura aequata sunt, omnes jam Itali, quicumque Romae non degerent, Municipes aut e municipio esse dicti sunt, etiamsi ex colonia sive ex praefectura essent; quamquam adhuc proprie *Municipia* interdum appellarentur eae urbes, quae antiquitus civitatem Romanam consequutae fuerant, ut apud Tullium Municipium Tusculanum (4), et Municipium Aricinum (5). plura vero de his, Velsero compilato (6), disseruit Maffejus (7).

Postquam Antonini Caracallae lege *In orbe Romano qui erant, cives Romani effecti sunt* (8), omnia jam orbis Romani oppida pro municipiis haberi coepta: itaque scripsit Vlpianus (9): *Nunc abusive* Municipes *dicimus suae cujusque civitatis cives*.

Incolae a municipibus, apud quos domicilium habebant, non modo civitate distinguebantur, sed etiam aliquando jure. *Halicyenses*, inquit Cicero (10), *quorum* incolae *decumas dant, ipsi agros immunes habent*.

LXXXII. (Maff. M. V. p. 119. n. 6.)

P · BAEBIO · P · FIL ·
POB · (11) TVTICANO
TRIB · MIL · A · POPVLO
PRAEF · EQ · PROLEG ·
PONTIFICI · IIII · VIR ·
PLEBS · VRBAN ·
PERMISS · DEC · (12)

Baebius hic, cujus municipium ignotum est, Augusti ne tempore, an Caligulae

(1) Geogr. Ant. l. 2. c. 8. §. 5. n. 103.
(2) lib. 45. c. 24. n. 26.
(3) Cosmogr. p. 2. 4. p. 817.
(4) pro Planc. c. 8. n. 19.
(5) Philipp. 2. c. 6. n. 13.
(6) Rer. Aug. Vind. l. 5. p. 108.
(7) Ver. Illus. l. 5. edit. Ver. p. 85.
(8) L. 17. D. de stat. hom.
(9) L. 1. D. ad munic. et de Incol.
(10) in Verr. l. 3. c. 40. n. 91.
(11) *Poblilia tribu*.
(12) *Permissu Decurionum*.

aetate floruerit, incertum puto; sed alterutrius tamen aequalem temporum fuisse, fatcamur, oportet: quippe qui *Tribunus militaris A Populo*, id est comitiatus dicatur. nam comitia etiamtum sub Augusto veteri more habebantur, quae Tiberius deinde e campo ad patres transtulit (1): tum Cajus rursum, ut a Dione traditur (2), τῷ τε δήμῳ καὶ τῷ πλήθει ἀποδέδωκε, λύσας ὅσα περὶ αὐτῶν ὁ Τιβέριος ὥρικει. quamquam haec haud diu mansisse, Svetonii satis indicant verba, haec de Cajo scribentis (3): *Tentavit et comitiorum more revocato suffragia populo reddere*. quae fortasse caussa fuit, cur tribunatus Baebii accuratius designaretur; quod nemo jam a populo post eum creatus esset, nullaque iterum hujus beneficia esse coepissent, cujus republica incolumi pleraque fuerant ex iis etiam, quae ad rem militarem spectarent (4). Caesares nimirum et amici Caesarum, homines saepe abjectissimi, haec deferebant, atque, ut ait Iuvenalis (5), Praefectos Pelopeja faciebat, Philomela Tribunos. verum in alia omnia abit Hultmannus, et Augusti et Caii tempora oblitus, alucinari eos putat (6), qui de Tribuno mil. comitiato sermonem hic esse censuerunt. contendit autem legendum esse A. POPVLONIO vel *Populonia*, cujus oppidi videlicet a Strabone etiam mentionem fieri, Graecis ejus verbis prolatis, ostendit. at hoc potius animadvertere par erat, in honoraria inscriptione, quae municipi posita esset, patriae ciendae caussa, nullius oppidi appellationi locum fuisse, nedum alio id ordine, alia formula fuisse appellandum: tum in Corani etiam magistratus inscriptione historica idem legi, quae hoc libro erit CCXXXVIII.

Equitum item sive alae sociorum Praefectus appellatur Baebius, et novo in Latinis libris vocabulo Prolegatus, quod tamen in Gruteri et Muratorii inscriptionibus invenies (7). is erat, qui legati vicem absentis explebat, ejusque loco legioni praeerat, quod et a Velsero adnotatum est (8).

Pontificem et Quatuorvirum apud municipes suos fuisse Baebium, non Romae, recte duxeris: Quatuorviri certe, qui Romae creabantur, sive extraordinarii sive ordinarii, apposito designari solebant, ut *Agris dividundis, Coloniae deducendae, Viarum curandarum:* qui vero ex collegio Pontificum erant, in eorum titulis alia etiam sacerdotia habuisse leges.

Pontifici igitur municipali et summo magistratui municipalis plebs decurionum permissu statuam posuit. *animadvertas* vero, inquit Maffejus, *plebem urbanam municipiorum in corpus coaluisse a decurionibus distinctum.*

(1) Tacit. Ann. l. 1. c. 15.
(2) lib. 59. p. 912. A.
(3) in Cajo c. 16. n. 7.
(4) Liv. l. 9. c. 21. n. 30.
(5) Sat. 7. v. 92.
(6) Miscell. epigr. p. 172.
(7) Grut. p. 376. n. 6. Murat. p. 227. n. 4.
(8) Rer. Aug. Vind. l. 6. p. 129.

LXXXIII. (Grut. p. 470. n. 6.)

Q · SOLONIO · Q · F · VOL · (1)
SEVERINO
EX · V · DECVRIIS · EQVO
PVBLICO · LVPERCO
IIII · VIR · AB · AERAR ·
PONTIFIC · (2)
FLAMINI · PROVINCIAE
NARBONENSIS
TRIB · MILITVM · LEG · VIII · AVG ·
CIVITAS · FOROIVLIENSIVM
PATRONO

Fuit Solonius ex quinque decuriis judicum: non igitur Cajo Aug. antiquior: is enim, ut ait Svetonius (3), *ad quatuor priores quintam decuriam addidit:* (quartam tribus antiquis addiderat Augustus (4)). porro earum prima erat senatorum, altera equitum, tertia tribunorum aerariorum, quarta et quinta etiam, ni fallor, ducenariorum (5), quibus nempe pars census equestris dimidia deerat.

Idem dicitur *Equo Publico, ab Imperatore* scilicet *honoratus*, quae verba modo adscribi, modo omitti solent, ut exempla tibi, quae sequuntur, ostendent. Equites vero equo publico qui fuerint, paucis expediam. Equites apud Romanos dicti sunt primum, qui equo stipendium merebant: tum ii, quibus erat census equester: denique ii, qui comitiis centuriatis in equitum centuriis suffragium ferebant. sed primi illi, si census eorum non erat HS. CCCC. plebs erant, et suo, non publico equo merebant: quod Tullius non obscure in Philippica prima (6) indicavit. nec tamen omnes, qui censum equestrem habebant, equum publicum etiam habuisse putandi sunt: quippe equum Censores dabant: dabant autem fere spectatis adolescentibus et senatorum filiis, nec singulis, sed plerisque (7). at vero qui in equitum centuriis suffragium ferrent, eos omnes equum publicum habuisse, declarat Tullius in Philippica septima: quum enim in oratione superiore dixisset (8), positam esse L. Antonio statuam ab *Equitibus Romanis equo publico;* in septima (9) L. Antonium dicit patronum *Centuriarum Equitum Romanorum*, eorum nempe, qui statuam posuerant. itaque quum centuriae equitum ad primam classem pertinerent, manifestum est, *Equites equo publico* eos fuisse, qui ceteris auctoritate ac dignitate praestarent.

Iam vero Imperatores, quia lege illa regia censoriam etiam potestatem a populo acceperant, equum ipsi publicum honoris causa dare coeperunt: quod quum rarius fortasse facerent, quam olim Censores solebant, idcirco ad ejus honoris memoriam institutum est, ut in honorariis titulis adscriberetur.

Lupercus item appellatur Solonius, quod unus esset e sacerdotibus Dei Panis veteribus, Fabianis vel Quintilianis (10); aut ex iis, qui jam Divo Caesari addicti, ab

(1) *Voltinia tribu*.
(2) *Ab Aer. Pontificum*.
(3) in Cajo c. 16. n. 6.
(4) Svet. in Aug. c. 32. n. 7.
(5) id. ibid.
(6) cap. 8. n. 20.
(7) Ferrat. lib. 2. epist. 2.
(8) phil. 6. c. 5. n. 13.
(9) cap. 6. n. 16.
(10) v. Fabr. p. 457. L.

eoque *Iuliani* nominati (1), Lupercalia in ejus honorem celebrabant. *Magistrum Lupercorum* legi nuper in lapide, qui e Pomptina palude emersit: horum nempe collegia etiam in municipiis fuere.

Solonium cum Guthero (2) Quatuorvirum ab aerario Pontificum fuisse puto, nec legendum *Pontifici*. *Arca* certe atque *Aerarium Pontificum* saepe occurrit in antiquis epitaphiis; neque aerario carere poterant qui fundos et praedia habebant templis adsignata: itaque et curatores ejus pecuniae habuisse, quam inde redigebant, verisimile est.

Iam Flamen Provinciae Narbonensis quod nuncupetur Solonius, non ideo Provinciae tamquam Deae sacerdotem puto, sed pro ipsa provincia flaminem Divi Augusti, qui sacra faceret ad aram Lugdunensem in templo, quod Augusto ab omnibus Gallis communi sententia decretum fuerat (3). Flamines hujusmodi *Romae et Augusti* appellabant (4), quia templa Augustus *in nulla provincia*, ut ait Svetonius (5), *nisi communi suo Romaeque nomine recepit*.

Vltimus honorum munerumque Solonii, Tribunatus militum numeratur; quem et postremum revera fuisse arbitror, quum tribuni militum sub Augustis saepe e senatorum numero essent (6), aut laticlavii dicerentur (7).

Forum Iulii geminum fuisse constat, alterum Carnorum, alterum Galliae Narbonensis, utrumque a Iulio Caesare denominatum (8). secundum est, quod a Tacito (9) *Colonia Forojuliensis* appellatur, in nummis (10) *Colonia Iulia Octavanorum*, ob milites legionis octavae, qui ad eam incolendam deducti sunt: quae quia et *Pacensis* dicebatur, ipsam coloniam Pacensem appellatam esse, tradidit Plinius (11). num vero ea legio, auctori suo superstes, diu manserit, et Augusta nuncupata sit; in eaque demum Solonius tribunatum adeptus esse videatur, nil plane habeo, quod respondere roganti possim.

LXXXIII. (Maff. M. V. p. 116. n. 2.)

HONORI
M · GAVI · M · F ·
POB · SQVILLIANI
EQ · PVB · IIII · VIR · I · D · (12)
IIII · VIR · A · P · V · B · (13)
CVRATORI · VICETINOR ·
APPARITORES · ET
LIMOCINCTI
TRIBVNALIS · EIVS

Nolim hic sententiam eorum probes, qui *Honorem* hoc loco pro Deo habent (14). id enim est argutari, et, quae verborum vis sit, non videre. nam quid illa differunt apud Phaedrum (15)?

(1) Dio l. 44. p. 383. B.
(2) de vet. Iur. Pont. l. 2. c. 12.
(3) Strabo l. 4. p. 192.
(4) Grut. p. 13. n. 15. et p. 235. n. 5.
(5) in Aug. c. 52. n. 1.
(6) Spart. in Sever. c. 9.
(7) Sveton. in Domit. c. 10. n. 8.
(8) Torr. de Col. Forojul. p. 528.
(9) Hist. lib. 2. c. 14.
(10) Vaill. Num. Impp. t. 2. p. 168. num. Gallien.
(11) H. N. lib. 3. c. 4. n. 5.
(12) *Iuri Dicundo*.
(13) *Aedilicia Potestate Veronensium Bis*.
(14) Silvestr. in Calog. t. 5. p. 365.
(15) in prol. l. 3. v. 36.

Honori et meritis dedicans librum tuis:

et apud Vellejum (1): *Certamen ludicrum honori Augusti sacratum:* quibus in locis nemo profecto Deum *Honorem*, sed virtutem potius et merita hominis, sive ipsum hominem ob virtutem et merita honore dignum appellari dixerit.

At illud multis duriusculum videatur, quum scriptum legant, *Honori M. Gavii M. Filii Poblilia tribu Squilliani*, ea tamen, quae sequuntur, dativo casu efferenda esse, nempe *Honorato Equo Publico, Quatuorviro Iuri Dicundo, Quatuorviro Aedilicia Potestate Veronensium Bis, Curatori Vicetinorum*. exempla tamen deesse ne credas, quae συνταξιν hujusmodi in Latina lingua minime novam demonstrent. leges sane apud eundem Maffejum (2): GENIO · ET · HONORI · L · POMPEI · L · F · POL · HERENNIANI · EQVITI ROMANO · EQVO · PVBLICO · QVAESTORI · AERARII etc. leges item apud Giovenazzium (3): DIS MANIBVS · N · NAEVI · DECVRIONI · PVTEOL · neque vero non eadem interdum ratione usus Horatius (4), ut ex hisce versibus intelliges:

Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli;
Nugari cum illo (Lucilio), *et discincti ludere, donec*
Decoqueretur olus, soliti.

Scipio nimirum et Laelius, in quibus inerat virtus et sapientia, soliti luderc discincti. quin ipse Tullius, quum M. Marcellum *auctoritate praeditum* dicere vellet, *Quod brevi,* inquit, *tempore futura sit* illa auctoritas *in his majorum suorum et suis sedibus* (5): ubi sine dubio *Majores* et *Sedes* ad ipsum Marcellum pertinent.

Squillianum hunc Maffejus Veronensibus suis non immerito adscribit, quod Gavius, quod e tribu Poblicia sive Poblilia dicatur: nam et in Poblicia Veronenses fuere, et Gavii Veronae illustres. miror tamen, litteras singularias V. B. ut Reinesium (6), sic eum esse interpretatum, *Viri Boni;* quum, si ea significatione accipiendae sint, ultimo loco aut primo scribi oporteat: ne, si mediae sint, munerum recensionem abrumpant. et erat adscribendum *Veronensium*, ne Gavius, ut Curator Vicetinorum esse dicitur, sic etiam eorundem Quatuorvir fuisse putaretur. *Bis* autem pro *Iterum* in Gruteri exemplis (7) aliorumque reperies.

Limocincti lictores sunt, quasi transversa fascia cincti; nam *Limus* et *Limis* est obliquus, transversus. Servius (8) *Limum* vestem esse dicit, quae *in extremo sui purpuram limam idest flexuosam* habebat. Tiro autem apud Gellium (9) *Licio*, inquit, *transverso, quod* Limum *appellatur, qui magistratibus praeministrabant, cincti erant.* distinguuntur ab Apparitoribus, quod Lictores (10) inter ministros magistratuum afflictiore, quam reliqui, conditione censerentur.

LXXXV. (Murat. p. 203. n. 8.)

C · RVTILIO · C · F · PAL · (11) GALLICO
ORDO · AVGVSTAL · PATRONO
OB · MERITA · PATRIS · ET · IPSIVS

Soteria pro Rutilio Gallico scripsit Statius (12) Domitiano gratulatus, quod hic

(1) lib. 2. cap. 123.
(2) M. V. p. 230. n. 1.
(3) Aveja p. 110.
(4) Serm. l. 2. sat. 1. v. 71.
(5) pro M. Marc. c. 3. n. 10.
(6) Cl. 6. n. 44.
(7) pag. 444. n. 8. etc.
(8) ad Aeneid. l. 12. v. 120.
(9) N. A. l. 12. c. 3.
(10) Svet. in Dom. c. 14. n. 6.
(11) *Palatina tribu*.
(12) lib. 1. silv. 4.

e gravi morbo recreatus esset, tantoque ministro imperium ejus spoliare fortuna erubuisset. idem Rutilium summis laudibus ab eloquentia, ab humanitate, a gestis magistratibus, a scientia rei militaris commendavit. non alius autem ille fuisse mihi videtur, quam C. Rutilii C. F. pater, cujus hic merita filio etiam profuisse vides. ille enim a Statio (1) *Genus ipse suis* fuisse dicitur: quod de filio dici non poterat, quem jam pater nobilitasset. praeter hunc titulum filio ejus positum in finibus Marsorum, Corfinii quoque in Pelignis exstat inscriptio filiae ejus Rutiliae Paulinae (2); item altera Lepti in Africa fuit, uxori ejusdem Miniciae Paetinae (3).

LXXXVI. (Maff. M. V. p. 366. n. 3.)

Q · GELLIO
VILLIANO
II · VIRO
ADVOCATO · PO
PVLI · ORDO
OB · ADSIDVA
EIVS · IN · HANC
REMPVBLIC ·
MERITA

Advocatum populi, de quo nihil est apud veteres scriptores, binae Musei Veronensis inscriptiones prodidere. plebis eum tutorem et quasi tribunum fuisse, recte duxeris. non idem certe fuit, ac patronus municipii. nam in illo altero titulo (4) C. quidam Calvisius, qui *populi Advocatus* dicitur, deinde *Veronensium Patronus* appellatur. at is populi Advocatus fortasse erat, qui in Faleriensi inscriptione *Patronus Plebis* est dictus (5): nam et *Populum* pro Plebe dicebant. notus ille Martialis versus (6):

Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus.

idem munus significari puto inscr. cui. in qua leges ADVOCAT . PVBLIC . id est populi sive plebis: nam qui hoc nomine honestatur, idem et *Patronus Col. Aug. Ariminensium* dicitur, et in ea colonia honorem statuae meritus.

(1) ibid. v. 68.
(2) Marat. p. 203. n. 7.
(3) Maff. M. V. p. 222. n. 9.
(4) id. ib. p. 116. n. 4.
(5) v. l. 2. c. 2. §. 2. n. 5.
(6) lib. 8. epigr. 15.

LXXXVI. (Grut. p. 422. n. 8.)

L · IVLIO · L · F · PAL ·
IVLIANO
IIII · VIR · AED ·
IIII · VIR · I · D ·
IIII · VIR · QVINQ ·
QVINQ · II · DEST ·
PATRONO
MVNICIPI
PLEBS · OB · MERITA
L · D · D · D ·

Ocriculi basis cum hoc titulo inventa: quo in municipio Iulia gens, quam libertina origine fuisse puto, magno in honore erat: ut inscriptiones Iuliorum honorariae declarant, quae ibidem repertae, atque ea potissimum, in qua leginus (1), CVIVS · PATER THERMAS · OCRICVLANIS · A · SOLO · EXTRVCTAS · SVA · PECVNIA · DONAVIT: is erat pater Lucii hujus Iuliani, quem Plebs *Patronum Municipii* salutat.

Quinam Ocriculanorum praecipui magistratus et quot ii numero essent, hinc te licet ediscere. primi nempe erant *Quatuorviri Aedilicii*, post hos *Quatuorviri Iuri Dicundo*, tertio loco *Quatuorviri Quinquennales;* quem magistratum Iulianus iterum gesturus erat: id enim illa significant, *Quinquennalis II. Destinatus*, hoc est, ut Romae fere dicebant, *Designatus*. Quatuorviros vero pro Aedilibus vel Duumviris Aedilicia Potestate, sive pro summo magistratu, non modo vetusta habent marmora, sed Tullius etiam saepe memoravit (2), cujus et epistola exstat *Quatuorviris et Decurionibus* Fregellanis (3).

In superiore inscriptione loci a Decurionibus dati nulla facta mentio est: quippe statuam ipse Decurionum Ordo ponebat: contra hic, quia Plebis nomine, quae Ordini parebat, honos habebatur, haud omissa vetus formula LOCVS · DATVS · DECR · DEC · pro qua aliam aliquando usurpatam, superius jam vidimus (4).

Age, hinc jam, si te pleniora delectant, ad ornatae dictionis exempla, tamquam ex domo in publicum progrediamur.

(1) Grut. p. 422. n. 9.
(2) pro Cluent. c. 8. n. 25. et ad Attic. l. 10. ep. 13.
(3) Famil. l. 13. ep. 76.
(4) inscr. 82.

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

LXXXVIII. (Plin. H. N. l. 3. c. 20. n. 24. Grut. p. 226. n. 7.)

IMP · CAES · DIVI · F · AVGVSTO
PONT · MAX · IMP · XIIII · TRIB · POT · XVII .
S · P · Q · R ·
QVOD · EIVS · DVCTV · AVSPICIISQVE
GENTES · ALPINAE · OMNES
QVAE · A · MARI · SVPERO · AD · INFERVM · PERTINEBANT
SVB · IMPERIVM · P · R · REDACTAE · SVNT
TRIVMPILINI · CAMVNI · VENOSTES · VENNONETES
ISARCI · BREVNI · GENAVNES · FOCVNATES
CONSVANETES · RVCINATES · LICATES · CATENATES
AMBISVNTES · RVGVSCI · SVANETES · CALVCONES
BRIXENTES · LEPONTII · VIBERI · NANTVATES
SEDVNI · VERAGRI · SALASSI · ACITAVONES
MEDVLLI · VCENI · CATVRIGES · BRIGIANI · SOGIONTII
BRODIONTII · NEMALONI · ADANATES
VESVBIANI · VEAMINI
TRIVLATTI · EGDINI · VERGVNNI · EGVITVRI · NEMENTVRI
ORATELLI · NERVSI · VELAVNI · SVETRI

Inscriptionem e tropaeo Alpium se subjicere dixit Plinius, hanc describens. nempe apud Romanos quoque illa Persarum atque Graecorum consuetudo introducta jam erat, ut non modo in urbe, quemadmodum Marius olim de Iugurtha deque Cimbris atque Theutonis (1), sed etiam in finibus hostium, quos in fugam verterant, tropaea constituerent. id certe Pompejus devictis Hispanis in Pyrenaeo fecerat, imagine etiam sua illius jugis imposita (2). basim tropaeorum memorat Tullius, in qua praeter ducis honores ac res gestas, incidi etiam inscribique victarum gentium nomina solebant (3).

Multas domuit gentes Augustus *partim ductu*, ut ait Svetonius, *partim auspiciis suis* (4): sed Inalpinos, ut inscriptio haec testatur, et ductu et auspiciis suis. enimvero auspicia Imperatorum, ni fallor, nihil aliud esse putabant, quam belli suo jure gerendi auctoritatem a Diis certa significatione Augustis rite consulentibus datam. solis autem auspiciis bellum illi fecisse, et de hoste victoriam adepti esse dicebantur, quotiescumque bellum per legatos administraverant. nam quum expeditio sine auspiciis nulla

(1) Svet. in Caes. c. 11. n. 1. lib. 37. c. 2. n. 6. Ann. l. 2. c. 18.
(2) Plin. H. N. l. 7. c. 26. n. 27. et (3) Cic. in Pison. c. 38. n. 92. Tacit. (4) in Aug. c. 21. n. 1.

suscipi, nullum administrari bellum posset; Imperator vero auspicia unus habere putaretur: quidquid legati gessissent, non suis, sed Imperatoris auspiciis gessisse dicendi erant. idcirco Horatius de Tiberii proelio, quo Raetos fudit, quum caneret, sic Augustum alloquutus est (1):

Primosque et extremos metendo
Stravit humum, sine clade victor,
Te copias, te consilium et tuos
Praebente Divos:

tua nempe auspicia. hinc Plinius: *Septentrionalis oceanus majore ex parte navigatus est auspiciis Divi Augusti* (2). hinc illa Taciti: *Recepta signa ductu Germanici, auspiciis Tiberii,* quum hic jam, defuncto Augusto, Imperator dictus esset.

Tituli hujus exemplar descripsi ex Plinio Harduini, ex Velsero (3), ex Bimardio (4); ita tamen, ut a singulis multa acceperim, multa rejecerim. annos tribuniciae potestatis dedere Velserus et Bimardius, quos Harduinus aut non invenit aut sustulit. scripsi cum utroque REDACTAE SVNT, non ut in Plinio Harduini *Sunt Redactae:* videntur enim contra consuetudinem posita. item quae apud eundem sequuntur *Gentes Alpinae Devictae,* cum Velsero et Bimardio omittenda duxi, quod vel Plinii verba sint, vel interpretatio ex margine libri in versus relata. eadem de caussa rejeci cum Velsero quae subsequuntur *Vindelicorum Gentes Quatuor* ante *Consuanetes:* et *Gallicae* ante *Triulatti;* praesertim quod Raeticae Gentes non appellentur, et *Gallicae* adscribatur post gentes Gallicas, non ante, ut in ceteris.

Has solas fuisse Alpinas gentes, ne credas: de hostilibus omnibus inscriptio loquitur: quod Plinius confirmat. *Non sunt adjectae,* inquit, *Cottianae Civitates* XII. *quae non fuerunt hostiles, item adtributae municipiis lege Pompeja.* ceterum in Plinio legendum censeo *Cottianae Civitates* XI. nam tres hic gentes nominantur e quatuordecim, quae in fornice Segusino leguntur. harum nomina ex eo exemplari hic emendanda putavi: reliqua ad Harduini editionem descripsi, quem plures codices vidisse, quam ceteros, compertum est.

De his gentibus addam, quae Velserus subjunxit. *Gentium descriptionem aggredi non est hujus brevitatis. Scudius, Simlerus, Stumfius et Ortelius, quae praestitere, in omnium manibus et oculis.*

Nec quemquam incuso, potuit quae plurima virtus
Esse, fuit.

hoc dico, exactam ne speres, non si quidquid hodie geographorum et antiquariorum est, conspiret.

(1) lib. 4. od. 14. v. 31.
(2) H. N. l. 2. c. 67.
(3) Monum. Pereg. p. 424.
(4) Murat. t. 1. p. 77.

LXXXVIIII. (Grut. p. 243. n. 2.)

IMP · CAESARI
VESPASIANO · AVG ·
PONT · MAX · TR · POT · III ·
IMP · IIX · P · P · COS · III · DES · IIII · (1)
S · C ·
QVOD · VIAS · VRBIS
NEGLIGENTIA
SVPERIOR · TEMPOR ·
· CORRVPTAS · IN
PENSA · SVA · RESTITVIT

Vias urbis incendia maxime ac ruinae deformaverant: quare Vespasianus, quo sua urbi facies citius redderetur, vacuas areas quoque occupare, et aedificare, si possessores cessarent, cuicumque permisit. ipse, ut ait Svetonius (2), restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac suo collo quaedam extulit. idem tamen Aedilis olim et Curator viarum, adeo negligens fuerat, ut Cajus Aug. vicorum coeno offensus, eum luto oppleri jusserit, congesto per milites in praetextae sinum (3).

LXXXX. (Grut. p. 246. n. 8. in statuae basi)

IMP · CAESARI
DIVI · NERVAE · F ·
NERVAE · TRAIANO
AVG · GERMANICO
DACICO · PONTIFICI
MAXIMO · TRIBVNIC ·
POT · VII · IMP · IIII · COS · V · P · P · (4)
TRIBVS · XXXV ·
QVOD · LIBERALITATE
OPTIMI · PRINCIPIS
COMMODA · EARVM · ETIAM
LOCORVM · ADIECTIONE
AMPLIATA · SINT

Tribus populi Romani, ipsa etiam Tullii aetate quinque et triginta fuerunt (5). sed nomina earum multo plura in titulis reperies. tu vero non tribus numero auctas,

(1) An. V. C. Varr. 824.
(2) in Vesp. c. 8. n. 12.
(3) id. ibid. c. 5. n. 4.
(4) An. V. C. Varr. 857.
(5) l. 1. Verr. c. 5. n. 14. etc.

sed novo plerasque cognomine ornatas scito. hujusmodi profecto sunt tribus illae imperatoriae *Iulia*, *Augusta*, *Flavia*, *Vlpia*, *Aelia*, *Aurelia*, quae novis nominibus laetae, vetera posthabuerunt. sic et menses novis nominibus aucti, antiqua amisere. alias recenset Fabrettus (1), quas item binomines fuisse, jure putat.

Circum maximum Trajanus collapsum restituit (2): id est, quod respicit inscriptio. quaeritur autem, quot ille adiecerit loca. nam quinque millia locorum, quae adjecta dicit Plinius (3), adeo pauca Lipsio visa sunt, ut legendum existimaverit *Quinquaginta millia*. Lipsii porro judicium non aspernabitur, qui Trajani sententiam considerarit apud Xiphilinum (4) de Circo a se instaurato gloriantis, ὁτι ἐξαρκουντα αυτον τῳ των Ρωμαιων δημῳ εποιησεν. nam ob quinque millia locorum adjecta gloriari Trajanus non poterat, Circum a se populi Romani capacem factum. adde etiam, quum Circus maximus a Caesare dictatore exstructus longitudine stadiorum trium, latitudine unius, ad sedem CCLX. millium Plinio teste (5) patuerit; eundem deinde a Victore dici locorum CCCLXXXV. millium: et in Notitia Imperii perscriptum esse, ea loca fuisse *Quadringenta octoginta quinque millia*. equidem ab aliis quoque Principibus ante Trajanum restitutum auctumque Circum erediderim: bis enim deflagravit, sub Tiberio primum (6), deinde sub Nerone (7). sed tamen quis conjectura aberret, si a Trajano plus aliquid, quam a ceteris factum suspicetur? id Trajano tribuere aequalis ejus Iuvenalis videtur, quum ait, *Totam hodie Romam Circus capit* (8). Circum autem exstruxit Trajanus, si Svetonio fides (9), maxime ex lapide Naumachiae, quam Domitianus fecerat.

LXXXXI. (Grut. p. 247. n. 4. Fabrett. de Col. Tr. c. 3.)

SENATVS · POPVLVSQVE · ROMANVS
IMP · CAESARI · DIVI · NERVAE · F · NERVAE
TRAIANO · AVG · GERM · DACICO · PONTIF ·
MAXIMO · TRIB · POT · XVII · IMP · VI · COS · VI · P · P · (10)
AD · DECLARANDVM · QVANTAE · ALTITVDINIS
MONS · ET · LOCVS · TANTIS · *OPERI*BVS · SIT · EGESTVS

Ita inscriptum est in basi columnae Trajani, quam, si Dionem sive Xiphilinum audias (11), Imperator ipse, Apollodoro architecto, in foro suo statuit, partim ut sepulcrum sibi pararet, partim ut opus, quod circa forum fecerat, posteris ostenderet. at inscriptio multo nos certius docet, columnam eam a senatu populoque Romano in Trajani honorem collocatam: ut monumentum exstaret publicum, quo utriusque belli Dacici historia contineretur. hanc olim versibus scribere aggressus Caninius: cui sic Plinius addidit animum (12): *Optime facis, quod bellum Dacicum scribere paras. nam quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poëtica, et, quamquam in verissimis rebus, tam fabulosa materia? dices immissa terris nova flumina, novos pontes fluminibus iujectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita regem nihil desperantem. super haec actos bis triumphos: quorum*

(1) p. 395. F. etc.
(2) Xiphil. l. 68. p. 1124. B.
(3) in panegyr. c. 51.
(4) l. c.
(5) H. N. l. 36. c. 15. n. 24.
(6) Tac. Ann. l. 6. c. 45.
(7) id. ib. l. 15. c. 38.
(8) Sat. 11. v. 195.
(9) in Domit. c. 5. n. 3.
(10) An. V. C. Varr. 867.
(11) lib. 68. p. 1133. B.
(12) lib. 8. ep. 4.

alter ex invicta gente primus, alter novissimus fuit. de ipsa columna et anaglyphis ejus praeclarum tibi Fabretti opus maxime legendum est.

In extremo versu legebant olim *Tantis Ruderibus*, aut *Tantis ex Collibus*, aut *Tantis Molibus* imo et *Viribus:* mendose omnes; siquidem incisum ibi fuisse TANTIS OPERIBVS, evicit Fabrettus, singularum litterarum magnitudine ad ipsum fracturae spatium collata. tanta vero illa opera forum ipsum erat cum porticibus, templum, triumphalis arcus, bibliotheca, basilica: quibus Trajani operibus quantum areae opus erat, tantum, egesta terra et complanata Quirinalis montis parte, factum est: idque tam arduum senatui visum, ut Trajano ob hanc quoque caussam tantum monumentum deberi censuerit.

LXXXXII. (Grut. p. 247. n. 6.)

PLOTINAE AVG · CONIVGI · AVG ·

IMP · CAESARI · DIVI · NERVAE · F · NERVAE
TRAIANO · OPTIMO · AVG · GERMANIC ·
DACICO · PONT · MAX · TR · POT · XVIIII · IMP · IX ·
COS · VI · (1) P · P · PROVIDENTISSIMO · PRINCIPI
SENATVS · P · Q · R · QVOD · ACCESSVM
ITALIAE · HOC · ETIAM · ADDITO · EX · PECVNIA · SVA
PORTV · TVTIOREM · NAVIGANTIBVS · REDDIDERIT

DIVAE MARCIANAE AVG · SORORI · AVG ·

Exstat inscriptio haec ad veterem portum Anconis in Trajani arcu, quem Serlius descripsit (2). addita in ipsa arcus fronte conjugis et sororis Trajani nomina; sed illa Augusta tantum, quod superstes esset, haec etiam Diva appellata, quod praemortua, ex s. c. in Divarum numerum relata fuerat. utramque Plinius junior laudibus cumulavit (3): *Soror autem tua*, inquit, *ut se sororem esse meminit! ut in illa tua simplicitas, tua veritas, tuus candor agnoscitur! ut si quis eam uxori tuae conferat, dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui, aut feliciter nasci*.

Portum Anconitanum Trajanus fecit, postquam alterum ad inferum mare Centumcellis aperuisset, descriptum a Plinio in epistola ad Cornelianum (4). idcirco adscriptum hic est HOC . ETIAM . ADDITO

(1) An. V. C. Varr. 868.
(2) lib. 4. Antiq. p. 123.
(3) in panegyr. c. 84.
(4) lib. 6. ep. 31.

LXXXXIII. (Pratill. V. App. l. 2. c. 8. v. inscr. 2 [2.])

IMP · CAESARI · DIVI · HADRIANI · FIL ·
DIVI · TRAIANI · PARTHICI · NEPOTI
DIVI · NERVAE · PRONEPOTI
T · AELIO · HADRIANO · ANTONINO · AVG ·
PIO · PONT · MAX . TRIB · POTEST · COS · P · P · (1)
COLONIA · FLAVIA · AVGVSTA . PVTEOLANOR ·
QVOD · SVPER · CAETERA · BENEFICIA · AD
HVIVS · ETIAM · TVTELAM · PORTVS
OPVS · PILARVM · VIGINTINOVEM · CVM · SVMPTV
FORNICVM · RELIQVO · EX · AERARIO · SVO
LARGITVS · EST

Rationem, quare Antonino cognomen Pii sit datum, ex omnibus, quae a Capitolino afferuntur (2), hanc potissimum probat Casaubonus, quod Hadriano, a quo adoptatus fuerat, postrema pietatis officia studiose praestiterit, eumque vel invito senatu in deorum numerum referendum curaverit: idcirco ludos etiam Puteolis ab Antonino in honorem Hadriani institutos, *Pialia* sive Ευσεβεια appellatos.

At vix credibile est, Antoninum a senatu Pium cognominatum ob pietatem erga Hadrianum, cujus *acta*, ut idem Spartianus affirmat, *irrita fieri Senatus volebat*, quique *nec appellatus esset Divus, nisi Antoninus rogasset* (3). itaque ea mihi ratio arridet magis, quam M. Aurelius exposuit in epistola ad Faustinam uxorem, de clementia sic disserens (4). *Haec Caesarem Deum fecit, haec Augustum consecravit, haec patrem tuum in primis Pii nomine ornavit.* clementia vero enituit egregia Antonini et pietas in cives, quum eos senatores, quos Hadrianus, vi morbi prope ad insaniam adactus, occidi jusserat, servavit omnes, et in senatum deinde adduxit, quum jam jussu Principis interfecti putarentur (5). aliam affert caussam Pausanias (6), quia unus omnium religionis esset studiosissimus: quae maxime placuit Spanhemio (7). ceterum haec ridet omnia Harduinus, qui Antoninum in nummis *Pium* dici contendit (8), quod ex Pompeii Magni Pii genere prognatus esset, cui scilicet *Pii* cognomen ab uxore Metella Pia adhaesisse docet.

Quod Puteolos Coloniam Flaviam Augustam dici vides, a Tito Imp. cognomen accepisse, jure duxeris, qui post conflagrationem Vesevi (9) curatores restituendae Campaniae e consularium numero sorte duxit: ac bona etiam oppressorum, quorum haeredes non exstabant, quum caduca essent et fisco debita, restitutioni afflictarum civitatum adtribuit.

Puteolis porro Antoninus praeter ludos, de quibus paullo ante dixi, templum quoque Hadriano pro sepulcro constituerat. idem fortasse quum inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, Campaniae ab Hadriano praefectus esset, alia Puteolanis

(1) An. V. C. Varr. 892.
(2) in Anton. c. 2.
(3) in Hadr. c. 27.
(4) Vulcat. in Avid. Cass. c. 11.
(5) Lampr. in Helag. c. 7.
(6) lib. 8. c. 43.
(7) Diss. 12. p. 435.
(8) Hist. Aug. in Oper. sel. p. 686 et 765.
(9) Svet. in Tit. c. 8. n. 9. seqq.

beneficia contulerat. haec obiter inscriptio memorat, sed portus maxime munitionem extollit. at quo pertinebant, inquies, et pilae et fornices? num ad tutelam portus conferre quidquam potuere? omnino plurimum: nimirum qui portus ad mare inferum exstruebantur, eos praestabat pilis potius atque fornicibus, quam molibus continuis et nunquam interruptis cinctos esse. nam ille occani in Gaditanum fretum impetus prope perpetuus, quo aquae, fluminis ritu, in inferum mare aguntur, marinae arenae vim maximam quotidie protrudit: qua portus nostros paullatim impleri, necesse est, nisi eam ut ingessit, sic etiam ultra oppositum braehium egerere recta possit. ne igitur arena portus implerentur, saxeis pilis, quas etiam Virgilius (1) nominat, portuum brachia aedificari coepta: easque fornicibus junxere, ut solo ingredi possent; sic tamen, ut ima aqua inter pilas permearet, arenamque proveheret. plura de hac portuum constructione reperies apud Locatellum sodalem Cortonensem (2), unde haec ego parce delibavi. exstant adhuc Puteolis tredecim e pilis Antonini, aut certe ex iis, cujuseumque fuerint, quibus portus cingebatur. nam omnes ab Antonino jactas ne putem, admonet me Senecae locus (3) multo ante Antoninum portus Puteolani pilas eommemorantis. *Subito hodie*, inquit, *nobis Alexandrinae naves apparuerunt . . . . . gratus illarum Campaniae adspectus est: omnis in Pilis Puteolorum turba consistit.*

Fiscum Principis dicebant veteres potius quam *Aerarium*: sed aliquando tamen *Aerarium Privatum* quod Prineipis erat; *Aerarium Publicum* dixerunt, quod ad rempublicam pertinebat. ita Vulcatius de Avidio Cassio scribens, *Senatus*, inquit, *illum hostem appellavit, bonaque ejus proscripsit: quae Antoninus in privatum aerarium congeri noluit, quare senatu praecipiente in aerarium publicum sunt relata* (4).

LXXXXIIII. (Fabr. p. 631. n. 62.)

S · P · Q · R ·
IMP · CAESARI · T · AELIO · HADRIANO
ANTONINO · AVG · PIO · P · P ·
PONTIF · MAX · TRIB · POT · VI · COS · III · OPTIMO
MAXIMOQ · PRINCIPI · ET · CVM · SVMMA
BENIGNITATE · IVSTISSIMO · OB · INSIGNEM · ERGA
CAERIMONIAS · PVBLICAS · CVRAM · AC · RELIGIONEM

Inscriptionem hanc optime illustrant Capitolini verba de Antonino (5): *Solusque omnium prope Principum prorsus sine civili sanguine, et hostili quantum ad seipsum pertinet, vixit: et qui recte comparetur Numae, cujus felicitatem pietatemque, et securitatem ceremoniasque semper* obtinuit. idem paullo ante de eodem scripserat (6): *Nec ullum sacrificium per vicarium fecit, nisi quum aeger esset.*

Vtrum scribendum esset *Caeremonia*, an *Ceremonia*, an *Caerimonia*, veteres ipsi Grammatici ambigebant; et alii aliam ejus vocis originem tradiderunt (7).

(1) Aeneid. l. 9. v. 710.
(2) Acad. Cort. t. 6. diss. 1.
(3) epist. 77.
(4) in Avid. Cass. c. 7.
(5) in Anton. c. 13.
(6) ibid. c. 11.
(7) v. Voss. in Etymol.

LXXXV. (Grat. p. 265. n. 1.)

IMP . CAES . LVCIO . SEPTIMIO . M . FIL . SEVERO . PIO . PERTINACI . AVG . PATRI . PATRIAE . PARTHICO . ARABICO . ET PARTHICO . ADIABENICO . PONTIFIC . MAXIMO . TRIBVNIC . POTEST . XI . IMP . XI . COS . III . PROCOS . ET IMP . CAES . M . AVRELIO . L . FIL . ANTONINO . AVG . PIO . FELICI . TRIBVNIC . POTEST . VI . COS . PROCOS . P . P . OPTIMIS . FORTISSIMISQVE . PRINCIPIBVS OB . REM . PVBLICAM . RESTITVTAM . IMPERIVMQVE . POPVLI . ROMANI . PROPAGATVM INSIGNIBVS . VIRTVTIBVS . EORVM . DOMI . FORISQVE . S . P . Q . R .

Nomen Septimii Getae in vetustioribus monumentis Antonini fratris, vel patris eorum L. Septimii Severi, sic fere desideratur, ut tamen appareat, non initio omissum, sed deinde erasum: ita enim fratricidae illi post scelus placuit. at in fornice Severi, in quo adhuc Romae inscriptio haec legitur, qui litteras singulas non perspexerit, ejus nominis vestigia inveniet nulla. nam, Geta hoste judicato (1), quod illa erasi nominis lacuna aliquam praeclaro monumento deformitatem afferre videretur, ubi nomen ejus et tituli legebantur, totidem litteris inscriptum est *Optimis Fortissimisque Principibus:* quae tamen verba supposita esse, versus ipse, ceteris depressior, et insitivarum litterarum foramina, quae sublato aere patent, indicium curiosius intuenti faciunt.

De victoriis Severi ac de cognominibus devictarum gentium meminere Spartianus (2) et Herodianus (3). cur autem Severus appelletur *Parthicus Arabicus* et *Parthicus Adiabenicus,* non aliam esse caussam puto, quam quia et Arabes et Adiabeni eo simul bello superati sint, quo victi Parthi earum gentium domini. ita sane et Spanhemio visum (4), monstrante Spartiano (5). hic tamen addit, *Parthicum* nomen a Severo recusatum, ne Parthos lacesseret: quae verba Spanhemius de eo tempore accipienda censet, quum Parthos lacessiverat solum atque tentaverat, nec Ctesiphontem etiamtum ceperat, regemve fugaverat. titulum hunc Harduino (6) multis post annis incisum videri, quam Septimius et Antoninus obierint, ne mirere: alia ab illo, quae mirere, splendidiora prolata sunt.

(1) Spart. in Carac. c. 1.
(2) in Sever. c. 10. et 18.
(3) lib. 3. c. 9.
(4) Dissert. 12. p. 503.
(5) in Sever. c. 9.
(6) in Hist. Aug. oper. sel. p. 805.

LXXXXVI. (Fabr. p. 296. n. 257. et Donat. in Supp. Mur. cl. 5. p. 174. est in Capit.)

IMPERATORI · CAESARI
M · AVRELIO · ANTONINO
AVG ·
L · SEPTIMI · SEVERI · PII
PERTINACIS · AVG · FILIO
DOMINO · INDVLGENTISSIMO
PAEDAGOGI · PVERORVM · A · CAPITE
AFRICAE · QVORVM · NOMINA · INFRA
SCRIPTA · SVNT

TRIFERVS · VER · LIB ·		PETIZACE S · LIB ·	
EVPERILEMPTVS · LIB ·		ZOILLV S · LIB ·	
EVTYFRO N · LIB ·		FREQVEN S · LIB ·	
TROPHIMVS VER · LIB ·		MODESTV S · LIB ·	
POLLVX · VER · LIB ·		PATROCLV S · LIB ·	
CHRISOMALLV S · LIB ·		HERME S · LIB ·	
PHILETERVS · VER · LIB ·		NICOMACHVS · VER · LIB ·	
EVTYCHE S · LIB ·		PAEDICV S · LIB ·	
SPENDO N · LIB ·		HERMOGENE S · LIB ·	
PERSEV S · LIB ·		NEON · VER · LIB ·	
HERME S · LIB ·		ANEMVRIV S · LIB ·	
FELIX S · LIB ·		EVTYCHE S · LIB ·	

PROCVRANTIBVS · SATVRNINO · ET · EVMENIANO
DEDIC · IDIB · OCT · SATVRNINO · ET · GALLO
CoS · (1)

Dominum dici a libertis, qui patronus jam erat, novum ne putes: quippe id temporis Imperatorem vel ingenui Dominum appellabant. quidam autem ex his gloriantur, se in domo Augusta natos, et se vernas declarant. hi omnes, quum Paedagogi Romae essent in vico regionis, cui nomen *Caput Africae* (2), monumentum Caracallae dedicarunt, sive, quod idem est, in ejus honorem constituerunt. locum ipsum indicat titulus in Caelio inventus ad Sanctorum Ioannis et Paulli.

At vero Paedagogorum istorum inscitiam aut certe negligentiam arguit lapis, qui nomina eorum aliquot non recte scripta praefert. sed paedagogi non litterarum, sed morum magistri erant, quemadmodum multis ostendit Martorellius (3): itaque minus irasci debemus, quod mali aliquando grammatici visi sint: quamquam dicendi non imperitos eos esse Quintilianus (4) volebat: qui, si qua a pueris dicta vitiose, corrigerent protinus, nec insidere illis sinerent.

Hinc demum argumenti aliquid habemus, in singulis vicis paedagogorum collegia

(1) An. V. C. Varr. 951.
(2) Lup. Epit. Sev. M. p. 138.
(3) Th. Cal. l. 1. c. 7. n. 16.
(4) Inst. l. 1. c. 1.

fuisse, qui principum virorum servulos elegantiores, aut quoslibet etiam ingenuos pueros instituerent regerentque.

LXXXXVII. (Maff. M. V. p. 218. n. 2.)

L · GAVIO · L · F ·
STEL · (1) SILVANO
PRIMIPILARI · LEG · VIII · AVG ·
TRIB · COH · II · VIGILVM
TRIB · COH · XIII · VRBAN ·
TRIB · COH · XII · PRAETOR ·
DONIS · DONATO · A · DIVO · CLAVDIO
BELLO · BRITANNICO
TORQVIBVS · ARMILLIS · PHALERIS
CORONA · AVREA
PATRONO · COLON ·
D · D ·

Omnium primus inscriptionem hanc edere sibi visus est Maffejus: sed si praenomen exceperis, quod alibi est *Cajus*, totidem verbis vulgaverat Fabrettus (2), ante hunc Gruterus et Lipsius (3). eandem non honorariam, sed funebrem esse putavit Bonada (4), quum vestigia talem nulla prodant.

Primipilares in militia Romana ii dicti, qui Primipili fuerant. erat autem Primipilus, sive Primopilus, centurio in ordine triariorum seu pilanorum primus, quum ipsa centuria Primuspilus diceretur (5). aquilae ille praeerat, et in acie signifero suo adsistebat (6): atque ubi operam duci probarat suam, tribunus fiebat. jam vero Gavius tres gessit tribunatus, eoque omnino, quo numerantur, ordine. minor dignitate primus ceteris fuit. nam Vigiles illi libertini genere erant, ac fere liberti libertate Latina, quibus civitas Romana dabatur, quum sex annos inter Vigiles militassent (7), quos Lipsius Vulcani potius ministros, quam Martis (8) fuisse dicit. septem scilicet cohortes Augustus constituerat (9), quae bifariam divisae, stationes, sive, ut est in descriptione urbis, Excubitoria quatuordecim haberent, ut singulis urbis regionibus sui essent Vigiles adversus incendia. milites hujusmodi vetus Iuvenalis scholiastes Sparteolos appellat, *quorum*, inquit (10), *cohortes in tutelam urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consuerunt vicibus*.

Existimo autem, hunc Gavium ab Imp. Claudio donis militaribus donatum, quum centurio esset, tribunatum vero vigilum gessisse sub Nerone: deinde a Vitellio tribunum cohortis urbanae factum, sub quo militum quisque, inquit Tacitus (11), *quamvis indignus, si ita maluerat, urbanae militiae adscribebatur*. hinc deinde ad tribunatum

(1) *Stellatina tribu*.
(2) pag. 127. n. 44.
(3) Grut. p. 416. n. 1. Lips. de M. R. l. 1. c. 4.
(4) t. 1. diss. 4. p. 299.
(5) Liv. l. 7. c. 41. et Caes. B. G. l. 5. c. 14. n. 35.
(6) Tacit. Hist. l. 3. c. 22. Veget. l. 2. c. 8.
(7) Grav. de Leg. et S. C. n. 24.
(8) in Ann. Tac. l. 4. c. 5.
(9) Svet. in Aug. s. 30. n. 1.
(10) ad Sat. 14. v. 305. v. Fabr. a p. 259.
(11) Hist. l. 2. c. 94.

cohortis praetoriae promotum esse: cujus honore lacti municipes patronum coloniae adoptarunt, eique monumentum decreverunt.

Verum haereo in cohortium numero. nam sub Tiberio tres urbanas, novem praetorias fuisse scripsit Tacitus (1): idemque a Vitellio quatuor urbanas cohortes conscriptas tradit (2), sedecim praetorias. hic vero legimus *Coh.* XIII. *Vrban.* at Fabrettus, quia cohortem urbanam nullo in marmore invenit, quae infra numerum X. esset (nam in duobus Gruteri titulis putat V positum pro X.) ideirco hoc statuendum censet, cohortes urbanas adnumerandas esse praetoriis, quumque istae origine novem fuisse videantur, quae prima urbanarum erat, appellatam esse decimam, alteram undecimam, tertiam duodecimam: et quia sub Vitellio quatuor fuere, quartam esse, quae in ista inscriptione dicitur decima tertia.

Torques, armillae, phalerae, quibus strenui milites donabantur, ex argento fere aut auro erant (3): sed non sine discrimine dari solebant. *Auxiliares*, inquit Plinius (4), *et externos torquibus aureis donavere, at cives non nisi argenteis. praeterque armillas civibus dedere, quas non habent externi.* porro armillis brachia ornabantur, phalerae, ut ait Lipsius (5), demissae ad pectus pendebant, torques stringebant magis et ambiebant ipsum collum. de his multa congessit Schefferus (6), de armillis nonnulla Chausens aliique, at de phaleris nihil reperies, quum tamen earum figuram videre liceat in Museo Veronensi (7), quas gerit Q. Sertorius Centurio, scutulis septem simul nexis constantes, ac totam prope loricam tegentes: in singulis scutulis humani vultus apparent, sed in extremo effigies equi, omen nempe equestris dignitatis, in quam transferendus esset. non absimile phalerarum exemplar exhibet, sed non indicat, Muratorius (8).

Haec autem dona Coronarum decus aequasse non videntur. de Augusto certe ita scribit Svetonius (9): *Dona militaria aliquanto facilius, phaleras et torques, quidquid auro argentoque constaret, quam vallares ac morales coronas, quae honore praecellerent, dabat.* ac torques quidem dati interdum etiam extra militiam: ut olim ab Augusto C. Nonio Asprenati (10), qui in Trojae ludo lapsu debilitatus fuerat: item ipsi Augusto Galli torquem aureum centum pondo dederunt (11). armillas gestabant non modo mulieres, sed etiam servi (12), quorum fuisse crediderim, quae ex aere adhuc manent, et in museis adservantur: de familia Neronis scripsit Svetonius, eo iter faciente, armillatam et phaleratam fuisse (13).

Coronae ex auro plures inter dona militaria fuere, aurea enim erat Castrensis, aurea Muralis, aurea Navalis (14). sed hae non Aureae, sed suo quaeque nomine appellabantur: et Castrensem quidem sive Vallarem habebat, qui hostium vallum in aggressione primus perrupisset; Muralem vero, qui primus in murum hostilem ascendisset; Navalem denique, qui primus in hostium navem insiliisset. quae autem Aurea κατ' ἐξοχήν dicta est, ea ob cetera fortia facta extra ordinem dabatur; habuitque a dictatore T. Quintio T. ille Manlius (15), qui Gallum provocantem singulari certamine occidit, et a torque, quo hostem spoliavit, Torquati cognomen invenit: habuere alii plures, e quibus commemorandus maxime est L. ille Dentatus, qui praeter alia dona, eam octies adeptus dicitur (16). aureis tamen coronis quernea potior: Civicam vocabant, qua ii

(1) Ann. l. 4. c. 5.
(2) Hist. l. 2. c. 93.
(3) Capitol. in Maximin. c. 2. et 3.
(4) H. N. l. 33. c. 2. n. 10.
(5) de mil. Rom. l. 5. dial. 17.
(6) apud Graev. t. 12. p. 901.
(7) pag. 121. n. 4.
(8) p. 2030. n. 1.
(9) in Aug. c. 25. n. 3.
(10) id. ib. c. 43. n. 6.
(11) Quintil. l. 6. c. 3. n. 79.
(12) Bartol. de armill. §. 2. p. 24. etc.
(13) in Ner. c. 30. n. 10.
(14) Gell. l. 5. c. 6.
(15) Liv. l. 7. c. 6. n. 10.
(16) Plin. H. N. l. 7. c. 28. n. 29.

donabantur, qui civem in proelio servassent. de hac tibi legendus est Plinius (1). eam qui accepissent, aliquando in senatum lecti sunt (2). his demum omnibus, imo et triumphali, potior habita est graminea, quae Obsidionalis dicebatur, nulli nisi ab universo exercitu servato decreta: de qua item multa traduntur a Plinio (3). coronam autem semel adepti, ludos coronati spectabant (4).

Marmor cum hac inscriptione Gruteri aetate exstabat Augustae Taurinorum, quam urbem et Plinius (5) et Tacitus (6) coloniam appellant: quare ad eam pertinere videtur, Stellatina tribu indicium faciente, in qua Taurinos fuisse, aliae inscriptiones docent (7).

LXXXXVIII. (Fabr. p. 399. n. 291.)

L · ACONIO · L · F ·
STATVRAE
7 · LEG · XI · C · P · F · LEG · IIII · F · F · (8) LEG ·
V · MACED · LEG · VII · C · P · F · DONIS
DONATO · AB · IMP · TRAIANO
AVG · GERMANICO · OB · BELLVM · DACIC ·
TORQVIBVS · ARMILLIS · PHALERIS
CORONA · VALLARI · ET · A · PRIORIB ·
PRINCIPIBVS · EISDEM · DONIS
DONATO · OB · BELLVM · GERMAN ·
ET · SARMATIC · A · DIVO · TRAIANO
EX · MILITIA · IN · EQVESTREM
DIGNITATEM · TRANSLATO
ARIMINI · PONTIF · QVINQ · (9)
TIFERNI · MAT · (10) FLAMINI · PONT ·
QVINQ ·
L · ACONIVS · STATVRA · FIL ·
EX · TESTAMENTO · EIVS · CVIVS
DEDICATIONE · EPVLVM · DECV
RIONIBVS · ET · PLEBI · DEDIT
L · D · D · D ·

Principes illi Trajano priores, qui Aconium militaribus donis donaverunt, non alii fuere, quam Vespasianus ac Domitianus: ille enim Germanos, hic Sarmatas vicit (11). nec vero qui sub his adolescens meruisset, senex esse debebat sub Trajano:

(1) H. N. l. 16. c. 4. n. 3.
(2) Liv. l. 23. c. 17. n. 23.
(3) H. N. l. 22. c. 3. et 4.
(4) Liv. l. 10. c. 32. n. 47.
(5) H. N. l. 3. c. 17. n. 21.
(6) Hist. l. 2. c. 66.
(7) Marm. Taurin. saepe.
(8) *Centurioni legionis undecimae Claudiae Piae Fidelis, legionis quartae Flaviae Felicis etc.*
(9) *Pontifici, Quinquennali.*
(10) *Tif. Mataurensis.*
(11) Tacit. Hist. l. 4. c. 78. etc. Suet. in Domit. c. 6. n. 1.

quum Titi et Nervae principatus breves admodum, quatuor simul annos non expleverint: Domitianus anno imperii decimoquinto sublatus fuerit.

Tifernum a Metauro, propter quem situm est, Metaurense appellatum, ut alterum a Tiberi Tiberinum (1). Fabrettus *Mataurense*, ut hic, vulgo dictum aliquot exemplis confirmat (2), quamquam vetustiores Metaurense et Metaurum dixerunt. nomen hodie oppido illi est *Sancto Angelo in vado*, in ejusque curiae porticu inscriptio haec prostat.

Quod Romae saepe fiebat, ut epulum et visceratio et prandia darentur, id in municipiis quoque factitatum est, maxime in statuarum dedicationibus (3), in quibus et sportulae datae, ut dicemus ad inscr. seq.

LXXXXVIIII. (Grut. p. 446. n. 7.)

P · OTACILIO · L · F · PAL · (4) RVFO · PAT ·
IIII · VIR · I · D · II · Q · Q · FLAM · PERPETVO
DIVI · HADRIANI · AB · EODEM · EQVO · PVBL ·
HONORATO · CVRATORI · KALENDARI · R · P ·
AECLANENSIVM · ELECTO · A · DIVO · PIO
PATRONO · MVNICIPI
OB · EXIMIAM · MVNIFICENTIAM · EIVS · ORDO · DEC ·
PECVNIA · PVBLICA · PONENDVM · CENS · CVIVS
DEDICATIONE · DEC · ✱ · XIII · AVG · XII · POP · XI · (5) DEDIT

Otacilium tribus illis literis PAT patricium potius vocari, quam patronum putabam, quod et patronus subinde apertissime nominatur, et patricius municipali ambitione dici potuit, ad significandum, Otacilios Aeclani ita e primis decurionibus ortos, ut Aquillios Romae et Vitellios et Iunios et ceteros omnes ab iis maxime genitos, quos Romulus primos senatores constituerat. municipes certe, quod alio loco attigi, populum Romanum aemulari saepe visi sunt, et aliquando cum ipsa prope urbe, imperii insignibus titulisque, certare. Capuae Cicero Duumviros *Praetores* appellari, eisque lictores anteire vidit, non cum bacillis, sed ut Romae praetoribus anteibant, cum fascibus duobus: tum *Erant*, inquit (6), *hostiae majores in foro constitutae, quae ab his praetoribus de tribunali, sicut a nobis consulibus, de consilii sententia probatis, ad praeconem et ad tibicinem immolabantur. deinde* Patres conscripti *vocabantur*. Aeclanum vero urbs erat Hirpinorum, qui medii Appulos inter et Campanos (7): ut vicinitas ipsa aliquid de Campana superbia afferre posset.

Verum quia in Canusina inscriptione, de qua capite primo (8) mentionem feci, primi decurionum *Patroni* vocantur, de quorum dignitate sermo etiam est in Codice Theodosiano (9); si Aeclani eaedem, quae Canusii, decurionum classes fuere, et in earum prima Otacilius censebatur, idem jam appellari Patronus bis potuit, primo quia decurio primarius, secundo quia municipii patrocinium susceperat: quamquam fatendum

(1) Plin. H. N. l. 3. c. 14. n. 19.
(2) pag. 308. k. et seq.
(3) Figrell. de stat. Rom. c. 30.
(4) *Palatina tribu*.
(5) *Decurionibus Denarios* 13. *Augustalibus* 12. *Populo* 11.
(6) de Leg. Agr. or. 2. c. 34. n. 93.
(7) Cellar. G. A. l. 2. c. 9. sect. 4. n. 521.
(8) ad inscr. 47.
(9) L. 61. de Decur. v. inscr. 310.

est, sive *Patronus* sive *Patricius* in primo versu dicatur, rem prope eandem alterutro vocabulo significari.

Flamines Romae quidem perpetui erant; extra urbem qua perpetui, qua temporarii: quare in antiquis inscriptionibus occurrit aliquando *Flamen Iterum* (1). Flamines vero municipales, inquit Norisius (2), erant ex ordine decurionum, nec prius sacerdotio ornari poterant, quam municipalia munera obivissent.

Kalendarium Reipublicae sive codicem accepti et expensi curabat Otacilius, et foenebrem municipii pecuniam ponebat, usurasque exigebat: quae quia singulis mensibus pendebantur, quippe in calendas veteres foenerari solebant; idcirco codex ille, in quo scripta erant debitorum nomina, Kalendarium est appellatum (3). saepe autem in antiquis inscriptionibus Curatores Kalendarii ab Imperatoribus datos legeris (4): uti et *Curatores Rei Publicae*, quos M. Aurelius, teste Capitolino (5), *multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, e senatu dedit*. id vero tam municipii caussa factum putato, quam eorum, qui creabantur: municipii enim securitati prospicere voluerunt, pecuniae publicae cura ad integerrimos viros delata. Impp. Antoninus et Verus rescripserunt (6), *A Curatore Kalendarii cautionem exigi non debere, quum a Praeside ex inquisitione eligatur:* itaque multo minus ab eo, qui ab Imperatore electus esset. quamquam autem cura Kalendarii exiguum plane munus, nec inter honores habendum, videtur; pluris tamen in municipiis fieri solebat, quam magistratus, si a Principe deferretur. certe qui dignitates Principis judicio consequuti erant, eorum nomina in albo decurionum ante nomina ceterorum scribebantur, qui municipalibus tantum honoribus functi essent (7).

Sportulam in statuae suae dedicatione ab Otacilio datam vides denariorum tredecim Decurionibus, duodecim Augustalibus, undecim plebi. magni sane sumptus: sed e plebe non omnes admittebantur. audi enim Plinium ad Trajanum e Bithynia scribentem (8): *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam Bulen atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare*. ceterum Otacilii liberalitas multo major fuit: quam frustra obscurare conatus est Matthaeus Egizius (9), quum eam pecuniam non ex arca Otacilii, sed ab aerario reipublicae Aeclanensis numeratam esse, nullo auctore affirmavit.

C. (Murat. p. 752. n. 5.)

M · VALLIO · C · F · QVIR · (10) RVFO · EQVO · PV
BLICO · EXORNATO · A · DIVO · ANTONI
NO · AVG · PIO · PLEBS · GAVLITANA · EX
AERE · CONLATO · OB · MERITA · ET · IN
SOLACIVM · C · VALLI · POSTVMI · PATRO
NI · MVNICIPII · PATRIS · EIVS

Gaulos insula est cum oppido cognomine prope Melitam. Gaulitanos Diodorus

(1) Grut. p. 321. n. 10. p. 489. n. 10. etc.
(2) Cen. Pis. diss. 1. c. 4.
(3) Pancir. de Mag. Mun. c. 14.
(4) Grut. p. 367. n. 6. p. 444. n. 5. etc.
(5) in M. Ant. Phil. c. 11.
(6) L. ult. D. de adm. rer. ad civ. pert. §. 7.
(7) L. 2. D. de alb. scrib.
(8) lib. 10. ep. 117.
(9) opusc. pap. 28.
(10) *Quirina tribu*.

Phoenicum coloniam facit (1): at nummi colonos Syracusanorum produnt (2). ipsum oppidum in Latinis monumentis saepe appellatur municipium (3).

Quod statua M. Rufo posita dicatur non modo ob merita ejus, sed etiam in solatium patris, significari mihi videtur ejusdem Rufi vel mors vel absentia, fortasse ob legationem reipublicae caussa susceptam: hujus nempe imagine proposita, Gaulitani non modo Rufum afficere eo honore, qui rarus in juvene erat (4); sed etiam desiderium cari capitis lenire in parentibus voluerunt: *in parentibus*, inquam, non in patre tantum: quippe in exemplo eodem, quod et Castellus (5) vulgavit ex *Melita* Habelae descriptum, duos praeterea versus insculptos olim in marmore fuisse apparet, in quorum litura . . . MATER . . . adhuc legitur.

CI. (Oderic. diss. 8. p. 134.)

L · ROSCIO · M · F · QVI ·
AELIANO · MAEGIO
CELERI
COS · PROCOS · PROVIN ·
AFRICAE · PR · TR · PL · QVAEST . (6)
AVG · (7) X · VIR · STLITIB · IVDIC ·
TRIB · MIL · LEG · IX · HISPAN ·
VEXILLARIOR · EIVSDEM
IN · EXPEDITIONE · GERMANIC ·
DONATO · AB · IMP · AVG ·
MILITARIB · DONIS · CORONA
VALLARI · ET · MVRALI · VEXILLIS
ARGENTEIS · II · HASTIS · PVRIS · II ·
SALIO
C · VECTILIVS · C · F · PAL · PROBVS
AMICO · OPTIMO
L · D · S · C ·

Consulatum gessit L. Roscius cum L. Mario Maximo, anno v. c. Varr. DCCCCLXXVI. itaque donis militaribus donatum crediderim ab Imp. Antonino Caracalla: nam hujus expeditio Germanica cum Roscii adolescentia mirifice congruit; et addit Spartianus, milites ab eo circa Raetiam donatos (8). omissum autem Imperatoris illius nomen est, quod populus Romanus et facta ejus et memoriam detestaretur.

Provincias, quae a senatu post Augusti partitionem decernebantur, decem praetorias numerat Strabo (9), duas proconsulares, Asiam et Africam. sed legionem in Africa tutandis imperii finibus, quae sub Augusto Tiberioque Proconsuli parebat, C. Caesar

(1) lib. 5. p. 294.
(2) Barth. secund. ad num. Sicul. Orvill. tab. 20.
(3) Murat. p. 1108. n. 6. etc.
(4) Plin. lib. 2. epist. 7.
(5) Inscr. Sic. Cl. 5. n. 41.
(6) *Praetori*, *Tribuno Plebis*, *Quaestori*.
(7) *Auguri*.
(8) in Carac. c. 5.
(9) lib. 17. sub fin.

Aug. ablatam Proconsuli, misso in eam legato tradidit: et *legatorum deinde jus*, ut ait Tacitus (1), *adolevit diuturnitate officii; vel quia minoribus major aemulandi cura: proconsulum splendidissimus quisque securitati magis, quam potentiae consulebant*.

Idem Roscius ex collegio Augurum fuit: quod sacerdotium sub Augustis etiam in honore fuisse constat. id enim et Plinius proconsulari jam potestate ornatus a Trajano sibi petiit (2): amicoque Arriano gratulanti, quod accepisset, respondit (3): *Gratularis mihi, quod acceperim Auguratum: jure gratularis, primum quod gravissimi Principis judicium in minoribus etiam rebus consequi pulcrum est; deinde quod sacerdotium ipsum quum priscum et religiosum, tum hoc quoque sacrum plane et insigne est, quod non adimitur viventi*.

Decemviros litibus judicandis (stlitibus dicebant veteres), apud quos Tullius adolescentulus caussas egit (4), constitutos dicit Pomponius (5), ut hastae praecessent, judicio nempe centumvirali, cujus signum hasta, quae in basilicis ad tribunal praetoris praefigebatur (6): ipsi enim centumviros cogere debebant. quinque senatores et quinque equites fuisse, scribit Noodtius (7); sub Augusto tamen senatus consultum factum est, ut Decemviri ex equitibus constituerentur, quorum deinde nemo, Dione teste (8), in senatum adlectus est, nisi alium quoque magistratum gessisset, ob quem senator fieri posset.

Vexillarios Lipsius exauctoratos milites fuisse tradit et nondum plane missos, qui a legionibus discreti sub vexillo retinebantur, donec deducerentur: quasi vero de his sermo sit, ubi Tacitus scribit (9): *Placitum, ut epistolae nomine Principis* (Tiberii) *scriberentur: missionem dari vicena stipendia meritis: exauctorari, qui senadena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis*. contra Salmasius (10) eosdem esse censet ac Triarios, et de vexillariis loquutum esse Livium existimat, quum ait (11), *Primum vexillum triarios ducebat veteranum militem spectatae virtutis*. atqui veteranos non fuisse, atque adeo neque exauctoratos milites neque triarios, plane constat. haec enim Tacitus de bello civili Vitelliano (12): *Certum erat Spurinnae, is enim Placentiam obtinebat, necdum venisse Caecinam, et si propinquaret, coërcere intra munimenta militem, nec tres praetorias cohortes et* mille Vexillarios *cum paucis equitibus* veterano exercitui *objicere*. quales autem essent Vexillarii illi, statim indicat, apertiusque demonstrat: *sed indomitus miles et* belli ignarus, *correptis signis vexillisque ruere, et retinenti duci tela intentare*. Tacito ergo Vexillarii sunt, non triarii, non veterani, sed indomiti milites et ignari belli, qui correptis vexillis injussi ruunt in proelia, quos dux veterano exercitui objiciendos non censet.

Iamvero milites hujusmodi, quia juniores, et vigore ac levitate corporum velociores, legionem, cujus pars erant, relictis post se signis, sub vexillo aliquando antecedere, et paullo longius, ubi opus erat, progredi jubebantur. *Praecipua*, inquit idem (13), *Quartadecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant, quippe Bedriacensi acie* Vexillariis tamen pulsis, *vires legionis non adfuisse*. id nimirum Tacitus significare voluit, Vexillarios, qui praemissi fuerant, proelium commisisse, antequam legionis suae vires, sive potior pars eos consequeretur; itaque pulsos fugatosque esse.

(1) Hist. l. 4. c. 48.
(2) lib. 10. epist. 8.
(3) lib. 4. epist. 8.
(4) pro Caecin. c. 33. n. 97.
(5) L. 1 D. de Or. Iur. §. 29.
(6) Stat. l. 4. Silv. 4. v. 43.
(7) de Iurisdict. l. 1. c. 12.
(8) l. 54. p. 757. B.
(9) Annal. l. 1. c. 36.
(10) in Vopisc. Prob. c. 5.
(11) lib. 8. c. 7. n. 8.
(12) Hist. l. 2. c. 18.
(13) ibid. c. 66.

Eosdem in omnibus cohortibus fuisse ostendit, et ex iis abductos una cum equitibus ad celeritatem itineris (1): *Antonio* Vexillarios e cohortibus, *et partem equitum ad invadendam Italiam rapienti comes fuit Arrius Varus strenuus bello*. idcirco et legionibus singulis vexillarios fuisse suos, saepe legimus: *Vexillarii discordium legionum* (2): *Quartadecima legio cum Vexillariis vicesimariis* (3): *Advertit ea res Vespasiani animum, ut Vexillarios e legionibus, ducemque Virdium Geminum spectatae militiae deligeret* (4).

Tribunum igitur Roscium in legione nona Hispanica sic fuisse patet, ut, quum res posceret, ipse cum vexillariis agmen praecederet. quum autem tribuni mille viros regerent, quare et χιλιαρχας Graeci appellant, fortasse etiam totidem in singulis legionibus vexillarii merebant.

Argenteus color militaribus signis familiarior dicitur a Plinio (5); vexilla tamen conti fuere, e quibus velum pendebat modicum, fere e purpura, ob quam *Flammulae* a Vegetio (6) vocantur. quae autem pro praemio militibus dabantur, ea *argento insignia* erant: sic enim in veteri inscriptione appellantur (7): velum nempe habuerunt argenteum, non purpura non auro intextum: quare Vopiscus *Vexilla Pura* nominavit. hastam autem puram eam esse dicit Servius (8), quae esset sine ferro, qua ii olim donati, qui primi in proelio vicissent.

In Saliorum quoque collegium cooptatus est Roscius: unde liquet, eum ex patriciis fuisse. nemo enim plebejus fieri Salius poterat (9). de Saliis autem Livius: *Salios* (Numa) *duodecim Marti Gradivo legit. tunicaeque pictae insigne dedit, et super tunicam aeneum pectori tegumen: caelestiaque arma, quae Ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu jussit* (10). plura de his Gutberlethus (11).

Locus denique datus dicitur senatus consulto, quo in loco Vectilius amico optimo statuam, ut arbitror, dedicaret. at cujus senatus? Romani ne, an Tiburtis? nam alia etiam Tibure marmora habent L. D. S. C. (12); et *Senatus Populusque Tiburs* legitur apud Gruterum (13). hujus ego potius, quam Romani crediderim: praesertim quum Romae, jam a Trajani aetate, ab Imperatore jus illud petere solerent (14), ac pro urbe peterent.

CIL. (Fabr. p. 643. n. 368.)

L · RVNTIO · L · F · AEM · (15)
GEMELLO
AEDILI · II · QVINQVE ·
QVOD · CVRAM · MVNERIS · PVBLICI
SPLENDIDE · ADMINISTRAVERIT
FVNDANI · AERE · COLLATO
L · D · D · D ·

Lucius Runtius, quum fuisset Aedilis iterum et Quinquennalis, id est bis mi-

(1) Hist. l. 3. c. 6.
(2) Ann. l. 1. c. 38.
(3) ibid. l. 14. c. 34.
(4) Hist. l. 3. c. 48.
(5) H. N. l. 33. c. 3. n. 19.
(6) lib. 2. c. 1.
(7) Salmas. in Vopisc. Prob. c. 5.
(8) ad Aen. l. 6. v. 760.
(9) Cic. pro Domo sua c. 14. n. 38.
(10) lib. 1. c. 8. n. 20.
(11) Polen. t. 5. Ant. p. 685.
(12) Grut. p. 419. n. 5.
(13) p. 1025. n. 12.
(14) Plin. lib. 1. epist. 17.
(15) *Aemilia tribu*.

nor (1) Fundis in Latio magistratus, item censor, muneris gladiatorii, quod publice dabatur, curam susceperat, ac municipibus probarat. ob eam rem monumentum ei pecunia collata posuerunt, loco a decurionibus decreto.

Curatores hujusmodi primus *Munerarios* appellavit Augustus (2): at ipsi ludi a Tullio etiam saepe *Munus* dieti sunt (3).

CIL. (Grut. p. 1095. n. 2. Don. Cl. 5. n. 88.)

C · GALLERIO · C · F · AN ·
IVLIANO · EQ · P ·
QVAESTORI · II · VIRO
CVRATORI · SARSINATIVM
CVRATORI · SOLONATIVM
FLAMINI · PATRON · COL · AVG ·
ARIMIN · ADVOCAT · PVBLIC ·
AMANTISSIMO · DECVRION ·
AMANTISSIMO · CIVIVM
SPLENDIDISSIMVS · ORDO
ARIMINENSIVM
MERITIS · FIDEI
BONITATI · INNOCEN
TIAEQVE · EIVS

Magnae hic laudes Iuliano, non multis verbis, tributae, quae virum fuisse ostendant antiquae virtutis, patriaeque suae studiosissimum. jam equestri nobilitate, quaesturam duumviratumque Arimini gesserat: Sarsinatium vero, qui in Vmbria sunt, et Solonatium, qui Galliam cispadanam Faventinis finitimi incolunt, Curator erat, negotiumque eorum publicum agebat. idem coloniae suae Flamen, ejusdem etiam patronatum susceperat, nec de plebe bene mereri desinebat, ut et Patronus nobilitati faveret, et Advocatus cives omnes in oculis ferret.

Ariminum Plinius quoque *Coloniam* nominat (4): *Augustam* aliae etiam inscriptiones dictam esse confirmant (5): nec dubium ab Octaviano Augusto id ei nomen inditum, qui et Flaminiam Arimino tenus munivit (6). et vias in oppido omnes a Cajo Caesare filio sternendas curavit (7) et pontem ibidem magnificentissimum fecit (8).

Ordinem Ariminensium *Splendidissimum* vocari ea de caussa puto, quod Decuriones illi equestri fere censu essent: quippe equitum maxime appositum illud habebatur. itaque Tullius *Equestrem Splendorem* et *Splendidos equites* saepe dixit, et aliis porro in urbibus Decurionum Ordinem tamquam propria appellatione *Splendidissimum* passim audisse, veteres inscriptiones declarant (9).

(1) v. inscr. 230.
(2) Quintil. l. 8. c. 3. n. 34.
(3) pro Sext. c. 58. n. 124. etc.
(4) H. N. l. 3. c. 15. n. 20.
(5) Spon. Misc. p. 164.
(6) Suet. in Aug. c. 30. n. 3.
(7) Maff. M. V. p. 364. n. 5.
(8) id. ibid. p. 365. n. 2.
(9) Grut. p. 481. n. 9. etc.

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CIIII. (Grut. p. 249. n. 7.)

IMP · CAESARI · DIVI
TRAIANI · PARTHICI · F ·
DIVI · NERVAE · NEPOTI
TRAIANO · HADRIANO
AVG · PONTIF · MAXIM ·
TRIB · POTEST · XVII · COS · III · P · P ·
COLONIA · OSTIA
CONSERVATA · ET · AVCTA
OMNI · INDVLGENTIA · ET
LIBERALITATE · EIVS

In principio (Latii) *est Ostia, colonia a Romano rege deducta*. ita Plinius (1): eam in ore Tiberis ab Aneo conditam, salinasque circa factas, tradit Livius (2). idem a belli Punici secundi temporibus portum ibi fuisse, non obscure significat (3): sed nihil ille ad eum, quem deinde Claudius exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo jam salo mole objecta (4). ibidem a Claudio cohortem ad arcendos incendiorum casus collocatam, scripsit Svetonius (5): itemque corpus fabrum navalium fuisse, ex Fabretti inscriptione constat (6). inde Classiarii, quos tabellarios a navibus fuisse puto, Romam pedibus per vices commeabant (7). oppidum Plinii junioris aetate opulentum: *suggerunt*, inquit ille (8), de Laurentino suo scribens, *affatim ligna proximae silvae: ceteras copias Ostiensis colonia ministrat*.

Quid vero ea colonia Hadriano debuerit, nusquam invenire potui. multa tamen multis ab eo Imperatore beneficia esse collata, accepimus a Dione (9): Και τας πολεις τας τε συμμαχιδας και τας ὑπηκους μεγαλοπρεπεστατα ωφελησε: easque aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecunia, honoribus, ceterisque rebus auctas esse atque ornatas, confirmat: quibus ea plane consonant, quae habet Spartianus (10).

(1) H. N. l. 3. c. 5. n. 9.
(2) lib. 1. c. 13. n. 33.
(3) lib. 22. c. 8. n. 11.
(4) Svet. in Claud. c. 20. n. 6.
(5) ibid. c. 25. n. 7.
(6) pag. 719. n. 405.
(7) Svet. in Vesp. c. 8. n. 8,
(8) lib. 2. epist. 17. v. Don. Cl. 2. n. 4.
(9) Xiph. l. 69. p. 1154. B. *et civitates tam socias quam stipendiarias magnifice juvit*.
(10) in Hadr. c. 19. et 21.

CV. (Murat. p. 653. n. 4.)

L · VALERIO · L · F ·
PVDENTI
HIC · CVM · ESSET · ANNO
RVM · XIII · ROMAE
CERTAMINE · SACRO
IOVIS · CAPITOLINI
LVSTRO · SEXTO · CLA
RITATE · INGENII
CORONATVS · EST
INTER · POETAS · LA
TINOS · OMNIBVS
SENTENTIS · IVDICVM
HVIC · PLEBS · VNIVER
SA · MVNICIPVM · HIS
TONIENSIVM · STATVAM
AERE · COLLATO · DECREVIT
CVRAT · REI · P · (1) AESERNINOR · DATO · AB
IMP · OPTIMO · ANTONINO · AVG · PIO

Edidit inscriptionem hanc praeter alios Terrassonius (2), sed, ut plerique, mutilam: idemque inter decreta numeravit, quo loco alias habet non paucas, quod in his de decreto decurionum mentio fiat.

De Agone sive Certamine Capitolino, in quo L. Valerius coronatus est, haec habet in Domitiani vita Svetonius (3): *Instituit et quinquennale certamen Capitolino Iovi triplex, musicum, equestre, gymnicum, et aliquanto plurium, quam nunc est, coronarum. certabant etiam et prosa oratione graece latineque.* nihil hic, ut vides, de poësi: sed poëtas quoque certasse, constat ex Statio (4), qui, quum in Certamine Albano ter coronatus fuisset, in Capitolino victus est. adde Statio Ausonium de Attio Delphidio sic canentem (5):

Tu paene ab ipsis orsus incunabulis,
Dei poëta nobilis,
Sertum coronae praeferens Olympiae
Puer celebrasti Iovem.

Primum Agonem institutum tradit Censorinus (6) Fl. Domitiano Aug. XII Ser. Cornelio Dolabella Cos. anno V. C. Varr. DCCCXXXVIIII. nova hinc lustra, sive quadriennia numerari coepta a primo ad alterum agonem, et sic deinceps: diu enim mos ille mansit. ejusdem certaminis meminit Herodianus (7): quin etiam Constantinus et Licinius Cos. illud celebrasse dicuntur (8): quod tamen Panvinius sexagesimum appellare non de-

(1) *Curatori Reipublicae.*
(2) Vet. Iurispr. Rom. monum. §. 2. n. 47.
(3) cap. 4. n. 9.
(4) 3. Silv. 5. v. 28. seqq.
(5) in Profess. Burd. n. 5. v. 5.
(6) de die nat. c. 18.
(7) lib. 8. c. 8.
(8) Panvin. de theat. l. 1. c. 11.

bebat: nam ab anno institutionis ad consulatum Constantini et Licinii (1) lustra, sive quadriennia numerantur non plura, quam LVIII. et quinquagesimi noni annus primus: quadriennia, inquam, totidem; nam veteres, sive de censu, sive de Agone Capitolino aut de longa alia annorum serie sermo esset, revera spatium annorum quatuor *Lustrum* vocabant: quamquam ex Latinorum formula quinto quoque anno fieri dicebant, quae post quadriennium instaurabantur, et certamen quinquennale appellabant, quod post annum quartum rursus edebatur: quare Olympicos ludos vel Tullius *Quinquennalem celebritatem ludorum* dixit (2). ea caussa est, ut lustra quoque Collegiorum *quadriennia*, et Quinquennales eorum, qui singulis lustris creabantur, *annorum quatuor* magistros fuisse statuamus: quorum alterum nomine ipso significatur, si Latinam consuetudinem speetes; alterum Gruteriana confirmari inscriptione potest (3), in qua T. Flavii Hilarionis munera enumerantur, quibus nempe in Collegio Fabr. a lustro XV. ad XXII. functus esset: magister enim hic Quinquennalis fuisse dicitur lustro XVII. et XVIII. ut Quinquennalitatis et Lustri unum atque idem tempus fuisse videatur (*a*).

L. Valerius coronatus est lustro sexto: eum ergo honorem consequutus est L. Cejonio L. Tutio Cos. (4) coronas autem victorum querneas fuisse, non secus ac Civicas, Martialis perhibet (5) qui *Tarpejas quercus* appellat. at Statius e quercu et oliva fuisse docet (6), quibus Ausonius addit lemniscum (7). coronam Imperator manibus suis victoris capiti imponebat (8): itaque L. Valerius a Trajano Aug. coronatus est anno principatus ejus nono.

Ob eam rem Histonienses, quos Plinius collocat in finibus Frentanorum (9), municipem suum statua donandum censuerunt: qui deinde quum ab Antonino Pio Aesernînis in Samnio (10) curator Reipublicae datus esset, id quoque in basi subjiciendum curavere.

Curatorem veteres dixere, quicumque alicujus rei sive privatae sive publicae curam haberet: et curatorem reipublicae appellavit Sullam Sallustius in Africa bellum gerentem (11). sed in municipiis *Curator Reipublicae* is dictus est, qui a decurionibus creabatur, ut fundos, aedes, pecuniam publicam, et cetera hujusmodi civitatis negotia curaret. hic praedia reipublicae locabat, pretium rerum venalium statuebat, res a privatis occupatas vindicabat, opera publica redemptoribus faeienda aut restituenda dabat: de quibus plura leges apud Pancirolium (12).

(1) Ann. V. C. Varr. 1072.
(2) de orat. l. 3. c. 52. n. 127.
(3) p. 411. n. 2.
(a) De Agone Capitolino doctam edidit cl. Auctor lucubrationem, quam legesis in *Biblioteca Italiana*, *Milano* 1816. *Tom. I. p.* 180—187. et 339—348.
(4) An. V. C. Varr. 859.
(5) lib. 4. epigr. 54.
(6) l. 5. Silv. 3. v. 231.
(7) epist. 20.
(8) Mart. l. 4. epigr. 1. Stat. l. 4. Silv. 2. v. 67.
(9) H. N. l. 3. c. 12. n. 17.
(10) Liv. epit. 16. et 72.
(11) in Iugur. c. 118.
(12) De mag. mun. c. 11.

CVI. (Grut. p. 404. n. 2.)

L · EGNATIO · INVENTO
PATRI · L · EGNATI · POLLION ·
RVFI · HONORATI · EQVO · P ·
AB · IMPERATORIB · ANTONINO
ET · VERO · AVG ·
HIC · OBLITERATO · MVNERIS · SPECTACVLO
IMPETRATA · EDITIONE · AB · INDVLGENT ·
MAX · PRINCIPIS · DIEM · GLADIATORVM
ET · OMNEM · APPARATVM · PECVNIA · SVA
EDIDIT
COLONI · ET · INCOLAE · PVTEOLAN ·
OB · MVNIFICENTIAM · EIVS
L · D · D · D ·

Imperatorem, a cujus indulgentia Egnatius pater editionem muneris impetravit, non alium esse arbitror, quam M. Aurelium, qui, Lucio fratre defuncto, diu solus obtinuit principatum. nam ne hic quidem a spectaculis alienus fuit; quumque putaretur populum ad philosophiam velle cogere, vel absens, uti scribit Capitolinus (1), *populi voluptates curari vehementer praecepit per ditissimos editores*.

Post ruinam amphitheatri Fidenatis, quae, ut ait Tacitus (2), ingentium bellorum aequavit cladem, cautum in posterum senatus consulto, *ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res*. at hinc satis constare id quoque videtur, vetitum deinde, in municipiis ludos hujusmodi sine permissu Principis dari: quod ab eodem M. Aurelio constitutum puto, de quo Capitolinus (3): *Gladiatoria spectacula omnifariam temperavit*. utrumque autem apposite omnino ad publicas privatasque calamitates propulsandas; quod et decoctorum lucrumque inhiantium periculosa temeritas coërceretur, et municipalis ambitio atque insani divitum sumptus Principis providentiae subjicerentur.

Apparatus ludorum magno stabat editori in iis praesertim urbibus, quae amphitheatro carerent. nam ad temporarium multis, ut solebant (4), tabulationibus exstruendum, et materia sine modo opus erat, et operae quantocumque pretio saepe quamplurimae conducendae. de municipali autem munificentia, quae aliquando cum Romana prope comparari possit, indicia veteres inscriptiones ostendunt non pauca.

(1) in M. Aur. c. 23.
(2) Annal. l. 14. c. 63.
(3) in M. Aur. c. 44.
(4) Vitruv. l. 5. c. 5. et lib. 10. in praef.

CVII. (Grut. p. 475. n. 3.)

C · TITIO
CHRESIMO · AVG · II · (1)
HVIC · ORDO · DECVRIONVM
QVOD · PRO · SALVTE · ET · INDVLGENTIA · IMPERAT ·
ANTONINI · PII · FELICIS · AVG · ET · EX · VOLVNTATE · POPVLI
MVNVS · FAMILIAE · GLADIATORIAE · EX · PECVNIA · SVA
DIEM · PRIVATVM · SECVNDVM · DIGNITATEM · COLONIAE
EDIDERIT · HONOREM · BISELLI · QVO · QVIS · OPTIMO · EXEMPLO
IN · COLONIA · SVESSA · HABVIT · ET · VT · AQVAE · DIGITVS
IN · DOMO · EIVS · FLVERET · COMMODISQ · PVBLICIS · AC · SI
DECVRIO · FRVERETVR · ET · TITIO · CHRESIMO · FILIO · EIVS
OB · MERITA · PATRIS · HONOREM · DECVRIONATVS
GRATVITVM · DECREVIT · ORDO · DECVRIONVM
ET · AVGVSTALIVM · ET · PLEBS · VNIVERSA

Chimentellius (2) in secundo inscriptionis hujus versu legebat *Augusti Liberto;* quod rejicit Fabrettus (3): quippe veteres, quum Libertum significare vellent, scribebant L. vel LIB. numquam LI. est autem AVG. II. Sevir Augustalis iterum, ut alias apud eundem Fabrettum (4).

Iamvero C. Titius, quum ex ordine Augustalium esset, pro salute Imp. Antonini, id est Commodi, ut infra disces: item permissu ejus, et ex voluntate populi Suessani gladiatores impensa sua dedit, eosque non solitis ludorum diebus, sed extra ordinem. ob eam vero rem multos a decurionibus honores consequutus est: primum ut Bisellio uti posset: deinde ut ei ex fontis publici castello digitum aquae in aedes suas derivare liceret: tum ut commodis publicis jure decurionum frueretur; denique ut filium decurionem, gratis creatum, videret.

Bisellium, quamquam, ut Varro docuit (5), sedes ea dicebatur, quae duos caperet, uni tamen adtributum esse, atque honoris caussa decretum, aliquot jam exemplis confirmavit Fabrettus (6). de ipsius vero Bisellii honore multa, sed dubius atque haesitans, protulit Chimentellius (7). porro, si quid me interfari fas est, rem hanc paullo confidentius expediam. ut sella curulis Romae magistratuum erat, sic in municipiis Bisellium. indicio est inscriptio Gruteriana (8), quae initium hoc habet: CN. *Plaetorio* VI. *Viro Augustali Biselliario Honorato Ornamentis Decurionalibus:* hic nempe Bisellium ab ornamentis Decurionalibus distinguitur, et iis anteponitur: ut proprium maxime magistratuum fuisse videatur, et Sevirûm Augustalium, dum eo magisterio fungerentur: quos et fasces habuisse, jam docuimus (9). quare honor Bisellii erat jus sedendi in Bisellio omnibus spectaculis etiam post gestum magistratum aut abdicatum magisterium,

(1) *Augustali iterum.*
(2) de Hon. Bisell. c. 35.
(3) p. 228. n. 606.
(4) p. 232. n. 610. etc.
(5) de L. L. l. 4. c. 28. v. inscr. 309.
(6) p. 228. n. 605.
(7) de Hon. Bisell. c. 36.
(8) p. 1099. n. 2.
(9) ad inscr. 9. n. 8.

quemadmodum Romae in ludis sella curuli sedebant, quicumque curulem magistratum gessissent (1) (*a*). quibus autem id juris datum fuerat, *Biselliarii* appellati.

Quum ergo Titius jure Seviratus bis jam in Bisellio sedisset, hoc eum honore decuriones ornandum censuerunt, ut jus Bisellii retineret; nam, ut opinor, propter servitutem, quam serviverat, decurionem facere non poterant: quippe lege Iulia Visellia (2) omnes liberti a decurionatu arcebantur, nisi jure aureorum anulorum, impetrato a Principe, sustentarentur: qua lege filius ejus quum propter ingenuitatem non teneretur, ab iisdem decurionatum accepit.

De *aquae digito* haec nos docuit Frontinus (3): *Est autem Digitus, ut convenit, sextadecima pars pedis, uncia duodecima. quemadmodum autem inter unciam et digitum diversitas, ita et ipsius digiti simplex observatio non est. alius vocatur quadratus, alius rotundus. quadratus tribus quartisdecimis suis rotundo major: rotundus tribus undecimis suis quadrato minor est; scilicet quia anguli deteruntur.* de quo autem digito decuriones loquuti sint, de rotundo ne, an de quadrato, difficile est dicere: quamquam de rotundo sive minore verisimilius est, tamquam de primario; quum ab hoc quadratus, a circuli nempe diametro, oriatur.

Publicis Commodis adnumerat Vlpianus (4) forum, balneum, spectacula, festos dies. adde his sportulas, convivia, cenas publicas. hisce omnibus decuriones ob ordinis dignitatem liberius ac lautius fruebantur.

Titius filius praenomine hic non distinguitur, quod eodem, quo pater, uteretur. *Colonia* autem *Suessa* est, quam Auruncam dicebant, ut a Suessa Pometia discernerent: Tullius *lautissimum oppidum* appellat, *nunc municipium honestissimorum quondam colonorum* (5). coloniam iterum fuisse, deductam ab Augusto, Gruteri lapis demonstrat (6). sita est in Campania inter Minturnas et Teanum Sidicinum: Luciliique poëtae patria fuit (7). Suessani lapidem ipsi habent, in quo gemina inscriptio, haec quidem, quam attulimus, integra; at mutila altera interruptaque; ut tamen appareat, Decretum esse Decurionum Suessanorum de honoribus C. Titii. initio perscriptus annus et dies: *Q. Sosio Falcone, C. Iulio Fructo Claro Cos. Nonis Septembr.* anni Varr. DCCCCXXXXVI consules illi fuere, primi post consulatum Commodi Aug. septimum et Helvii Pertinacis secundum. extremae autem inscriptionis litterae sunt L. D. D. D.

(1) Gell. N. A. l. 3. c. 18.
(*a*) At Harduinus ad Plin. H. N. l. 7. c. 44. n. 45. putat, consentiente Gronovio ad Gellii loc. cit., deceptum fuisse Gellium; quum id honoris concessum fuisse dixerit Plinius loc. cit. uni L. Metello, non dignitatis caussa, sed pietatis potius et ex pietate profectae luminum orbitatis. V. plura hac super re apud Chimentell. de Hon. Bisell. c. 12.
(2) Lib. 9. t. 21. ad L. Visell. C.
(3) de Aquaed. art. 24.
(4) L. 27. D. ad Municip.
(5) Phil. 13. c. 8. n. 18.
(6) p. 1093. n. 8.
(7) Auson. epist. 15. v. 91

CVIII. (Oliv. Marm. Pisaur. n. 43. Fabr. p. 106. n. 252.)

C · TITIO · C · F · CAM · (1) VALENTINO
AEDILI · Q · $\overline{II}$ · VIRO · (2) QVI · TESTAMEN
TO · COLONIS · COLONIAE · IVL ·
FELIC · PISAVR · DECIES · CENTENA
MILLIA · $\overline{NVM}$ · DEDIT · ITAVT · PER · SING ·
ANNOS · EX · SESTERTIORVM · $\overline{CCCC}$ ·
VSVRIS · POPVLO · EPVLVM · DIE
NATALI · TITI · MAXIMI · FILI · EIVS
DIVIDERETVR · ET · EX · SESTERTIORVM
$\overline{DC}$ · VSVRIS · QVINTO · QVOQVE · AN
NO · MVNVS · GLADIATORIVM · EDERETVR
PLEBS · VRBANA

Pisaurum, quod est Vmbriae oppidum ad ostia Isauri, bis coloniam deductam, existimat Olivierus (3), a Sulla primum, deinde a Iulio Caesare, et hinc appellatam *Iuliam Felicem:* quemadmodum quatuor alias in Italia, a Mazochio primum descriptas, Capuam nempe, Suessam, Beneventum, Lucum Feroniae. at hoc quidem Oliviero ultro dat doctissimus Vita (4), Pisaurum coloniam a Sulla deductam esse; minime tamen concedit ab eo *Felicem* esse appellatam: quippe morem illum colonias ab auctoris nomine appellandi una cum Romano Principatu coepisse contendit: nec alia fortasse de caussa *Felices* dictas, quam quod eosdem et conditores haberent et Principes. negat etiam, Beneventum, quae item *Colonia Felix* nominatur, a Sulla deductam; et huic addit alias eodem cognomine, nec tamen Sullanas, e quibus fuere Ravenna et Iadera; denique illud quoque ostendit, colonias esse quasdam, quas Sulla omnino deduxit, nec tamen *Felices* a quoquam esse appellatas.

c. Titii magnae sane opes, qui post sumptus quaesturae atque aedilitatis in urbe, duumviratus in colonia, uno legato municipibus suis reliquerit HS. decies; id est scutatorum nummorum viginti quinque millia.

Haec summa duobus hic modis effertur: primum enim dicitur Titius dedisse colonis *decies centena millia nummûm:* deinde eadem summa bipartito distribuitur, ut ex *sestertiorum quadringentorum* usuris epulum quotannis dari debeat; ex usuris autem *sestertiorum sexcentorum* quinto quoque anno munus gladiatorium. nimirum *Decies centena millia nummûm* et *sestertia mille* unum atque idem sunt. nummus enim sestertius est, qui constat assibus duobus et semis: sestertium vero neutro genere, quod nummos sestertios continet mille. ac poëtas quidem tot nummorum sestertiorum millia intelligere, quot sestertia dixerint, vel ex uno Horatio satis liquet. nam ubi ait (5):

Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, uti mercetur agellum,

nisi de quatuordecim nummorum millibus acciperemus, dicendus esset ille Mena agel-

(1) *Camillia tribu*.
(2) *Quaestori Duumviro*.
(3) in not. ad inscr. eand.
(4) Ant. Benev. diss. 1. p. 33.
(5) lib. 1. ep. 7. v. 80.

lum emisse nummis omnino quatuordecim, id est paullis tribus cum dimidio. ubi vero de Luculli milite dixit (1),

Accipit et bis dena super sestertia nummûm,

magnus ille Lucullus militi, qui praesidium regale dejecisset, viginti nummos, id est paullos quinque, praemii loco dedisse putandus esset.

Sed ceteri etiam, qui prosa oratione scripserunt, sestertia haec non minus, quam sestertios nummos in pecuniae summa designanda usurparunt: nisi praefracte nimis defendimus, omnes omnino scriptores notis semper, nunquam litteris usos esse; hasque, quum occurrunt, librariis tribuendas esse, qui notas pro sua eruditione interpretari maluerint, quam describere. mihi quidem exempla praesto sunt non pauca, de quibus nil dubitem.

Tullius (2): *Capit ille ex suis praediis* sexcenta sestertia: *ego* centena *ex meis*. Svetonius (3) de Augusti testamento: *Ac ne haeredem quidem, nisi inter tertios ac pene extraneos e parte sexta nuncuparit* (Claudium), *legatoque non amplius, quam* octingentorum sestertiorum *prosequutus*. idem de funere Vespasiani (4): *Sed et in funere Favor archimimus personam ejus ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus et pompa constaret; ut audiit* HS· *centies* id est sestertiûm centum millibus nummûm, *exclamavit,* centum *sibi* sestertia *darent, ac se vel in Tiberim projicerent*. Plinius (5): *Scio* (Lusciniam) sestertiis sex, *candidam alioquin, quod est prope inusitatum, vaenisse, quae Agrippinae Claudii Principis conjugi dono daretur*. idem de censu equestri (6): *Nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno* sestertia cccc *census fuisset*. Inscriptio antiqua, quam scribae librarii adulterare non potuerunt (7): *In Quod Opus Legata Quoque Reip. Testamento Albuciae Candidae Vxoris Suae* HS· CC· *Consensu Ordinis Amplius Erogavit*. et sexcenta hujusmodi.

In his autem exemplis, quae sestertia dicuntur, ea usurpari pro totidem sestertiorum nummorum millibus, manifestum est: quin etiam in Svetonii verbis de funere Vespasiani, non aliter, quam in hac inscriptione, eadem summa duplici ratione significatur: neque cum Gronovio (8) existimandum est, illud Vespasiani funus centies centenis millibus stetisse, quum non de apotheosis sumptibus ibi sermo sit, sed de primo illo funere, quod ἀνθρωπων νομῳ fiebat, ut loquitur Herodianus (9). frustra igitur Fabrettus, praeterquamquod contra marmoris notas, legebat in hac inscriptione *Ex sestertiorum* M· CCCC· *usuris*, uti admonet Olivierus et scriptor et testis locupletissimus.

Restat ut de usuris dicam, quas Olivierus Centesimas fuisse putat; quae ita appellabantur, quum centesimam sortis partem, sive unum pro centum, singulis mensibus, solvebant. id Plinius (10) dicit *mutuari assibus duodenis:* quod Trajani aetate obtinebat: sic enim ad hunc ille scribit de pecuniis publicis: *Vereor, ne otiosae jaceant; nam et praediorum comparandorum aut nulla aut rarissima occasio est, nec inveniuntur, qui velint debere reipublicae, praesertim duodenis assibus, quanti a privatis mutuantur*. quare coloni Pisaurenses ex sestertiis quadringentis foenori datis usura centesima, auferre debebant quotannis quadraginta octo millia nummûm, sive scutatos nummos mille ducentos: ex sestertiis autem sexcentis quinto quoque anno scutatorum nummorum novem millia. hujus secundae summae curator constitutus fuerat C·

(1) lib. 2. ep. 2. v. 33.
(2) Parad. 6. c. 3.
(3) in Claud. c. 4. n. 13.
(4) in Vesp. c. 19. n. 6. et in Othon. c. 5. n. 4. etc.
(5) H. N. l. 10. c. 29. n. 43.
(6) ibid. l. 33. c. 2. n. 8.
(7) Con. p. 74. n. 31. Sestertia Ducenta.
(8) de Pec. Vet. l. 4. c. 6. n. 6.
(9) lib. 4. cap. 2.
(10) lib. 10. epist. 62.

quidam Mutrius, qui in Pisaurensi inscriptione (1) dicitur *Curator Kalendarii Pecuniae Valentini N* H-S. DC. idest numero sestertiorum sexcentorum.

Animadvertas hoc loco, quibus olim sumptibus in ipsis municipiis aut epulum aut gladiatorium munus daretur. die autem natali sive proprio sive filiorum testatores ab haeredibus aut legatariis saepe ea praestari voluisse, quae ipsis mandaverant, satis exemplorum nobis veteres inscriptiones praebent (2): qua de re dicam ad inscr. CCLII.

CVIIII. (Vit. Ant. Ben. p. 23. n. 25. Fabr. p. 747. n. 548.)

T · ANONIO · MARCELLINO
V · C · CONS · CAMP · (3) PATRO
NO · DIGNISSIMO · OB · IN
SIGNIA · BENEFICIA · QVI
BVS · LONGA · POPVLI · TAE
DIA · SEDAVIT · VNIVER
SA · PLEBS · BENEVENTA
NA · CENSVIT · PONENDAM

Praesides aliquando Roma missos habuit Italia, qui partes ejus quasi provincias obtinebant administrabantque; cosque Consulares dixere, nomine addito regionis, in qua jus dicebant, quibus secures et fasces praeferebantur, nullaque deerant dignitatis ac potestatis insignia (4). verum de origine et tempore eorum, falsus esse Salmasius (5) mihi videtur, qui eos sic Italiae impositos ab Hadriano putavit, quemadmodum praesides ab Augusto consulari potestate in provincias suas missos legimus: quos sane melius comparasset consularibus iis viris, quibus Augustus, ut habes apud Svetonium (6), appellationes litigatorum provincialium delegabat; quos nempe singulos cujusque provinciae negotiis praeposuisset. nam quos ille in provincias misit, Legati ejus fuere, modo praetoria, modo consulari potestate, qui fere consulatum nondum gesserant: qui autem ab Hadriano per Italiam constituti sunt, judices fuerunt, non legati; neque potestate consulari, sed ex viris consularibus electi. audi enim Spartianum (7): *Quatuor consulares per omnem Italiam judices constituit.* neque a Spartiano dissentit Capitolinus (8): *Ab Hadriano inter quatuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est:* de Antonino Pio loquitur, qui consul fuerat cum Catilio Severo anno Hadriani Imp. quarto. et de M. Aurelio haec habet (9): *Datis Iuridicis Italiae consuluit ad id exemplum, quo Hadrianus consulares viros reddere jura praeceperat.* itaque nec Hadrianus nec M. Aurelius Italiam in provinciam redegit: sed judices tantum constituere, qui obirent urbes, et forum agerent ea ferme ratione, qua deinde Carolus Magnus Imp. viros primarios spectata virtute provincias identidem peragrare jussit, et judicium ubique vel contra praesides exercere: qui *Missi Regii* dicti sunt (10). atque hujus constitutionis ea fuerat caussa, ne Romam Municipes venire ad judicia cogerentur, si contra Municipii Duumviros aut Quatuorviros juri dicundo experiri jus suum vellent.

(1) Marm. Pisaur. n. 38.
(2) Grut. p. 391. n. 1. etc. Fabr. p. 232. n. 610. etc.
(3) *Viro Clarissimo, Consulari Campaniae.*
(4) Cassiod. l. 6. var. 20.
(5) ad Spart. Hadr. c. 22.
(6) in Aug. c. 33. n. 4.
(7) in Hadr. c. 22.
(8) in Ant. Pio c. 2.
(9) in M. Aur. c. 11.
(10) Murat. Ann. Ital. an. 808.

Consularibus nunc et Iuridicis addendi *Correctores* sunt, qui aevi olim posterioris esse putabantur. anno scilicet, quo haec scribimus, MDCCLXXVIII. XVI. cal. Apriles reperta Tiburc basis est cum inscriptione (libro hanc secundo proferam (1)), in qua *Furius Maecius Gracchus V. C. Corrector Flaminiae Et Piceni* statuam ornatui Thermarum dedicasse dicitur XI. *Kal. Mai Gallo Et Flacco Cos.* qui fuit annus Varr. DCCCCXXVII. quinquennio ante, quam M. Aurelius Aug. diem suum obiret (*a*). at ne hic quidem inter praesides ordinarios numerandus, qui tandem multis Italiae regionibus tanquam provinciis impositi sunt. Maffejus certe (2) tam *Consulares* quam *Correctores* ante Constantinum Aug. magistratus ordinarios fuisse negat; nec fere Italiam eos lustrasse putat, nisi tumultus aut discordiarum sedandarum caussa, vel ob civitatum mores corrigendos: haec nimirum esse, quae Svetonius *extraordinaria imperia* vocat (3): e quibus exempli caussa fuisse dixerim, quo duo Consulares sub Tito Aug. functi sunt, in Campaniam ab eo post Vesevi incendia missi, ut eam novis coloniis frequentarent; Τιτος, inquit Dio (4), τοις μεν Καμπανοις δυο ανδρας εκ των ὑπατευκοτων οικιστας επεμψε: sed Constantinum utique primum Italiam in partes ditionesque XVII. divisisse, et qua *Consulares*, qua *Correctores*, qua *Praesides* constituisse. ceterum et lapides et historia Augusta jam a Caracallae temporibus tot nobis Consulares et Correctores exhibent, ut post ejus Imperatoris Constitutionem, qua in orbe Romano qui erant, cives Romani effecti sunt (5), ordinariis eos magistratibus adnumeratos esse facile credam: quo nempe acquata omnium jura viderentur, cademque Italiae conditio esset, quae provinciarum erat, in quas etiamtum proconsules et legati Augustorum mittebantur. a Dione (6) certe Iuridici sub Macrino dicuntur ὑπερ τα νομισθεντα ὑπο του Μαρκου δικαζοντες.

Taedia populi, quae Anonius beneficiis sedavit, pro civilibus discordiis accipi videntur, quae taedium civibus afferebant: μετωνυμικως, uti et Plinius saepe usurpavit (7).

CX. (Fabr. p. 398. n. 287.)

FLAVIO · FVRIO · FAVSTO · V · C · TRIBVNO
AB · ORIGINE · PATRONO
OB · MERITA · LABORVM · SVORVM · VNIVERSVS · ORDO
ET · POPVLVS · SVRRENTINORVM
STATVAM · NOBILITATI · EIVS
FACIENDAM · CVRAVIMVS

Quod hic Furius appelletur Tribunus, nec tamen addatur legio, in qua tribunatum gesserit, veniebat in mentem, hunc fortasse numquam castra vidisse, et ex iis habendum esse, qui jam a Claudii aetate *Supra numerum* dicebantur. sic enim de eo imperatore Svetonius (8): *Equestres militias ita ordinavit, ut post cohortem, alam; post alam, tribunatum legionis daret: stipendiaque instituit, et imaginariae militiae genus, quod vocatur* Supra numerum, *quo absentes et titulo tenus fungerentur*. ce-

(1) Partit. 1. c. 4. §. 3.
(*a*) At Cajet. Marinius Iscriz. Alb. p. 46. putat, Furii Maecii Gracchi inscriptionem pertinere ad quartum vel quintum Chr. saeculum; dedicationem vero, quae refert consules anni V. C. Varron. DCCCCXXVII. ad aliud quodpiam monumentum spectare hoc ipso anno erectum, eamdemque a Furio Maccio Graccho, dum veterem lapidem novo monumento aptasset, minime abrasam fuisse; cujus incuriae exempla plura affert idem Marinius.
(2) Ver. Illustr. l. 7.
(3) in Oth. c. 1. n. 4.
(4) Xiphil. Epit. l. 66. p. 1097.
(5) l. 17. D. de stat. homin.
(6) l. 78. p. 1329. C. praeter statuta a Marco jus dicentes.
(7) H. N. l. 26. c. 13. n. 86. lib. 34. c. 18. n. 50. etc.
(8) in Claud. c. 25. n. 1.

terum Claudii temporibus multo recentiorem Furii aetatem fuisse, stilus inscriptionis declarat: quam ego superiori adnexui, ut ex iis etiam, quae minus antiquae sint, aliquas tamen a me non improbari constaret.

Furium Surrentini *Patronum ab Origine* vocant: quem alii dixere Originalem (1), aut *Ab avo et majoribus*, vel *Ab atavis Patronum* (2); Graeci vero Δια γενεος (3).

CXI. (Grut. p. 391. n. 1.)

TI · CLAVDIO · ESQVIL · SEVERO
DECVRIALI · LICTORI · PATRONO
CORPORIS · PISCATORVM · ET
VRINATOR · $\overline{QQ}$ · III · (4) EIVSDEM · CORPORIS
OB · MERITA · EIVS
QVOD · HIC · PRIMVS · STATVAS · DVAS · VNAM
ANTONINI · AVG · DOMINI · N · ALIAM · IVL ·
AVGVSTAE · DOMINAE · NOSTR · S · P · P · (5)
VNA · CVM · CLAVDIO · PONTIANO · FILIO
SVO · EQ · ROM · ET · HOC · AMPLIVS · EIDEM
CORPORI · DONAVERIT · HS · $\overline{X}$ · MILIA · $\overline{N}$ ·
VT · EX · VSVRIS · EORVM · QVODANNIS
NATALI · SVO · XVII · KAL · FEBR ·
SPORTVLAE · VIRITIM · DIVIDANTVR
PRAESERTIM · CVM · NAVIGATIO · SCA
PHARVM · DILIGENTIA · EIVS · ADQVISITA
ET · CONFIRMATA . SIT · EX · DECRETO
ORDINIS · CORPORIS · PISCATORVM
ET · VRINATORVM · TOTIVS · ALV · TIBER ·
QVIBVS · EX · S · C · COIRE · LICET · S · P · P · (6)

Decuriales lictores et *Decuriales scribarum Aedilium Curulium* ii esse Fabretto (7) visi sunt, qui suae quisque Decuriae praeessent: quos tamen apud eundem non *Decuriales* sed *Magistros Decurionum* appellatos invenias (8). equidem *Decuriales*, ut vox sonat ipsa, dictos puto, qui non essent supra numerum, sed locum in Decuria legitimum haberent, quemadmodum ii, quos *Collegiatos* dicebant, quia in collegium aliquod cooptati jam essent.

Enimvero quot ministrorum publicorum genera, totidem, atque etiam in unoquoque plures, erant decuriae, ut Scribarum, Viatorum, Accensorum et hujusmodi: qui plerumque e libertinis sumebantur, ut Tacitus indicavit, ubi de his (9), *Late*, inquit,

(1) Fabr. p. 398. n. 286.
(2) Vit. Ant. Ben. t. 1. p. 159. et Cl. 4. n. 20.
(3) Spanhem. diss. 8. p. 692.
(4) *Quinquennali tertium*.
(5) S. P. P. *Sua Pecunia Posuit*.
(6) S. P. P. *Statua Pub. Posita*.
(7) p. 458. n. 78. F.
(8) p. 457. n. 77.
(9) Ann. l. 13. c. 27.

fusum id corpus: hinc plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus. magistratus ipsi suos libertos in decuriam aliquam saepe legebant (1): at aliquando libertorum filii, e quibus videtur fuisse Ti. hic Claudius in tribu urbana census, Decuriam emebant, atque ubi in eam descripti essent, ex primo jam ordine explosorum in secundum ordinem civitatis, ut ait Tullius (2), se venisse dicebant.

Sed tamen mirabitur aliquis, Ti. hunc Claudium, quum lictor dicatur, Patronum item fuisse corporis Piscatorum et Vrinatorum, ejusdemque Corporis quinquennalem, ac statua donatum; deinde filium ejus Equitem Romanum appellari. hic vero animadvertat, velim, lictores ab ipso rerum Romanarum exordio, quum vel ex ingenuis vel certe ex libertinis legerentur, et publicam quodammodo personam gererent, minime contemptui fuisse: eosdemque in urbe togatos (3) magistratibus apparere solitos, ac in triumphis processisse, ut est apud Appianum (4), φοινικους χιτωνας ενδεδυκοτας: sub Augustis vero aliquid dignitate crevisse, quod iidem in consulatu maxime Imperatori apparebant: e quibus antiquae inscriptiones eum celebrant, qui *Lictor Proximus* dicebatur (5): itaque senatui olim minime indecorum visum esse, si *inter lictores apparitoresque* equites Romani trabeati et cum hastis militaribus praecederent Imperatorem: quod sane in honorem Domitiani decrevit (6). in horum igitur decuria Claudius quum esset, idemque bene nummatus; Piscatores illi et Vrinatores patronum sibi libentissime adoptaverunt, et Quinquennalem ter crearunt, et statua donavernnt. filio autem, quum ingenuus esset, si censum equestrem habebat, nihil deerat, quominus in equitum numero censeretur.

Vrinatores appellati, qui se in aqua mergerent, sub eaque natarent: quorum magnus erat usus ad merces extrahendas, quae aut navigii gratia jactatae essent, aut ob naufragium amissae (7). nomen in lapidibus non raro invenies (8).

Statuas Antonini Caracallae et Iuliae Piae matris a Ti. Claudio positas puto in Schola Corporis Piscatorum et Vrinatorum, in qua hoc quoque monumentum statutum fuisse arbitror. *Scholam* scilicet appellabant ipsam Collegiorum sive Corporum Curiam (9). porro alios etiam leges aut pecuniam ad Scholam exornandam dedisse (10), aut Scholam cum statuis et imaginibus ornamentisque omnibus sua impensa fecisse (11).

Ex dono autem nummorum HS. ad x milia, qui faciunt scutatos nummos ducentos quinquaginta, ut ex eorum usuris sportulae quotannis dividerentur, manifestum est, Corporatos non multos fuisse: quippe, si eam pecuniam sub usuris centesimis locassent, quae omnium maximae et sanguinolentae dicebantur (12); non plus tamen, quam scutati nummi triginta distribui quotannis poterant; ut, si Corporati centum fuissent, sportulam denariorum trium singuli auferrent.

Corporum sive Collegiorum ingens in urbe numerus fuit, qui etiam sub Severo Alexandro crevit: is enim, ait Lampridius (13), *Corpora omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, et omnino omnium artium*. de hoc vero mentio fit in Codice Theodosiano (14). Corpora hujusmodi saepe patronis statuas, republica etiam incolumi, dedicasse, a Tullio accepimus (15). non modo autem decreta honoris caussa facere poterant, sed etiam juris condendi sibi facultatem habebant, dum ne publicis le-

(1) Liv. lib. 40. c. 12. n. 29. Plutarch. in Vit. Gracch.
(2) in Verr. Act. 2. l. 3. c. 79. n. 184.
(3) Cic. in Pis. c. 23. n. 55.
(4) in Punic. sub fin.
(5) Fabr. de Col. Traj. p. 185. Grut. p. 578. n. 1.
(6) Svet. in Dom. c. 14. n. 6.
(7) Liv. l. 44. c. 8. n. 10.
(8) Gud. p. 204. n. 1. etc.
(9) Murat. p. 565. et Reines. ad Inscr. 273. Cl. 1.
(10) Don. Cl. 2. n. 71.
(11) Grut. p. 169. n. 5.
(12) Senec. de Benef. l. 7. c. 10.
(13) in Alex. c. 33.
(14) lib. 14. tit. 2.
(15) Act. 2. in Verr. l. 2. c. 55. n. 137.

gibus adversarentur: quod lege XII. Tabularum cautum erat: *Sodales legem, quam volent, dum ne quid ex publica lege corrumpant, sibi ferunto* (1).

Additum est in inscriptione, illis ex senatus consulto *coire licere*, ut appareret, Corpus optimo jure esse constitutum. nam qui publica auctoritate in unum locum convenire non poterant, ii pro collegio non habebantur. itaque Paullus jurisconsultus (2) *nulla*, inquit, *dubitatio est, quod si Corpori, cui licet coire, legatum sit, debeatur: cui autem non licet, si legetur; non valebit, nisi singulis legetur; hi enim non quasi collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum.*

Statua autem *Publice* posita, id est ex pecunia Corporis Piscatorum et Vrinatorum. nam quum hi ex S. C coire possent, et quae agerent, publica quodammodo auctoritate fierent; etiam pecunia eorum *publica* dici potuit. servi certe Collegiorum *Publici* appellabantur, ut *Publicus Pontificum* (3), *Publicus Augurum* (4). et apud Muratorium leges (5), *Ex Consensu Decuriae Vniversae Honoris Caussa Zothecam Publice Dederunt*. de ipso adverbio dicam ad inser. sequent.

PARS II.

INSCRIPTIONES HONORARIAE PRIMARIIS FEMINIS POSITAE

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CXII. (Murat. p. 1083. n. 5.)

LIVIAE · DRVSI · F ·
AVGVSTAE
MATRI · TI · CAESARIS · ET
DRVSI · GERMANICI
SVPEREQVANI · PVBLICE

Livia *in familiam Iuliam*, inquit Tacitus, *nomenque Augustae assumpta est* (6). sed *Iulia* post Augusti mortem, *Augusta* statim a nuptiis est dicta, atque, ut Plinius loquitur, *matrimonii nomen accepit* (7). Tiberio Neroni, cui nupta erat, antequam eam Augustus abduceret, genuit Ti. Caesarem, et Drusum, qui apud Augustum intra mensem nuptiarum tertium natus est (8). Tiberium autem adoptavit Augustus, amissis Cajo et Lucio, quos Iulia filia enixa erat M. Agrippae. Drusus a rebus in Germania gestis Germanicus appellatus, inito consulatu, atque expeditione repetita, supremum diem ante obiit, quam frater ejus Augusto succederet (9).

(1) Grav. de jur. nat. gent. c. 45.
(2) L. 20. D. de reb. dub.
(3) Don. Cl. 4. n. 48.
(4) Grut. p. 1087. n. 7.
(5) p. 690. n. 2.
(6) Ann. l. 1. c. 8.
(7) H. N. l. 15. c. 30. n. 40. at V. Hard. Hist. Aug. in oper. sel. p. 704.
(8) Svet. in Claud. c. 1. n. 1.
(9) id. ib. n. 5.

De Superequanis Plinius (1): *Pelignorum Corfiuienses, Superequani, Sulmonenses:* oppidum dixere *Superequum*, quod Frontinus Coloniam nominat (2).

Publice fieri id primo dicitur, quod publico nomine ac publica auctoritate fit: ut quum ait Tullius (3): *Neque illam statuam esse ex pecunia publica, neque* publice *datam: sed eos, qui haereditatis diripiendae participes fuissent, faciendam statuendamque curasse*. deinde quum aliquid fit sumptu publico, uti apud Cornelium Nepotem (4): *Vt filiae ejus* publice *alerentur:* et apud Livium (5): *Tegula* publice *praebita est*. hoc maxime est, quod Superequani significare voluerunt, statuam nempe Liviae Aug. pecunia publica statutam esse.

CXIII. (Maff. M. V. p. 35c. n. 6.)

ANTONIAE · AVGVSTAE · MATRI · TI · CLAVDI
CAESARIS · AVGVSTI · GERMANICI · PONTIF · MAX ·
L · MAMMIVS · MAXIMVS · P · S · (6)

Antonia haec est, quae *Minor* appellata, M. Antonii Triumviri et Octaviae sororis Augusti filia, Drusi majoris uxor: quam Plutarchus fuisse dicit σωφροσυνη και καλλει περιβοητον (7). huic filius Claudius, quem ipsa Imperatorem non vidit, carpentum, quo effigies ejus per Circum ducceretur, et cognomen Augustae a senatu decernendum curavit (8): item ipsi et Druso patri inferias publicas. quare Claudii pietati obsequentes Romani Antoniam parentem ejus monumentis coluerunt, in his L. Mammius, qui se statuam posuisse testatur, ut ego quidem legendum puto, *Permissu Senatus:* nam duae illae litterae quum significant *Pecunia Sua*, solitariae esse non solent, sed fere adscriptum est *Fecit* aut *Posuit:* eaque epitaphii potius formula est, quam inscriptionis honorariae.

Id vero cur adjectum putemus? nam statuas feminis ponere novum in urbe non erat: quippe sub primis consulibus statua equestri Claelia donata fuerat, atque in summa sacra via, ut Livius loquitur (9), posita virgo insidens equo: item Cornelia Gracchorum mater, quae fuit Africani prioris filia, in Metelli publica porticu (10). ita sane: verum nec feminis nec viris statuam privati statuere poterant, nisi auctore senatu: itaque, incolumi etiamtum republica, quae circa forum erant statuae, a censoribus sublatae fuerant omnes, praeter eas, quae populi aut senatus sententia statutae essent (11). quum tamen urbs iterum statuis repleta esset, novaeque in dies statuerentur, primus modum aliquem nimiae adsentationi Tiberius posuerat, statuas ipse sibi haud passus, nisi permittente se, poni (12): post hunc Cajus, qui subversis illustrium virorum statuis, *vetuit posthac viventium cuiquam usquam statuam aut imaginem, nisi consulto se et auctore poni* (13). sed Claudius demum, quo plures in annos impudentiae hominum prospiceret, id juris penes senatum esse voluit, edictoque ες το επειτα απηγορευσε, inquit Dio (14), μηδενι ιδιωτη, ᾧ αν μη η βουλη επιτρεψη, τουτο ποιειν εξειναι itaque Nero ipse, ut aliquando non vi, sed jure ageret, effigiem Cn. Domitio patri a senatu petiit (15).

(1) H. N. l. 3. c. 12. n. 17.
(2) p. 145. ed. Goës.
(3) Act. 2. in Verr. l. 4. c. 62. n. 139.
(4) in Aristid. in fin.
(5) lib. 5. c. 30. n. 55.
(6) *Permissu Senatus*.
(7) in Anton. p. 955. E.
(8) Svet. in Claud. c. 11. n. 6.
(9) lib. 2. c. 8. n. 13.
(10) Plin. H. N. l. 34. c. 6. n. 14.
(11) idem ibid.
(12) Svet. in Tib. c. 26. n. 4.
(13) idem in Cajo c. 34. n. 3.
(14) lib. 60. p. 962. E. *in posterum vetuit, ne cui privato, sine consensu senatus, id facere liceret.*
(15) Tac. Ann. l. 13. c. 10.

in titulis autem monumentorum, quae deinde privati posuere, adscribi coeptum *Permissu Senatus:* quod postea municipiis etiam placuit, eodemque modo adscribi voluerunt *Permissu Decurionum*, ut in inscriptione LXXXII vel *Locus Datus Decreto Decurionum*, ut fere legimus in municipiorum titulis honorariis.

Romae autem locus statuis ponendis a senatu dari solitus in Capitolio, in templis, in curia, in Rostris, in quolibet foro, in Comitio, in Circo, in porticibus, in thermis, in Campo, in Palatio (1): aliquando etiam ubi is vellet, cui statua ponebatur, ut Taraciae Cajae sive Suffetiae virgini Vestali, *quod campum Tiberinum*, ut annalium verbis refert Plinius (2), *gratificata esset ea populo*.

Ceterum jus illud concedendi statuae locum ita ad senatum post Claudium pertinuisse arbitror, ut Imperatores tamen, qui legibus soluti (3) erant, idem sibi aliquando adtribuerent, aut a senatu communicatum usurparent. leges enim de Trajano apud Plinium (4): *Titinius Capito ab Imperatore nostro impetravit, ut sibi liceret statuam L. Silani in foro ponere*. de M. autem Aurelio Capitolinus quum scripsisset, Innio Rustico post obitum a senatu statuas postulasse (5): de eodem tradidit, quum pestilentiae vis multos ex proceribus absumpsisset, horum amplissimis statuas collocasse (6): item quum viri nobiles multi bello Germanico interiissent, his omnibus in foro Vlpio statuas ab eodem esse positas (7). denique de Severo Spartianus (8): *Rumore deinde belli Parthici extincto, patri, matri, avo et uxori priori per se statuas collocavit.*

CXIIII. (Grut. p. 252. n. 6. Vit. Ant. Benev. t. 1. p. 162.)

SABINAE
AVGVST ·
MAGISTRI · QVINQVENNALES
COLLEGI · FABRVM · TIGNAR · LVST · XXIII ·
Q · NVMITIVS · MARITIMVS
Q · VALERIVS · FELIX
A · LARCIVS · CARVS
T · FLAVIVS · ONESIMVS
L · NAEVIVS · L · F · PAL · PHILIPPVS
Q · HORTENSIVS · TYRANNVS
Q · LOLLIVS · HERMA
IN · MAGISTERIO · DEFVNCTVS

Diximus jam (9), collegia quoque Quinquennales suos habuisse. hi, ut vides, Magistri appellati sunt, quo nomine Romae etiam qui collegiis praecrant, appellabantur. *Fabros Tignarios*, inquit Cajus Iurisconsultus (10), *dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes, qui aedificant*. solebant autem collegia annos suos sive lustra ab institutione numerare (11). et quia Quinquennales alii aliis lustris creabantur,

(1) Svet. in Cajo c. 34. n. 2. Plin. H. N. l. 34. c. 6. n. 14. Plin. l. 1. epist. 17. Val. Max. l. 4. c. 1. 6. etc. Svet. in Oth. c. 1. n. 7.
(2) H. N. l. 34. c. 6. n. 11.
(3) L. 31. D. de leg. et S. C.
(4) lib. 1. epist. 17.
(5) in M. Aur. c. 3.
(6) ibid. c. 13.
(7) ibid. c. 22.
(8) in Sev. c. 14.
(9) ad inscr. 44.
(10) L. 235. D. de verb. sign.
(11) Fabr. p. 103. D. Vit. Ant. Benev. l. c.

ob eam rem lustra aliquando horum potius nominibus, quam numero designata sunt: itaque apud Gruterum legimus (1), *Signum et Basim Voto Suscepto De Suo Posuit Lustro Ejusdem Damarionis*, item hoc modo (2), *Quinquennalibus C. Praecilio Sereno II. Ti. Claudio Titiano*, id est intra quadriennium, quo hi Magisterio functi sunt: nam haec quoque lustra, Capitolinis similia, annorum quatuor fuere (3), ut Graecorum Olympiades; de quibus tamen Ovidius dixit (4), licentia quadam poëtica,

In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est:

quam subinde Olympiadem lustro comparare videtur: addit enim,

Iam tempus lustri transit in alterius.

aliter idem de aliis lustris (5),

Est pia Penelope, lustris errante duobus,
Et totidem lustris bella gerente viro:

nam quis ignorat, Vlyssem annos viginti Ithaca abfuisse? Plinius (6) quoque, *Colligimus*, inquit, *etiam privatas locationes in singula lustra seu quinquennia fieri consuevisse* (*a*).

Quod e septem magistris unus L. Naevius tribum ciet, ideo factum putato, vel quod ceteri omnes una e tribu essent, vel quod in alia tribu alter L. Naevius L. F. Philippus inveniretur. animadvertas etiam, Q. Lollio in magisterio defuncto neminem suffectum dici: ideo fortasse, quod ne Romae quidem censorum alteri mortuo quisquam sufficiebatur (7). de Sabina Augusta in sequenti inscriptione.

CXV. (Grut. p. 252. n. 9.)

MATIDIAE
AVG · FIL · (8) DIVAE
MARCIANAE · AVG ·
NEPTI · DIVAE · SABINAE
AVG · SORORI
IMP · ANTONINI
AVG · PII · P · P · MATERTERAE
MINTVRNENSES
D · D ·

Matidia, ad quam haec inscriptio spectat, Matidiae Augustae filia fuit, et aviam habuit Marcianam Trajani sororem, de qua diximus ad inscriptionem Arcus Aneonitani. quia vero soror ejus Sabina Augusta uxor fuit Hadriani Imp. qui Antoninum adoptavit; idcirco Antonini Pii matertera appellatur (9): quo Imperatore superstes adhuc fuisse videtur, quum Sabina jamdiu, non sine fabula, ut ait Spartianus, veneni dati ab Hadriano, defuncta esset (10).

(1) p. 9. n. 5.
(2) p. 269. n. 2.
(3) V. not. ad inscr. 105.
(4) l. 4. ex Pont. ep. 6. v. 5.
(5) l. 3. de A. A. v. 15.
(6) lib. 9. epist. 37.
(*a*) Haec non Plinii sed sunt verba Forcellini in Lex. Latinit. ad V. *Lustrum*.
(7) Liv. l. 5. c. 1. n. 1. c. 8. n. 31. et l. 9. c. 24. n. 34.
(8) *Augustae Filiae*.
(9) Reines. Cl. 3. n. 20. nihil extricat.
(10) in Hadr. c. 23.

Minturnae Plinio (1) *colonia* in adjecto Latio, Liri amne divisa: item Tullio (2) *Minturnenses coloni*, quos aeterna in laude versari dicit, quod C. Marium ex civili cruore atque ex impiis manibus eripuerunt.

CXVI. (Fabr. p. 57. n. 323.)

CLODIAE · L · F ·

AVIENI

MATRONAE · MVNICIPES

Ameriae lapis inventus. itaque verisimile est, a matronis municipii Amerini honorarium monumentum positum Clodiae Avieni uxori; Avienum vel duumvirum vel patronum municipii fuisse.

Sed novum, inquies, atque inauditum est, matronas prope decurionum more statuam decernere. ita quidem mihi etiam videbatur: quum subiit, Romae sub Antonino Helagabalo senaculum mulierum fuisse: itaque et antiquius alterum Ameriae esse potuisse. juvat autem adscribere Lampridii verba. *Fecit* (Antoninus) *et in colle Quirinali senaculum, id est mulierum senatum, in quo ante fuerat conventus matronalis, sollemnibus dumtaxat diebus, et si unquam aliqua matrona consularis, conjugii ornamentis esset donata: quod veteres Imperatores affinibus detulerunt, et his maxime, quae nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitatae remanerent. sed Semiramica facta sunt senatus consulta ridicula de legibus matronalibus: quae quo vestitu incederent, quae cui cederet, quae ad cujus osculum veniret; quae pilento, quae equo sagmario, quae asino veheretur, quae carpento mulari, quae boum, quae sella veheretur; et utrum pellicea, an ossea, an eborata, an argentea: et quae aurum vel gemmas in calciamentis haberent* (3). quid ad haec Cato ille major dixisset, cujus in censura vociferationes memorat Plinius (4), vel quod in provinciis statuae mulieribus Romanis ponerentur? at Aurelianus tamen, qui legum optimarum auctor fuit, senaculum matronis reddere non dubitavit, *ita ut primae illic* essent, inquit Vopiscus (5), *quae sacerdotia senatu auctore meruissent*.

Verum quaccumque fuerit Ameriae matronarum auctoritas, exemplo item esse illis poterat, quod Romae legebatur: nam multo ante, quam Romae senaculum illud existeret, templum ibi, matronarum nomine, Poppaeae Sabinae uxori demortuae dicaverat Nero, επιγραψας αυτω, inquit Dio (6), ὁτι Σαβινᾳ αυτο θεᾳ Αφροδιτῃ αἱ γυναικες επεισαν.

(1) H. N. l. 3. c. 5. n. 9.
(2) pro Planc. c. 10. n. 26.
(3) Lampr. in Helag. c. 4.
(4) H. N. l. 34. c. 6. n. 14.
(5) in Aurel. c. 49.
(6) Xiphil. l. 63. p. 1045. B. *qui inscripserat*, Sabinae Deae Veneri Matronas fecisse.

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CXVII. (Fabr. p. 105. n. 248. Vit. Ant. Ben. t. 1. p. 13.)

IVLIAE · AVG · IMP · CAESARIS
SEPTIMII · SEVERI · PII · PERTINACIS
AVG · ARAB · ADIAB · PART · MAX ·
MATRI · AVGVSTI
ET · CASTRORVM · COLONIA · IVLIA
CONCORDIA · AVG · FELIX · BENE
VENTVM · DEVOTA · MAIESTATI
AVGG · IN · TERRITORIO · SVO · QVOD
CINGIT · ETIAM · CAVDINORVM
CIVITATEM · MVROTENVS

Multa et praeclara in Antiquitatibus Beneventanis inscriptioni huic subjecta reperies: hic paucis et mediocribus contentus esto. hoc ego monumentum Iuliae positum arbitror vivo etiamtum Severo: neque enim Divus appellatur: atque post bellum Parthicum, quum jam Antoninum milites participem imperii dixissent (1); appellatur enim Iulia *Mater Augusti*. hanc porro novercam, uti et Spartianus vocat (2), non parentem Antonini fuisse, ostendit Vita, et tantam illam incestarum nuptiarum infamiam ex parte minuit.

Mater Castrorum ante Iuliam Faustina M. Aurelii uxor dicta fuerat, postquam ille apud se, tituli ejus promerendi caussa, in castris habuisset (3): imo prior fortasse Agrippina Germanici, femina ingens animi, quae omnes et Faustinas et Iulias militari laude praecesserat (4): ut dicemus ad inscr. CCCLXXXXV.

Colonia Beneventum, quae non modo *Iulia Felix*, ut diximus ad inscriptionem CVIII. sed etiam *Concordia Aug.* nuncupatur, deducta primum est, P. Sempronio, Appio Claudio Cos. anno Varr. CCCCLXXXVI. novis subinde colonis saepius aucta, maxime a Triumviris Reipublicae Constituendae. tum vero clariss. Pontifex factum putat, ut *Concordia* diceretur: nempe ad foedus illud significandum, per quod, triumviratu constituto, pax reipublicae reddita videbatur: cui opinioni favet inscriptio nostra tricesima octava. quare *Augustam* tandem appellatam dicemus, quum Octavianus dici coepit Augustus. ceterum haud contemnendum est, quod de temporibus suis scripsit Dio (5), quae olim cognomina senatus urbibus honoris caussa imponebat, ea tum ab urbibus ad libidinem sumi coepta.

De Caudio in territorio Beneventi sito haec Frontinus (6): *Caudium muro ductum. iter populo debetur ped.* L. *a Caesare Augusto Coloniae Beneventanae cum territorio suo est adjudicata.*

(1) Spart. in Sev. c. 16.
(2) in Carac. c. 10.
(3) Capitol. in M. Aur. c. 26.
(4) Tacit. Ann. l. 1. c. 69.
(5) lib. 54. p. 733. E.
(6) de Colon. p. 104. ed. Goës.

CXVIII. (Fontanin. Ant. Hort. suppl. lib. 1. c. 3. p. 51.)

FVLVIAE · PLAVTILLAE · AVG ·
VXORI
IMP · M · AVRELI · ANTONINI · AVG ·
PII · FELICIS · PONTIFICIS · COS ·
IMP · L · SEPTIMI · SEVERI · AVG · PII · FELICIS
PONTIFICIS · ET · PARTHICI · MAXIMI · COS · III · NVRVI
FILIAE
L · FVLVII · PLAVTIANI · V · C ·
PONTIFICIS · NOBILISSIMI · PR · PR · NECESSARII
AVGG · ET · COMITIS · PER · OMNES · EXPEDITIONES · EORVM
T · STATILIVS · CALOCAERVS · NOMENCL ·
CVM · STATILIO · DIONYSIO · TRIB · LEG · XVI · FLAVIAE
ET · STATILIO · MYRONE · DISSIGNATORE · SCAENAR ·
FILIIS · ET · STATILIO · DIONYSIO · DISCIPVLO · FICTORVM
PONTIFICVM · C · C · V · V · NEPOTE · SVO
AMPLA · BENEFICIA · DE · INDVLGENTIA
AVGVSTORVM · SVFFRAGIO · PATRIS · EIVS
CONSECVTVS

Plautilla patre infelici filia infelicior: quae parentis sui caedem vidit (1); atque a Severo socero relegata cum fratre in Siciliam, ibi denique viri jussu ipsa quoque interfecta est (2). quod autem Getae Antonini fratri contigisse diximus, ut nomen ejus e monumentis eraderetur, id ipsum et Plautiano et filiae accidit.

Porro, dum fortuna fuit, multos jam honores adeptus Plautianus, quum esset Severi municeps, atque, ut quidam putabant (3), consanguinitate propinquus, ob Plautillae nuptias nova necessitudine domui Augustae adjunctus est. sed Antoninus et in ipsum et in filiam infenso semper atque inimico animo fuit: ut etiam conjurationis crimen, quo periit, generi scelere in eum confictum esse putetur (4).

Pontificum, quod sciam, primus Plautianus appellatus est *Nobilissimus*, nempe ob Augustorum necessitudinem: eo enim apposito Imperatorum quoque filii ornari solebant (5). idem praetorii praefecturam accepit, gessitque, ut videtur, cum Flavio Iuvenali (6). bini certe ab exordio fuere, quos Augustus ex Maecenatis consilio constituit, ut praetorianis militibus praeessent (7). eorum non magna initio auctoritas, quae paullatim maxima facta est: quare olim Macrinus Imp. qui praefectus praetorio fuerat, non multum sibi esse gloriandum ajebat (8), quod ad imperium pervenisset, *qui esset secundus imperii*. eo tamen munere usque ad Severum Alexandrum non alii, quam equites Romani functi esse dicuntur: quippe is primus, ut a Lampridio accepimus (9),

(1) Herodian. l. 3. c. 12.
(2) idem l. 4. c. 6.
(3) idem l. 3. c. 10.
(4) Casaub. ad Spart. Sev. c. 14.
(5) Brisson. de verb. jur. sign.
(6) Spart. in Geta c. 4.
(7) Dio l. 52. p. 678. B.
(8) Lamprid. in Diadum. c. 7.
(9) in Sev. Alex. c. 21.

praefectis praetorio suis senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi et essent et dicerentur: quod antea vel raro fuerat, vel omnino non fuerat: eo usque, ut si quis Imperatorum successorem praefecto praetorii dare vellet, laticlaviam eidem per libertum submitteret. enimvero quod raro fuisse, aut omnino non fuisse, dixit Lampridius, reapse sub Severo fuit: nam de Plautiano Herodianus diserte scripsit, eum et latum clavum habuisse et in secundis consularibus numeratum esse (1).

De Comitibus Augustorum multa protulit Salmasius (2), qui eo nomine appellatos censet, quod Augustos in omnibus processibus, ut vocabant, et expeditionibus bellicis comitarentur: eosque Augustorum contubernales et convivas fuisse statuit, ac pedaturam in castris accepisse juxta praetorium: horum autem crevisse numerum, et plures in classes distributos esse Constantini Imp. aetate, quum etiam honorarii Comitum tituli inventi sunt. dandum est tamen aliquid Martorellio (3) acrius contendenti, *Comites* Hadriani temporibus eos appellatos, qui adolescentibus custodes ad eorum mores regendos apponebantur: quod ita verum censeo, ut non ii soli, sed etiam quos Salmasius describit, eodem nomine designarentur. de illis autem alio loco dicendum erit (4).

De expeditionibus Imp. Severi, quicum Antoninum fere atque Getam filios profectos legimus, monumenta supersunt adhuc in Herodiani, Spartiani, Xiphilini libris non pauca. sed eas res, quae multae magnaeque fuerunt, alii praeterea et historici et poetae exsequuti erant, quorum scripta Herodiani aetate celebrabantur (5), his vero temporibus ignota sunt.

Nomenclatores sub Augustis non tam extra domum Candidatis, quam domi et Principi et senatoribus praesto aderant, ut nomina suggererent eorum (6), qui mane salutatum advenirent, item ut servorum; qui enim dominus nomina omnium scire poterat, ubi, ut ait Plinius (7), mancipiorum erant legiones; *et servorum quoque caussa nomenclator adhibendus.* quod autem dixi ad inscriptionem CXI. lictores non ultimos hominum in republica habitos esse, idem de nomenclatoribus jure senseris; quum hic filium nomenclatoris ad tribunatum legionis pervenisse videamus: eademque de caussa nec Designatorem scenarum nec discipulum Fictorum Pontificum contemnemus. erat autem *Designator* sive *Dissignator scenarum* aut *scaenarum* (utraque enim scriptura fautores habet suos), erat, inquam, theatri architectus, ut *Designator Caesaris Augusti* (8), et *Designator Operum Publicorum* (9) is dictus, quo Princeps aut senatus architecto utebatur.

Designatoribus scenarum haec olim Vitruvius praecepta dabat (10): *Ipsae scenae suas habeant rationes explicatas, ita uti mediae valvae ornatus habeant aulae regiae, dextra ac sinistra hospitalia. secundum ea spatia tres sint species ornationis, quae, quum aut fabularum mutationes sunt futurae, seu Deorum adventus cum tonitribus repentinis, versentur, mutentque speciem ornationis in fronte.* vide, si vacat, reliqua (11).

De *Fictoribus Pontificum* minus certa traduntur. sed Varro (12) *Fictores* dictos ait, qui liba in sacris faciebant: et Servius docuit, in sacris, quum de animalibus, quae difficile inveniuntur, sacrificandum esset, de pane vel cera facta esse, et pro veris accepta (13). itaque qui haec Pontificibus fingerent pararentque, *Fictores Pontificum* appellatos esse, credibile est. in horum igitur officina Dionysius Calocaeri nepos

(1) lib. 3. c. 11.
(2) ad Spart. Hadr. c. 18.
(3) Th. Cal. l. 1. c. 7. p. 170.
(4) ad inscr. 146.
(5) Herodian. l. 2. c. 15.
(6) Senec. epist. 19. ad fin.
(7) H. N. l. 33. c. 1. n. 6.
(8) Grut. p. 601. n. 1.
(9) Fabr. p. 302. n. 284.
(10) l. 5. c. 7. ad fin.
(11) ibid. cap. 8.
(12) de L. L. l. 6. c. 3.
(13) ad Aeneid. l. 2. v. 116.

curriculum honorum suorum auspicatus esse videtur: qui forsitan Pontificum, qui omnes senatores erant, gratia fretus, atque patris exemplo majora animo praesumens, dibaphum jam tum cogitabat.

Quum de senatus permissu nihil habeat inscriptio, monumentum Calocaerus et filii posuisse videntur aut in aedibus suis, aut in ipso Palatio ex consensu Augustorum.

CXVIIII. (Fabr. p. 748. n. 554. Don. Cl. 5. n. 42.)

VARIAE · L · F · GESTIANAE
VXORI
L · CALIDI · L · F · STEL · (1) NIGRINI · IIII · VIR ·
IVR · DIC · IIII · VIR · QVINQ · II · AVGVR · FLAMI
NIS · AVG · (2) PARENTIS · ET · PATRONI · MVNICIPI
FILIAE
L · VARI · L · F · QVINTIANI · TRIBVNI · MILITVM
LEG · II · ADIVTRIC · TRIBVNI · MILITVM
LEG · X · GEMINAE · IIII · VIR · QVINQ · PATRO
NI · MVNICIPI
MVNICIPES · ET · INCOLAE
D · D ·

Quum tribum L. Calidio adscriptam legas, ne putes ad Variae nomen omissam, quod ex eadem tribu esset. inscriptiones, quae legitimae sint, nullae feminarum tribum exhibent (3). nec erat caussa, cur veteres tribum feminis adscriberent, quum ea ad jus suffragii indicandum adjiceretur. nam viri quidem omnibus comitiis in sua quisque tribu (4) suffragium ferre poterant: at nulli feminarum fas erat comitiis interesse: quamquam id quoque illae ausae aliquando; quum scilicet de lege Oppia abroganda ageretur, et pristinum ornatum sibi reddi postularent: quo tempore, inquit Livius (5), *nulla nec auctoritate nec verecundia nec imperio virorum contineri limine poterant*.

Dicitur autem Calidius non modo Patronus, sed etiam Parens Municipii, eo scilicet more, quo Imperatorem *Patrem Patriae* dicebant. quin etiam apud Gruterum (6) invenies, ipsum Augustum aliquando appellatum *Patrem Patriae et Municipii*. at quo ex municipio Calidius esset, et ubinam inscriptio exstaret, diu ignoratum est. Gorius demum Interamnae esse nos docuit (7). Fabrettus hoc solum, opinor, testari potuerat, e schedis Barberinianis descriptam esse, quod in his loci notatio omissa esset. id vero a multis saepe olim peccatum, pessimo publico, et peccatur hodie quoque, veterum monumentis clandestino divenditis, et unius etiam argumenti partibus male distractis.

(1) *Stellatina tribu*.
(2) *Flaminis Augustalis*.
(3) Maff. Art. Cr. Lap. lib. 3. cap. 4. p. 361.
(4) Ferrat. lib. 3. epist. 5.
(5) l. 34. c. 1. n. 1.
(6) p. 149. n. 5.
(7) in adnot. ad Doni Inscr. l. c.

§ III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CXX. (Giorn. Pis. t. 6. p. 257. Marin. Iscriz. Alb. p. 60.)

CAESIAE · SABINAE
CN · CAESI · ATHICTI
HAEC · SOLA · OMNIVM
FEMINARVM
MATRIBVS · C̄ · VIR · ET
SORORIBVS · ET · FILIAB ·
ET · OMNIS · ORDINIS
MVLIERIBVS · MVNICIPIB ·
EPVLVM·DEDIT·DIEBVS·Q·
LVDORVM · ET · EPVLI
VIRI · SVI · BALNEVM
CVM · OLEO · GRATVITO
DEDIT
SORORES · PIISSIMAE

Caesiae Sabinae Cn. Caesii Athicti uxori *Sorores* ob munificentiam ejus statuam ponendam curaverunt, Piissimamque appellarunt: at quaenam *Sorores?* eae ne, quae iisdem parentibus natae, an quae ex eodem collegio aut sodalitate aliqua matronarum essent, quas illa nempe largitionibus demeruerat? equidem feminarum quoque collegia quaedam fuisse religiosa, facile crediderim, nec Romae solum, sed etiam in municipiis. mitto Virgines Vestales, quae extra urbem etiam fuere (1), tum feminas quasdam, quas inter Augustales cooptatas esse constat (2): quum fanorum antistitae et sacerdotes multis locis essent complures, earum quoque collegia esse debuerunt. eas autem *Sorores* appellatas quis miretur, quum et Nymphas Virgilius, quamquam aliis alias parentibus procreatas, ob voluntariam inter ipsas societatem *Sorores* nominarit (3).

Inscriptionem hanc libentissime amplexus esset Fabrettus, ubi de decreto Vejentium scripsit, se in nulla alia inscriptione Centumvirorum reperisse nomen (4): novo enim exemplo sententia ejus confirmatur existimantis, non alios esse municipiorum et coloniarum centumviros, quam ipsos decuriones: quales commemorat Tullius (5) de colonis agens, quos Capuam Decemviri Agrarii deducturi erant. *Huc*, inquit, *isti decemviri, quum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerint*, centum decuriones, *decem augures, sex pontifices constituerint: etc.* de cujus autem municipii centumviris hic sermo sit, omnino ignotum.

(1) Grut. p. 315. n. 5. p. 1088. n. 3. etc.
(2) id. p. 1088. n. 1. et 12. etc.
(3) Georg. l. 2. v. 494.
(4) p. 406. n. 316.
(5) Or. 2. de L. Agr. c. 35. n. 96.

Praeter epulum Sabina balneum dedit cum oleo gratuito. id vero fecisse dicitur, non quo ipsa tempore epulum dedit, sed diebus ludorum et epuli viri sui: quare omnibus sive viris sive mulieribus balneum dedisse videtur. dedit autem pecunia sua vel in balneis municipii, vel domi: nam ea de caussa balneas exstruxisse, ut olim Alexandrini fecerant (1) in adventum Neronis, minus verisimile est. duobus constare aedificiis balneae debebant, ut in altero viri, in altero mulieres lavarent (2), quemadmodum Varronis aetate fiebat; iterumque ut fieret, edicto cavit Hadrianus, ac post eum M. Aurelius et Severus Alexander: qua de re uberius a Casaubono actum est (3).

Post lotionem in balneis unctio fere sequebatur: hinc illa apud Tullium (4): *Post horam octavam in balneum: . . . . . unctus est, accubuit:* et in epistola Augusti apud Svetonium (5): *In balneo demum post horam primam noctis duas bucceas manducavi, prinsquam ungi inciperem.* ninirum corpori salubre oleum habebatur, de quo Plinius (6): *Oleo natura tepefacere corpus, et contra algores munire: eidemque fervores capitis refrigerare.* sed usum ejus ubi ad luxuriam vertere, odores additi, unguentoque aliquando, quod *Oleum Balsamum* appellat Apulejus (7), sparsi parietes balinearum, et solia temperata (8). oleum autem gratuitum ab aliis quoque datum saepe leges in veterum monumentis (9).

Ceterum in balneis oleo opus erat etiam ad lucernas accendendas: sic enim de Severo Alexandro Lampridius (10): *Addidit et oleum luminibus thermarum, quum antea non ante nonam paterent, et ante solis occasum clauderentur:* et de Tacito Vopiscus (11): *Thermas omnes ante lucernam claudi jussit, ne quid per noctem seditionis oriretur.* neque tamen, quum oleum Sabina, non unguentum dedisse dicatur, oleum potius ad lucernas datum putes; quippe additur *Gratuitum* fuisse, quod unguento convenit magis: praesertim quia parvi pretii res ac ne commemoranda quidem fuisset, oleum semel ad balnearum lucernas dedisse.

CXXI. (Vit. Inscr. Ben. p. 24. n. 30.)

PVBLICIAE · M · F ·
FIRMILLAE
LOCO · DAT · D · D ·
M · PVBLICIVS · QVARINIVS
CVIVS · DEDICATIONE · DATI · SVNT
AB · EA · DECVRIONIBVS · SING ·
HS · $\overline{VIII}$ · N · MVNICIPIBVS · ET
INCOLIS · SVIS · HS · $\overline{IIII}$ · N ·

Quarinius permissu Ordinis Beneventani statuam Publiciae posuit: ea vero in illius dedicatione sportulam decurionibus et municipibus et incolis, more majorum, dedit. at miror, a doctissimo Vita, interpretandi caussa, haec esse subjecta:

(1) Xiphil. l. 63. p. 1039. A. Svet. in Ner. c. 35.
(2) Varr. de L. L. l. 8. c. 41.
(3) ad Spart. Hadr. c. 18.
(4) ad Attic. l. 13. ep. 52.
(5) in Aug. c. 76. n. 3.
(6) H. N. l. 15. c. 4. n. 5.
(7) lib. 10. Metamor. p. 119. Ed. Iunt.
(8) Plin. H. N. l. 13. c. 3. n. 4.
(9) Grut. p. 376. n. 5. et p. 378. n. 1. Oliv. M. P. p. 15. n. 34.
(10) in Alex. c. 24.
(11) in Tac. c. 10.

Cujus dedicatione dati sunt, ab ea decurionibus singulis sestertia octo numero, municipibus et incolis singulis sestertia quatuor numero. nam, ut mittam, in lapide scriptum esse *Dati sunt*, non *Data sunt*, quis hoc sibi persuadeat, data esse *sestertia octo numero*, non *sestertios octo nummos*, et *sestertia quatuor numero*, non *sestertios quatuor nummos?* nempe hoc erat, quod inscr. IC. de sportulis diximus, Plinii verbis, *binos denarios vel singulos dare:* cui quidem largitioni homines nec pecuniosissimi sufficere poterant: verum si sestertia illa fuissent, de quibus diximus inscr. CVIII. dedisset Publicia singulis decurionibus scutatos nummos ducentos, ceteris centum: quod vix Imperatores praetorianis suis dare potuerunt.

Veterum autem, qui accuratius scribebant, haec fuit consuetudo, ut quum parvus sestertiorum nummorum numerus designandus esset, post notam HS·, vel potius post ipsum numerum, semper adderent N· id est *Nummos:* quo nempe, si omissa haec littera esset, jam sestertia, sive sestertiorum nummorum totidem millia indicari appareret. idcirco, ut hic habes HS· VIII· N· et HS· IIII· N· sic alibi leges DATIS · IN · TVT · COLONIS HS · N · D · (1) et QVIBVS · OB · DEDICATIONEM · VERVS · SINGVLIS · HS · LXX · N · SPORTVLAS DEDIT (2). contra, quia de sestertiorum nummorum millibus sermo erat, leges apud Fabrettum (3), IN · QVOD · OPVS · EROGATA · SVNT · HS · XXX ·, et apud Gruterum (4) IN TVTELAM · DEDER · HS · II · quibus notis sestertia, sive sestertiorum nummorum millia enunciantur. quod si numerus ad duo millia esset aut plura, modo litteram N· adscripserunt, ut apud Fabrettum (5) DEDIT · DONAVITQVE · HS · L · M · N · idest sestertiûm quinquaginta millia nummûm; modo omisere, ut infra inscr. CCLXXXVI. satis enim quisque intelligebat, qua de summa sermo esset. N· autem, ubi de sestertiis sermo non est, si numerum praecedat, *Numero* legendum est, uti maxime ex Placentina Trajani aerea Tabula edisces.

(1) Grut. p. 397. n. 1.
(2) id. p. 417. n. 6.
(3) p. 708. n. 293.
(4) p. 393. n. 8.
(5) p. 724. n. 443.

CAPVT III.

Specimen epitaphiorum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus veterum pietas aut officium erga demortuos significatur.

Magistratus etiam et imperia, victorias quoque et triumphos funus excipit: sive reges sive inopes coloni, omnes eodem cogimur. itaque ultimus honorum benemeritis civibus Epitaphium est, ne denique cum corpore memoria eorum penitus intereat. hujus tu inscriptionum generis apud veteres aeque ac ceterorum propriam quamdam fuisse formam hic agnosces; jamque errare eos fateberis, qui *Latina Epitaphia* esse putant, quaecumque ipsi nulla lege, nullo ordine sepulcris inscribenda confecerint. hujus autem capitis quatuor erunt partes: ac prima quidem virorum epitaphia continebit, altera vero feminarum. in tertia ponemus, quae puerorum ac puellarum tumulis inscripta sunt: in quartam denique communium sepulcrorum inscriptiones rejicientur. commune autem sepulcrum voco, quod ad collegium aut gentem aliquam familiamve pertineat, vel cuique indiscriminatim pateat. enimvero distributionem hujusmodi non improbabunt, qui animadverterint, ita quaedam fere singulis convenire partibus, ut omnibus convenire non possint: neque aetatis solum aut sexus esse discrimen, sed vitae etiam atque munerum: item luctus dolorisque non eadem in omnibus epitaphiis indicia prodi, nec easdem ad singula sententias formulasque quadrare. quia vero hic quoque in singulis partibus non una dictionis ratio est, utar hic etiam divisione tripartita capitum superiorum, singulasque partes ternis articulis honestabo.

PARS I.

EPITAPHIA VIRORVM

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CXXII. (Maff. M. V. p. 466. n. 7.)

D · M · S · (1)
Q · SENTIVS
MARTIANVS
PIVS · VIXIT · ANNIS
XLVIIII · MEN · IIII ·
DIEBVS · XIIII ·
H · S · E · (2) O · T · B · Q · (3)

(1) *Diis Manibus Sacrum* v. Lib. II. Part. I. Cap. III.
(2) *Hic Situs Est.*
(3) *Ossa Tua Bene Quiescant.*

Epitaphia sine nomine eorum, qui titulum posuerint, multa plane exstant, quorum exempla vide, si libet, apud Gruterum (1) et alios. omissa autem ea nomina fere putantur, quod locus ipse monumenti auctorem declararet, et totius saepe agnationis sepulcra muri unius ambitu continerentur. sed illud quoque animadvertere oportet, epitaphia aliquando sic in tumulis et cippis incisa esse, ut nomen sepulti cum titulis suis in fronte monumenti legeretur; at nomina eorum, qui sepulcrum fecissent, ad latera scripta essent: itaque, quum cippus non uno semper e lapide fuerit, accidere interdum, ut, distractis partibus, pro integro epitaphio id habeatur, quod non exigua sui parte imminutum sit. exemplum hujusmodi apud doctissimum scriptorem Vitum Giovenazzium (2) invenies.

Tritum illud in epitaphiis *Hic Situs Est*, quam formulam poëtae quoque usurparunt (3). at raro occurret omen et precatio illa *Ossa Tua Bene Quiescant:* pro qua saepius leges *Sit Tibi Terra Levis*. hasce formulas ideo veteres in sepulcris suis insculpi volebant, ut vel alienissimi, quum praetereuntes titulum legerent, quietem ipsis precarentur: quippe ea precatione solatium mortuis afferri aliquod existimabant (4): unde argumentum ducebat Tertullianus (5), omnium mentibus insitam esse opinionem de immortalitate animorum.

CXXIII. (Oderic. diss. 3. p. 57.)

D · M · S ·
TI · CLAVDIO · SABINO
SODALES · AERARI
A · PVLVINARI · B · M · F · (6)
VIXIT · ANNIS · XXV ·
MENS · VI · DIEBVS · III ·

Collegium Aerariorum Fabrûm ab ipso rege Numa Romae institutum tradidit Plinius (7) atque Plutarchus (8): quem item regem pleraeque sodalitates, quae in urbe erant, auctorem habuerant: quas post eum sublatas alii deinde restituerunt. porro qui ejusdem collegii essent, Sodales appellati (9); Aerarii vero, qui aerea opera facerent (10). hi quo loco officinas ac fortasse collegii etiam sui scholam haberent, subjectum indicat verbum *A Pulvinari*, quemadmodum apud Fabrettum leges *A Capite Africae, A Vico Loreto Minore* (11) et similia. jam ipsius Pulvinaris locum disce ex monumento Ancyrano: ibi enim inter opera sua numerat Augustus *Pulvinar Ad Circum Maximum*. sed haeres, credo, in nomine; neque enim de lectisternio et Deorum pulvinaribus hic sermo est, sed de aedificio. quaesivit Odericius, quid Augusti Pulvinar fuerit; occurritque illi Augusti epistola ad Liviam de Claudio (12), in qua illa sunt: *Spectare eum Circenses* ex Pulvinari, *non placet nobis: expositus enim in prima fronte spectaculorum conspicietur*. hinc verissime *Pulvinar* maenianum esse dixit, unde Augustus et tota Caesarum domus ludos spectabat. ideo autem Pulvinar nuncupatum censebat, vel

(1) a p. 900. ad 929.
(2) Aveja p. 110.
(3) Tib. lib. 3. el. 2. v. 29. etc.
(4) V. Grang. ad Iuven. Sat. 7. v. 207.
(5) de testim. anim. c. 4.
(6) *Bene Merenti Fecerunt*.
(7) H. N. l. 34. c. 1.
(8) in Num. t. 1. p. 155.
(9) l. ult. D. de colleg. et corp.
(10) Plin. l. 16. c. 6. n. 8.
(11) p. 296. n. 257. p. 716. n. 377.
(12) Svet. in Claud. c. 4. n. 7.

quia Augusti tamquam Dei sedes esset, vel quia praeter hanc unam nullae etiamtum essent in Circo sedes cum pulvillis, vel quia ipsa Augusti sedes pulvinaris formam imitaretur. ille tertiam hanc caussam magis probabat: at mihi prima potius arridet: quippe quod cubicularem lectum Imperatoris aliquando sacro vocabulo *Pulvinar* appellatum repererim: nam de Messalina ad Claudii cubiculum redeunte dixit Iuvenalis (1),

. . . . . *fumoque lucernae*
Foeda lupanaris tulit ad pulvinar odorem.

Domitianus vero, quum uxorem post divortium reduxisset, edixit (2), *revocatam eam* in Pulvinar *suum*, nempe tamquam in Dei thalamum.

Aerarii igitur Sodales a Pulvinari fuerunt opifices, quorum officinae et Schola Maenianum Augustum quamproxime spectabant, sive in Circo ipso, nam ibi quoque tabernae erant (3), sive extra Circum; utrinque enim, ut arbitror, maenianum illud exstabat ac prominebat ingenti mole: siquidem illud Augustus cum reliquis operibus publicis adnumeravit. alias ibidem tabernas fuisse, Reinesii declarat inscriptio, in qua *C. Iulius Epaphra* appellatur *Pomarius De Circo Maximo Ante Pulvinar* (4).

Claudium hunc Sabinum Trajano Aug. antiquiorem esse, suspicio mihi est non levis, quod Trajanus, circo amplificato, Pulvinar et Pulvinaris appellationem sustulisse videtur. haec enim Plinius (5): *Hic immensum latus Circi templorum pulcritudinem provocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quae ex illa spectabuntur: visenda autem quum cetera specie, tum quod* aequatus plebis ac Principis locus: *siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria, nec magis proprius spectandi* Caesaris suggestus, *quam propria quae spectet. licebit ergo civibus tuis invicem contueri, dabitur non* cubiculum Principis, *sed ipsum Principem cernere, in publico, in populo sedentem.*

CXXIIII. (Fabr. p. 589. n. 198.)

D · M ·
L · COMINIO · SABINO
PATRONO · OPTIMO
FECERVNT
LIBERTI · ET · LIBERTAE
B · M · (6)
QVI · VIX · ANN · P · M · (7) LXXX ·

Quum ignorarent liberti vel diem Cominii natalem, vel eum, quo obierat, nec possent in epitaphio scribere ex more annos, menses ac dies, quotquot patronus vixerat; adscripserunt, vixisse annos plus minus octoginta: Latina utique formula, quam Martialis quoque usurpavit (8).

(1) Sat. 6. v. 131.
(2) Sveton. in Domit. c. 13. n. 1.
(3) Cic. pro Mur. c. 35. n. 73. v. inscr. 457.
(4) Cl. 11. n. 79. Fabr. p. 8. n. 33.
(5) in paneg. c. 51. n. 3.
(6) *Bene Merenti.*
(7) *Plus Minus.*
(8) lib. 8. epigr. 71. v. Fabr. p. 589. A. et Walchium ad M. Str. p. 95.

CXXV. (Maff. M. V. p. 124. n. 5.)

D · M ·
T · VRSINIVS
CASTOR
III · VICT · (1) NAT ·
SARD · (2) VIX · AN · LVI ·
MIL · (3) ANN · XXVI ·
T · ARENIVS
CORDVS
EX · EADEM

Titum Vrsinium, qui militavit in trireme sive trieri Victoria, quum Graecum habeat cognomen, Sardianum potius, quam Sardum fuisse puto.

Navis porro, in qua meruerat, *Victoria* appellabatur eo more, quem adhuc retinemus: ut apud Virgilium *Pristis, Chimaera, Centaurus, Scylla* (4). monet autem Nicolaus Heinsius (5), distinguendum esse Παρασημον, quod erat in prora, et nomen navi dabat, a Tutela, quae erat in puppi (6). de utroque Ovidius:

Est mihi, sitque precor, flavae Tutela Minervae
Navis, et a picta casside nomen habet.

nempe Παρασημον non modo Deus erat aut heros, sed animal quoque et monstra et arma, quum tutelam soli Dii Deaeque sibi vindicarent. nomina complura triremium, quadriremium, et liburnarum Romanarum, quae in utraque classe Miseni et Ravennae stabant, ex antiquis monumentis collegit Gorius (7), earumque quasi album proposuit. has inter leges etiam *III. Pace* (8), quam notam prave quidam et perperam legerunt IN PACE, lineam transversam rati deletam esse, uti ab Hagembuchio animadversum est (9).

Iam vero naves a veteribus ob diversos remorum ordines modo biremes, modo triremes, aut quadriremes ac quinqueremes appellatas, inter omnes convenit. sed de ipsis ordinibus totaque navium structura quam diversae sunt doctorum hominum distractaeque sententiae? quidam nimirum triremem sic instruit, ut in ea tres utrinque ordines remorum perpetui appareant a puppi ad proram; remi ipsi, alii aliis longiores in mare procurrant. fuit contra qui remigum versus in longum divideret aut in transversum, unoque in ordine plures inveniret. nec deest qui navium cognomina repetat a numero remigum, qui singulis summorum transtrorum remis affixi erant. ac sententiam quidem suam et argumentis et auctoritatibus tueri quisque conatur; verum qui in prima sunt, mihi prope vim afferunt, quum in columna Trajana bina navigia ostendunt (10) triplici remorum ordine instructa: tum similem his triremem in veteri pictura montis Palatini (11); ac nummos praeterea proferunt Q. Metelli, Hadriani, Gordiani III. Carausii, Alecti, qui omnes triremem ejusmodi navem exhibent (12). istorum sententiam amplexus est vir doctus Paullus Paciaudus, quam multis idem exemplis et

(1) *Trieri Victoria*.
(2) *Natione Sardianus*.
(3) *Militavit*.
(4) Aen. l. 5. v. 116. etc.
(5) ad Ovid. Trist. 1. el. 10.
(6) Winckel. Mon. Ined. p. 274.
(7) Inscr. t. 3. p. 69.
(8) Fabr. p. 365. n. 115.
(9) Epist. epigr. p. 610.
(10) Fabr. de Col. Tr. c. 5.
(11) Turnbull. treatise of ancient painting. tab. 25.
(12) Fabr. l. c. et Deslan. essai sur la marine des anciens.

rationibus confirmavit (1). ipsarum autem navium structuram atque formam, quae praesertim non duobus aut tribus, sed vel triginta interdum aut quadraginta ordinibus remorum agerentur, Ioannes Winckelmannus (2), quum de Praenestino lapide scriberet, cui Biremis insculpta est, ex veterum monumentorum exemplis describere breviter atque exponere conatus est: cujus orationis hanc summam esse reperio: naves, quae magno remigio agendae essent, quam latissimas a veteribus aedificatas; carina quidem prope plana, quae parum mergeretur, at lateribus sensim adsurgentibus ac utrinque procurrentibus in diversum: ordines remorum in his fuisse, remosque non recta supra mare protensos, ut nunc videmus, sed a navi in aquas prope ad perpendiculum depressos: itaque ne primos quidem extremorum laterum ita longos fuisse, ut facile moveri non possent, atque percommode sub ipsa navi protectos latuisse. quod vero in eum modum depressi, haud magno singuli impulsu navem evehere poterant, multis eorum ordinibus effectum esse, ut haec impetu majore ferretur.

Milites classis eosdem esse atque Classiarios, negat post Maffejum Bimardius (3), et Classiarios το ναυτικον, milites classis τους επιβατας esse dicit. eos tamen re magis quam nomine discretos putaverim. nam *Classiarium Centurionem* (4) et *Classiariorum copiam* (5) et *Primores Classiariorum Misenensium* nominat Tacitus (6): *milites Classiarios* habes in Lampridio (7): *Classiarios*, qui ex remigibus *justi milites* a Nerone facti fuerant, memorat Svetonius (8).

Hi vero, quos Livius *Milites Classicos* appellat (9), etiam post Augustum, in ipso delectu, si cives Romani non fuissent, ad hoc tantum civitate donabantur, ut in legione classica merere possent (10): reliqua jura, missi honesta missione, Principis diplomate consequebantur (11). at eorum justa stipendia, antequam dimitterentur, sena vicena erant: in Hadriani certe diplomate dimittuntur honesta missione, qui sex et viginti stipendia emeriti fuerant (12): quot nimirum jam numerabat T. Castor, quum ejus omnem spem et nova vitae consilia mors pervertit. ut autem in ceterorum militum monumentis addebatur centuria, in qua militaverant, ita in istorum epitaphiis leginus triremem, liburnam, navem denique eam, ad quam nomen dederant. hanc vero Castoris et Cordi triremem ex classe Ravennatium fuisse, indicat ipse sepulcralis cippus Ravennae inventus: apud quam tot alii nostra aetate, sollertium vestigatorum cura, in lucem prolati sunt.

CXXVI. (Murat. p. 2102. n. 2.)

TI · CLAVDIO
AVG · L · PHILEROTI · V · A · (13) LX ·
IVLIA · THIMELE
CONIVGI · MERITO

Libertorum Ti. Claudii Aug. maximum plane numerum fuisse, antiquae passim inscriptiones ostendunt: quod jam Svetonius (14) attigerat, saepe etiam questus, omnia sub Claudio libertorum arbitrio administrata. primarios scilicet Claudii libertos Posidem,

(1) Animad. Philol. sect. 5.
(2) Mon. Ined. p. 227.
(3) in Mus. Ver. p. 347. ex Scheff. de M. N. l. 2. c. 3.
(4) Ann. l. 14. c. 8.
(5) ibid. lib. 4. c. 27.
(6) ibid. l. 15. c. 51.
(7) in Comm. c. 15.
(8) in Galb. c. 12. n. 3.
(9) l. 26. c. 36. n. 48.
(10) Veget. l. 5. c. 1.
(11) Bimard. in Mus. Ver. l. c.
(12) Scheff. de mil. nav. lib. 4. c. 1. v. inscr. 319.
(13) *Vixit Annos*.
(14) in Claud. c. 13. n. 4.

Felicem, Harpocran, Polybium, Narcissum et Pallantem (1), ipsos Claudio auctores saepe fuisse crediderim servorum manumittendorum, quo facilius per homines sibi beneficio libertatis devinctos aditu ad Principem excluderent quos vellent, et omnia vendere, auferre, rapere impune possent.

CXXVII. (Bertol. Ant. Aquil. p. 193. n. 216.)

C · ARRIVS · C · F ·
MONVMENT ·
SIBI · FIERI · IVSSIT
SEX · ACILIVS · C · F ·
HERES · FECIT

Monumenta veteres appellabant sepulcra, statuas, titulos, fana, porticus, fornices, et quidquid ad memoriam spectaret posteritatis: nihilominus tamen vocabulum illud, praeter epitaphia, nullae inscriptiones habent: ut sine exemplo sit, quod hodie quidam faciunt: qui in honorariis quoque titulis addunt fere *Monumentum Posuerunt*. at illud non inficiabor, *monumentum* aliquando non sepulcrum esse, sed κενοταφιον et memoriae tantum caussa factum, reliquiis alio illatis (2): quamquam hoc loco C. Arrii tumulus designatur.

CXXVIII. (Don. Suppl. Murat. p. 355. n. 1. Malvas. sect. 7. c. 8.)

M · AEMILI
NAEVIANI
QVI · VIXIT · ANNOS
XXVIII · M · VII · DIES
X · M · AEMILIVS
VALENTINVS
FILIO · OBSEQVENTIS
SIMO · ET · SIBI

Praenomen nomenque filio eadem esse hic vides, quae patri, cognomen non item. id ab adoptione repetas, nolim. dicendus enim fuisset *M. Aemilius Valentinus Naevianus*, ut olim Aemilii Paulli filius, qui adoptione in Corneliam gentem migrarat, appellatus est *P. Cornelius Scipio Aemilianus:* quamquam adoptati cognomine etiam naturali pro praenomine aliquando usi sunt, ut *Cossus Lentulus* in Cornelia, *Paullus Lepidus* in Aemilia, *Paullus Fabius Maximus* in Fabia (3). morem hic alium significari arbitror, sub Augustis inductum, cognomina in eadem familia multiplicandi, quibus fratres inter se distinguerentur. pater exempli caussa Vespasiani Aug. T. Flavius Sabinus fuit: hic ex Vespasia Polla duos filios suscepit: horum primus T. Flavius Sabinus, alter T. Flavius Vespasianus nominatus est (4). rursus, uxore ab hoc ducta

(1) in Claud. c. 28. n. 1. etc.
(2) l. 42. D. de relig. et sumpt. fun.
(3) Spanh. diss. 10. p. 82.
(4) Svet. in Vesp. c. 1. n. 6.

Flavia Domitilla, filii, quos ex ea tulit, dicti sunt Titi Flavii ambo, sed primus Vespasianus, alter Domitianus (1). animadvertas autem primum a patre, alterum a matre cognomen sumpsisse: ut si tertius et quartus aut plures filii nascerentur, a reliquis consanguineis data his cognomina videantur. porro haec si stant, ex ipso cognomine liquet, Naevianum natu majorem non fuisse, quippe qui *Valentinus* jure nativitatis cognominari debuisset.

Laudanda vero atque imitanda Naeviani pietas, qui annos natus viginti octo, *filius absequentissimus* a parente suo appellari meruerit.

CXXVIII. (Ald. Man. Orth. p. 93.)

CORPVS
T · BAEBI · L · F · FAB · (2)
CELERIS
VIXIT · ANNIS · LII ·
MENSIB · III ·
DIEBVS · XII ·

Indicari videtur humatio eo more, qui nunc est, quo, ut ait Cicero, *redditur terrae corpus, et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur* (3). id vero antiquissimum sepulturae genus fuisse dicit, et hoc ritu apud Romanos regem Numam conditum esse, gentemque Corneliam usque ad memoriam suam hac sepultura humatam. sed mihi de his fusius articulo tertio dicendum est (4).

Tito huic Celeri in gentili Baebiorum sepulcro privum fuisse sarcophagum, contractior inscriptionis forma persuadet.

CXXX. (Murat. p. 612. n. 6.)

D · M ·
PASSERI
RET · (5)
AELIA · CONIVNX
BENEMERENTI

Gladiatores etiam sub Augustis servili fere conditione fuisse, monstravit Lipsius (6), et antiquae potissimum tesserae ostendunt. idcirco Passer Retiarius et praenomine et cognomine caret. nec mirere, Aeliam appellari *Conjugem*, quae *Contubernalis* dicenda erat: nam similia leges in aliis inscriptionibus, maxime si uxores ingenuae essent (7).

Erant autem Retiarii qui contra Secutores aut Mirmillones (8) pugnabant piscatorium quemdam in morem; nam arma eorum rete, unde ipsis nomen, et fuscina; quum

(1) Svet. in Vesp. c. 3. n. 2.
(2) *Fabia tribu*.
(3) de leg. l. 2. c. 22. n. 56.
(4) ad inscr. 190.
(5) *Retiario*.
(6) Saturn. l. 2. c. 3.
(7) Fabr. c. 4. ab n. 309. v. inscr. 191.
(8) Svet. in Cajo c. 30. n. 8. et Festus.

in adversariorum galeis piscis effigies esset: quare Retiario, inquit Festus, pugnanti adversus Mirmillonem cantatur, *Non te peto, piscem peto, quid me fugis, Galle?*

Tertullianus (1) tribuit Retiariis etiam *Spongias*, quas pro pectoris tegumento multi accepere, ut Samnitibus fuisse, tradit Livius (2). verum eas cultros potius aut enses fuisse, mirifice arguit Maffejus (3), maxime ex Augusti dicto (4) de tragoedia Ajace, quam magno impetu exorsus, non succedente stilo, aboleverat: quaerentibus quippe amicis, *quidnam Ajax ageret*, respondit, *Ajacem suum in spongiam incubuisse*. lusit scilicet in ambiguo Augustus, et tragoediae suae interitum comparare voluit Ajacis morti: quod et tragoediae et Ajaci spongia exitialis fuisset, Ajaci quidem spongia, id est gladius, quo ipse se interfecit; tragoediae item spongia, sed deletilis, qua illam Augustus delevit.

CXXXI. (Grut. p. 338. n. 1.)

TI · CLAVDIO · AVG · L ·
EPAPHRODITO
AGITATORI · FACTION ·
PRASINAE
ANICETVS · AGITATOR
FACTIONIS · EIVSD ·
MAGISTR · SVO

Agitatores dicti aurigae maxime Circenses, ut apud Tullium (5): *Nec est*, inquit, *melius quidquam quam ut Lucilius: Sustineat currum, ut bonu' saepe Agitator, equosque:* et alio loco (6): *Ego, ut Agitator callidus, priusquam ad finem veniam, equos sustinebo.*

De factionibus Circensibus earumque quatuor coloribus vide sis, quae Panvinius ac Bulengerus aliique scripsere. hic satis superque dictum erit, si Cassiodorii (7) verba protulerim: *Colores*, inquit, *in vicem temporum quadrifaria divisione funduntur: prasinus virenti verno, venetus nubilae hyemi, russeus aestati flammeae, albus pruinoso autumno dicatus est.*

Ad quatuor autem factiones Domitianum duas addidisse *aurati purpureique panni*, tradit Svetonius ac Dio (8): quae diu non mansere. Prasinae factionis Imperatores aliquot studiosissimi fuere, in primis Caligula, qui et in stabulo cenare solitus, Agitatori Eutycho comessatione quadam in apophoretis vicies sestertium contulit (9).

(1) de Spect. c. 25.
(2) lib. 9. c. 28. n. 40.
(3) degli Anfit. l. 1. c. 14.
(4) Svet. in Aug. c. 85. n. 6.
(5) ad Attic. l. 13. ep. 21. n. 4.
(6) l. 4. Acad. c. 29. n. 94.
(7) lib. 3. Var. 51. v. et Tertull. de Spect. c. 9.
(8) Svet. in Dom. c. 7. n. 3. Xiphil. l. 67. p. 1104. C.
(9) Svet. in Cajo c. 55. n. 7.

CXXXII. (Maff. M. V. p. 351. n. 8.

CONSTANTI · NERATIOR ·
VILLICO
POTENTI · NERATIORVM
CELLARIO
POTHVS · ET · LATHMVS
PATRI · ET · FRATRI

Pothus et Lathmus Constanti patri, Potentique fratri monumentum fecerunt, servi servis, quorum alter villae, alter cellae Neratiorum praepositus fuerat. mirum vero, qui antiquiores essent, Latinis nominibus appellatos, juniores autem Graecis: quum vernae apud Latinos nati, Latina etiam appellatione distingui solerent. nisi forte ex dominorum id voluntate factum, quod externis, ut fit, moribus delectarentur: nam et disyllaba servis hisce nomina imposita video, quemadmodum apud Graecos diu placuere (1). ceterum in tanta servorum multitudine, quibus Romani non aedes solum atque hortos suos complebant, sed agros quoque et montes, ut ait Livius (2), ab solitudine vindicabant, profecto, ne sine discrimine essent, et Latina et Graeca nomina omnis generis usurpare opus fuit.

Neratii, ait Morellius, *gens, ut videtur, plebeja, sub Trajano ad consulatum pervenerunt* (3). at ex ea gente fuere Appiani, Cereales, Marcelli, Prisci, Pansae: itaque mancipiorum istorum dominos internoscere non datur.

CXXXIII. (Maff. M. V. p. 477. n. 10.)

CONLEG · DENDROPHOR · ET
CLASSIAR · MISENATIVM
AVRELIO · CANVSIO · Q · FIL ·
PRAENESTINO
PATRONO · OPTIMO
AE · C · (4) FIERI · CENS ·

Negat Salmasius (5), alios unquam fuisse Dendrophoros, quam qui in sacris Bacchi aut Silvani aut Matris Deûm arbores stirpitus excisas per urbem humeris ferrent. sed vel una haec inscriptio satis declarat, Dendrophoros quoque appellatos, qui materiam ad naves ac bellicas machinas fabricandas advehrent: quae sane plurima Misenum comportanda erat, ad naves reficiendas aut aedificandas: quum classem ibi Augustus ad tutelam inferi maris collocasset. quamobrem non lymphatis sodalibus, sed bonis naviculatoribus aut plaustrariis opus erat. ex his porro fuisse, manifestum est, qui apud Fabrettum (6) memorantur, et qui apud Gruterum appellatur *Praefectus Fabrorum Collegii Dendrophororum* (7); unde illud significari videtur, Dendrophoros non modo advehendae, sed etiam caedendae materiae curam habuisse.

(1) Potter. Arch. l. 1. c. 10.
(2) lib. 7. c. 8. n. 12.
(3) Thes. Num. t. 1. p. 293.
(4) *Aere communi*.
(5) ad Spart. Carac. c. 9.
(6) pag. 601. n. 21.
(7) pag. 45. n. 8.

Quod autem cum Dendrophoris copulentur *Classiarii*, non leve indicium est, Classiarios istos nec milites, nec remiges aut nautas fuisse; sed fabros navales, qui ad classem reficiendam, ornandam, aedificandam in Miseni navali incumberent. sic etiam carpentarii dicti a carpentis, balistarii a balistis, aliique multi ab his, quae tractarent (1): quamquam interdum eodem nomine alia etiam hominum sive ars sive conditio designabatur: nam exempli caussa Gladiatores appellati sunt et qui gladios facerent, et qui gladio pugnarent. nihil tamen de fabris Classiariis, ne a Scheffero quidem, prolatum esse video.

Canusius praenomine *Aurelius*, cognomine, ut ego arbitror, *Praenestinus* dictus est. neque enim ad veterem consuetudinem exigenda omnia, quae paullatim sub Augustis usus invexit. nempe ut quaedam praenomina in cognominum numerum abiere; sic e nominibus quaedam facta praenomina. cognomina vero ab urbibus vel antiquissimi Romanorum habuerunt, ut, *Coriolani*, *Corani*, *Cerretani*, *Privernates*, et hujusmodi alii, quos in consularibus fastis invenies.

Inscriptionem in epitaphiorum numero habendam esse, formula declarat illa FIERI CENSVERVNT, quam honorarii tituli non recipiunt: eamque ad cenotaphium pertinuisse, haud male quis statuat.

CXXXIIII. (Gor. symb. Flor. vol. 1. p. 78. n. 2.)

P · AELIO · P · FIL ·
PHILOLOGO
AVG · DECVRIONI · CAPVAE
ORNATO · SENTENTIA · $\overline{II}$ · VIRAL ·
AELIA · APHRODISIA
MATER · ET · SIBI · FECIT

Philologus, qui in municipio suo Augustale fastigium non excesserat, Capuae felicior, ad decurionatum pervenit, eamque dignitatem novo decore auxit, ornatus sententia duumvirali. nimirum Campani illi Decuriones, simiae senatus Romani, censuerunt, ut quemadmodum Romae viris quibusdam illustribus, antequam praetores consulesve fierent, honoris caussa dabatur, ut sententiam loco praetorio (2) aut consulari (3) dicere possent; ita P. Aelius in curia Capuae sententiam inter Duumviralicios rogaretur, non secus ac si duumviratum gessisset.

Dixi, Aelium in patria sua Augustalem fuisse, Decurionem non item; quod veteres, ad designandos patrios honores, nomen urbis suae in monumentis municipalibus, tamquam inutile, non adscribebant. sed quae fuerit Aelii patria, incertum est: lapidem sepulcralem habent Neapolitani, sed aliunde invectum ad villae ornamentum.

(1) l. ult. D. de jur. imm. (2) Cic. philipp. 5. c. 17. n. 46. (3) Svet. in Claud. c. 6. n. 4.

CXXXV. (Fabr. p. 710. n. 314.)

Q · FABIO · Q · F · ESQVILINA
CALATINO
PRAEF · FABRVM · LEG · VI · AVG ·
X · VIRO · STLITIB · IVDICAND ·
PATRONO · MVNICIPI
LAVIN · LAVRENTI ·
FABIVS · Q · F · ESQ · SILVESTER
PIETATIS · CAVSSA

Fabium quum legis, ne tibi Cunctatoris pronepotem abnepotemve fingas: tribus Esquilina vetat, non tam quia urbana, quam quod Fabia non est. nam omnem quidem forensem turbam exercetam in quatuor tribus censor Q. Fabius conjecit, urbanasque eas appellavit (1): sed nobiles viros, qui in illis jam censebantur, tribu non movit. at Fabii illi germani, *Ambusti*, *Vibulani*, *Maximi* ex ea tribu erant, cui nomen dederant. ergo Calatini hujus majores libertinos fuisse, in dubium haud revocem: eaque de caussa in Esquilina censos contendam.

Municipium Lavinatium Laurentium hic dicitur, quod alias semper *Laurentium Lavinatium*. id autem lapicida ne imprudens admiserit, an ob aliquam municipum contentionem factum sit, quis nos doceat? mihi quidem et illud congruere videtur, ita scriptum esse discriminis gratia, quod praeter municipes eo nomine appellatos, sacerdotium quoque tum erat *Laurentium Lavinatium*: de quo quidem etsi nemo fortasse scripsit, dubitare tamen haud possit, qui quum alias quasdam, tum inscriptionem legerit Faleriensem nuper inventam (2), in qua T. Cornasidius Sabinus pater et *Augur* et *Laurens Lavinas* appellatur: filius vero T. Cornasidius Clemens *Equo Pub. Laur. Lavin.* quo sane loco patriam eorum cieri nemo dixerit. sed haec obiter indicata sint.

Quinam essent Laurentes Lavinates, nondum vidi, inquit Maffejus (3), *qui exquirerent: nam oppidum Lavinium memorat Livius et Varro, et oppidum Laurentum Plinius tamquam diversum*. atqui de Laurolavinio et Laurentibus Lavinatibus multa jam scripserat Cluverius (4). qui et Servii errorem notaverat Laurentum a Laurolavinio non distinguentis. docuerat etiam Holstenius (5), Laurolavinium ipsum esse Lavinium, et quod in agro Laurente situm esset, nempe ad fontem Numici, Laurolavinium dictum, sive etiam alia de caussa, quam Servius ex Catone tradit (6): *Latinus post mortem Lavini fratris, quum Lavinium amplificaret, ab inventa lauro Laurolavinium appellavit*. id oppidum Servii aetate exstabat (7): ejusque ante Servium meminerat Frontinus (8): neque illud dici potest, Lavinio et Laurento deletis, ex utriusque populi conjunctione natum esse: nam inscriptio apud Fabrettum (9) Trajano posita *Laurentes Lavinates* exhibet; quum in altera apud eundem (10) *Divo Antonino Aug.* monumentum posuisse dicatur *Senatus Populusque Laurens*.

Fabius Silvester, quum et Quinti filius dicatur, et monumentum Calatino *pietatis*

(1) Liv. l. 9. c. ult.
(2) v. l. 2. c. 2. §. 2. n. 5. et Fabr. p. 456. n. 16.
(3) Mus. Ver. p. 114. n. 2.
(4) Ital. Ant. l. 3. c. 3. p. 882.
(5) in advot. ad Ital. Cluv. p. 174.
(6) ad Aeneid. l. 7. v. 59.
(7) Serv. ad Aen. l. 1. v. 3.
(8) de colon. p. 105.
(9) p. 682. n. 66.
(10) p. 682. n. 67.

caussa se fecisse testetur, satis declarat, patrem sibi Calatinum fuisse. nam pietas ea virtus est, qua parentes potissimum colimus. *Iustitia*, inquit Tullius (1), *erga Deos religio, erga parentes pietas nominatur*. et alio loco (2): *Quid est pietas, nisi voluntas grata in parentes?* id vero adjectum ea maxime de caussa puto, quo sciremus, nihil quidem a patre testamento cautum, ut sibi sepulcrum conderetur, eum tamen pietatis, ut par erat, officio defunctum esse.

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CXXXVI. (Grut. p. 602. n. 4.)

GENIO
COETI · HERODIANI
PRAEGVSTATOR ·
DIVI · AVGVSTI
IDEM · POSTEA · VILLICVS · IN
HORTIS · SALVSTIANIS
DECESSIT · NON · AVGVSTIS
M · COCCEIO · NERVA
C · VIBIO · RVFINO CoS · (3)
IVLIA · PRIMA · PATRONO · SVO

Disce hinc, non omnes Romanos in Horatii sententia fuisse, qui Genium *memorem brevis aevi* appellat (4), et *mortalem in unumquodque caput* (5). quamquam hic Genium Herodiani pro ipsius animo positum esse, verisimilius duco. neque enim inter veteres defuere, qui suum cujusque animum Genium esse existimarent (6). itaque Iulia hoc se putare significavit, patronum suum vivere, nec animum ejus una cum corpore interiisse.

Servos habere praegustatores, qui cibum potumque gustu explorarent, Persae primum ac Graeci instituerunt, quo sibi a veneno caverent: uti a Xenophonte atque Athenaeo proditum est (7). at e Romanis primus fortasse M. Antonius Triumvir praegustatore usus est, nempe apud Cleopatram, a qua sibi injuria metuebat (8). mox ipse adscivit Augustus, ut Coeti epitaphium confirmat, ac deinde reliqui Caesares habuere, quibus certe Tacitus Svetoniusque tribuunt (9). addo etiam non uno eos aut altero praegustatore contentos fuisse: sed horum collegium in domo Augusta institutum esse, quod in antiquis inscriptionibus memoratur (10), in quibus leges quoque *Decurio-*

(1) in partit. c. 22. n. 78.
(2) pro Planc. c. 33. n. 80.
(3) Cos. Suff. ex Kal. Iul. an. Varr. 775.
(4) l. 2. epist. 1. v. 144.
(5) l. 2. epist. 2. v. 188.
(6) Augustin. l. 7. de C. D. c. 13. Propert. lib. 4. eleg. 8. v. 69.
(7) Xen. Cyrop. lib. 1. c. 2. Ath. Dipn. lib. 4. c. 21.
(8) Plin. H. N. l. 21. c. 3. n. 9.
(9) Tac. Ann. l. 13. c. 16. Svet. in Claud. c. 44. n. 4.
(10) Don. Cl. 9. n. 24.

nem (1), et *Procuratorem Praegustatorum* (2): nisi forte plus vidit Maffejus (3), cui suspecta marmora sunt, et collegium hujusmodi commentitium. quamquam agnoscit idem *Halotum Praegustatorem Claudii Aug.* cui epulas idem inferre, et explorare gustu solitus dicitur. ut ut se res habeat, Coeti Herodiani epitaphio auctoritatem ille eripuisse non videtur, iis videlicet notatis, quae nullam habent offensionem: nam et formulam *Decessit* et Consules ad anni indicium aliis quoque in epitaphiis legimus; tum si Coetus *Divi Augusti Praegustator* dicitur, eo sensu dicitur, quo alii *Divi Augusti liberti* appellantur.

CXXXVII. (Grut. p. 594. n. 7.)

D · M ·
M · VLPIO · AVG · LIB ·
HERMIAE
PROC · AVRARIARVM
CVIVS · RELIQVIAE · EX
INDVLGENTIA · AVG · N · (4)
ROMAM · LATAE · SVNT
SALONIA · PALESTRICE
CONIVNX · ET · DIOGNES
LIB · BENEMERENTI · FECER ·
VIXIT · ANN · LV ·

Procurator Aurariarum describi videtur in Codice Theodosiano, ubi Arcadius, Honorius et Theodosius Augusti Septimino proconsuli Africae sic scribunt (5): *Dudum praecepimus, ut ex corpore Negotiatorum ad suscipiendam tuendamque Aurariae nostrae rationem adponeretur idoneus, qui tamen fide omnium et periculo fuisset electus*. porro *Auraria* sive *Aurarius Canon* aut *Pensio Auraria* dicebatur aurum lustrale, quod negotiatores post singula quadriennia fisco pendebant: cujus vectigalis auctorem Zosimus facit Constantinum Aug. injuria tamen, ut arbitror, et obtrectandi studio: nam de Severo Alexandro scripserat Lampridius (6): *Aurum negotiatorium et coronarium Romae remisit*. proinde quum Trajani libertus *Procurator Aurariarum* appelletur, ab ipsis Trajani temporibus vectigal illud invectum dicerem; nisi suspensum me vocula illa *Aurariarum* teneret, quam nusquam ad pensionem significandam plurali numero inveni. quapropter rectius fortasse statuemus, M. Vlpium procuratorem fodinarum aurariarum fuisse. nam etsi Strabo fodinas, etiam argentarias (7), in privatorum possessionibus numerat, aurarias tamen magnam partem publicas dicit: τα δε χρυσεια δημοσιευεται τα πλειω. deinde jam a Tiberii aetate, quas fodinas Sex. Marius Hispaniarum ditissimus habuerat, post ejus damnationem, Fisco Imperatoris sepositae sunt: easque Tacitus (8), nullo alio adjecto nomine, *Aurarias* appellavit. sed quibus Aurariis prae-

(1) Murat. p. 907. n. 3.
(2) Grut. p. 581. n. 13.
(3) Art. Crit. Lap. l. 3. c. 4. p. 353.
(4) *Augusti Nostri*.
(5) lib. 12. tit. 6. l. 29.
(6) in Alex. c. 32.
(7) lib. 3. p. 148. A.
(8) Ann. l. 6. c. 19.

fuerit Procurator iste, incertum omnino: Romani enim non in Hispania solum fodinas ejusmodi habuere, sed in Galliis quoque, et Norico et Salassis et Illyrico et Pannonia et Thracia et Macedonia et Proconneso et Italia; quamquam Italicis, ut Plinius tradit (1), vetere consulto patrum parcebant: de quibus omnibus multa Burmannus (2). ceterum quum de Trajani liberto agatur, et fodinis Trajanus in Dacia atque Pannonia potitus sit, quid ni Hermiam his Procuratorem impositum arbitremur? opes eas a Trajano urbi partas indicat nummus ex aere minimo, quem Brotierus in Museo Collegii Ludovici Magni fuisse scribit (3): nam adversa illius frons Trajanum refert cum inscriptione IMP · CAES · TRAIANO · AVG · GER · DAC · P · M · TR · P · COS · VI · P · P · aversa vero Deam Monetam cum libra copiacque cornu, et titulum hujusmodi, METALLI · VLPIANI PANN ·

De translatione reliquiarum, id est cinerum ossiumque, mentio saepe fit in veterum epitaphiis (4): quibus adde claros scriptores, Tacitum de cineribus Germanici Romam ab Agrippina uxore delatis (5), et Spartianum de reliquiis Trajani, quas Tatianus, Plotina et Matidia Romam item detulerunt (6). locus reliquiis translatis religiosus esse desinebat (7).

Eas tamen loco movere, in provinciis quidem sine permissu proconsulum, Romae vero sine pontificum decreto aut jussu Principis non audebant. qua de re olim Plinius Trajanum consuluit (8), adjungens haec: *Quia sciebam in urbe nostra ex ejusmodi caussis collegium pontificum adiri solere, Te, Domine, maximum pontificem consulendum putavi, quid observare me velis.* rescripsit autem Trajanus, *durum esse injungere necessitatem provincialibus pontificum adeundorum:* eamque rem proconsulibus permisit (9). ceterum Salonia, quum de Trajani liberto ageretur, ab ipso Trajano, aut ab Hadriano, mariti reliquias transferendi jus petiit. post hunc Antoninus Pius corpora ipsa defunctorum loco moveri aliquando passus est. declarat id insignis Musei Kircheriani inscriptio, in qua exemplum etiam subjectum est ejus libelli, quem Velius Fidus per Iubentium Celsum Antonino dederat, ut permitteret sibi conjugis et filii corpora ex fictili sarcophago in marmoreum trasferre, quem via Flaminia comparaverat: *Decretumque* Principis fuisse dicitur, *Fieri Placet:* mendose enim in Grutero (10) *Feretrum* legitur.

Denique *Divi Fratres,* ut est in Digestis (11), *edicto admonuerunt, ne justae sepulturae traditum, id est terra conditum corpus inquietetur.*

(1) H. N. l. 3. c. 20. n. 24.
(2) de vectig. diss. 6.
(3) ad Tacit. iter. edit. t. 5. p. 441.
(4) Murat. p. 1467. n. 8. Grut. p. 578. n. 1. etc.
(5) Annal. l. 3. c. 1.
(6) in Hadr. c. 5.
(7) l. 44. D. de relig. et sump. fun.
(8) lib. 10. ep. 73.
(9) ibid. ep. 74.
(10) p. 607. n. 1.
(11) l. 39. de relig. et sumpt. fun.

CXXXVIII. (Fabr. p. 463. n. 92.)

M · BAEBIO · M · F · Q · N · ARN · (1) SVETRIO
MARCELLO · EQVO · PVBLICO
AED · Q · IIII · VIR · I · D · IIII · VIR · QVINQ · II ·
PATRONO · MVNICIPI · FLAMINI · DIVI
VESPASIANI
M · BAEBIVS · SVETRIVS · MARCELLVS
ET · SVETRIA · RVFA · PATRI · OPTIMO
HVIC · DECVRIONES · FVNVS · PVBLICVM
STATVAM · EQVESTREM · CLIPEVM
ARGENTEVM · LOCVM · SEPVLTVRAE
DECREVERVNT · ET · VRBANI · STATVAM · PEDESTREM

Marcus Marcellus, cui monumentum filii fecerunt, ortu quidem ex Baebia gente, adoptione vero ex Suetria fuisse videtur. aliam enim sub Augustis rationem iniere veteres ad gentem, ex qua prodierant, indicandam: cujus rei exempla vulgo invenies.

Hunc Decuriones Teatini (ad illud enim municipium lapis hic sepulcralis pertinet) Romano plane more honorarunt: nam iisdem honoribus Romani claros viros prosequebantur. ita exempli caussa elatus est L. Vitellius A. Vitellii Imp. pater, et statua donatus: *Defunctum*, inquit Svetonius (2), *senatus publico funere honoravit, item statua pro Rostris*. funus autem Romae publicum non habebatur, nisi a senatu decretum esset (3): qui etiam pompae magna pars erat. de toto apparatu et ordine funeris scripsit Gutherus (4). de Clypeis vero dixi ad inscr. XVII. scripsere autem veteres, ut libuit, *Clypeum* et *Clupeum* et *Clipeum*, ut est apud Charisium (5).

Vrbani demum, qui decurionum studium aemulati sunt, et statuam Baebio pedestrem decreverunt, sunt ipsa municipii Teatini plebs: quam in rem lege, quae subjecimus inscriptioni LXXXII. pedestres statuas Romae longo tempore in auctoritate fuisse, affirmat Plinius (6): Tullius vero, qui et ipse Ser. Sulpicio in legatione mortuo pedestrem decrevit, sic de equestrium statuarum origine nos edocet (7): *Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in nostra familiaritate sermones, gratior illi videtur, si quis est sensus in morte, aenea statua futura, et ea pedestris, quam inaurata equestris: qualis est L. Suliae prima statua: mirifice enim Ser. Sulpicius majorum continentiam diligebat, hujus saeculi insolentiam vituperabat.*

(1) *Marci Filio, Quinti Nepoti, Arniensi tribu.*
(2) in Vitell. c. 3. n. 2.
(3) Tacit. Ann. l. 3. c. 48.
(4) de jur. Man. l. 1. c. 24. et l. 2. c. 1.
(5) lib. 1. p. 59. ed. Putsc.
(6) H. N. l. 34. c. 6. n. 15.
(7) Phil. 9. c. 6. n. 13.

CXXXVIIII. (Fabr. p. 460. n. 88.)

C · VELLEIO · C · F · PAL · (1) VRBANO
MAG · FAN · DIAN · TIF · (2)
HONORATO · EQVO · PVBLIC ·
AB · IMP · ANTONINO · AVG ·
CVM · AGERET · AETATIS · ANNVM · V ·
C · VELLEIVS · VRBANVS · ET · IVLIA (*a*)
NICE · PARENTES · D · D · D · (*b*)

Cajum Vellejum ideo *Magistrum* appellatum esse censeo, quod adolescentior Dianae sacris praefuerit, eique sacerdotes, popae, aeditui omnes Fani Tifatini dicto audientes fuerint.

Tifata plurale nomen, inquit Cellarius (3), *mons Capuae qui imminet*. Livius *imminentes Capuae colles* appellat (4). *in Tabula Augustana*, addit Cellarius, *duae aedes in collibus supra Capuam conspiciuntur; alteri quae ad occasum vergit, adscriptum est* Ad Dianam; *alteri orientem respicienti* Iovis Tifatinus. de templo autem Dianae scripsit Pausanias (5): Σταδιους δε ὡς τριακοντα απεχει μαλιστα Καπυης το ἱερον: quod templum Sulla, Vellejo teste, non uno fundo ditaverat. *Post victoriam*, inquit, *qua descendens montem Tifata cum Cajo Norbano concurrerat Sulla, grates Dianae, cujus numini regio illa sacrata est, solvit: aquas salubritate, medendisque corporibus nobiles, agrosque omnes addixit Deae. hujus gratae religionis memoriam inscriptio, templi affixa posti, hodieque tabula testatur aerea intra aedem* (6). ita ex Lipsii lectione; nam locus hic mendis non caret, quae ille tollere conatus est (7). ad fines ipsos quod attinet locorum, quos Sulla Dianae dicaverat, inscriptio vetus apud Pratillum (8) nos edocet, eos primum ab Augusto, deinde a Vespasiano esse restitutos.

Vt hic Vellejus quinquennis Equo Publico honoratus dicitur, sic M. Aurelius ab Hadriano sexennis (9) accepit; item, ut est in epitaphio apud Marsilium (10), Vlpius quidam, qui puer octo annorum obierat; quem sane honorem eos ab Imperatoribus parentum maxime gratia adeptos esse, fatendum est. at ecquem ex Antoninis fuisse hunc dixerim? obscura omnino res est. sed Antonini Pii erga Campanos, quam supra laudavi, liberalitas facit, ut ipsum designari putem: quippe et lapis hic in Campania ad ipsam Capuam repertus est. porro C. Vellei parentes locum a Decurionibus publicum impetrasse videntur; ubi filio titulum ponerent, ob eamque rem adscriptum esse, locum *Datum Decreto Decurionum*, sepulturae scilicet, ut in praecedente inscriptione perscriptum est (11).

(1) *Palatina tribu*.
(2) *Magistro Fani Dianae Tifatinae*.
(*a*) Tam Pratillus V. App. p. 283. quam Danielius Numism. Capuan. p. 86. qui hunc lapidem se vidisse testatur, hic legunt TVLLIA pro IVLIA. Praeterea idem Danielius, quippe qui in hoc lapide vestigia viderit statuae olim superpositae, putat inscriptionem non funebrem esse, sed honorariam.
(*b*) Danielius legit L. D. D. D.
(3) l. 2. c. 9. sect. 4. n. 479.
(4) l. 7. c. 21. n. 29.
(5) lib. 5. c. 12. *Templum autem Capua abest stadiis ad summum triginta*.
(6) l. 2. c. 25.
(7) V. Maff. Art. Cr. L. l. 2. c. 2. p. 42.
(8) V. App. l. 3. c. 1. p. 281.
(9) Capitol. in M. Aur. c. 4.
(10) Danub. t. 2. p. 95. n. 5.
(11) et apud Don. Cl. 10. n. 58. P. L. D. D. D. id est ped. 50.

CXXXX. (Fabr. p. 176. n. 351.)

DIS · MANIB ·
L · OGVLNIO · C · F · ARN · (1) VELO
EQVO · PVBLICO · PRAEFECTO
TVRM · ALAE · II · LEG · I · MINERV · (2)
VIX · ANN · LIIX · MENS · VII ·
D · XVIIII · EX · TESTAMENTO
M · OGVLNIVS · L · F · ARN · AVCTVS
EQ · ROM · PATRI · OPTIMO
PONI · CVRAVIT · H · M · D · M · A ·
IN · FRONTE · PED · XIII ·
IN · AGRO · PEDES · XVI ·
H · MONVM · VSTRINVM · APPLIC ·
NON · LICET

Alae dictae exercitus, inquit Gellius (3), *equitum ordines; quod circum legiones dextra sinistraque, tamquam alae in avium corporibus, locabantur*. verum in Alis non equites solum, sed etiam pedites fuere, hi in cohortibus, illi in turmis (4), omnes ex sociis sive auxiliaribus, qui et Alarii appellati (5). at Ogulnius equitatui praefuerat: idcirco dicitur *Praefectus Turmarum*.

Equitum autem Romanorum militias ita ordinaverat Claudius Aug. (6) ut post Cohortem auxiliarium nempe, non legionariorum, Alam daret, post Alam Tribunatum legionis; quum hunc Augustus ante dare, quam Alam, soleret, et singulis Alis binos plerumque laticlavios praeponeret (7). porro legio quaelibet duas habebat Alas, ut ipsa inscriptio praemonet: quare Tullius etiam Marcum filium adloquens dixit, *Quum te Pompejus Alae alteri praefecisset* (8): ad quem tamen locum Graevius delendum putabat το *Alteri*, quod legionem Tullius non memoret, ad quam Ala spectaret: quasi vero eam filius ignorare ullo modo posset.

Monumentum patri, quale testamento jusserat, ponendum curavit M. Auctus: adscripsitque formulam, *Huic Monumento Dolus Malus Abest:* dolus utique malus, sive fraus, nam veteres *Dolum bonum* pro sollertia dicebant, maxime si adversus hostem vel latronem quis machinaretur (9). id autem erat, ni fallor, profiteri, se scientem non fallere, nec volentem publico in loco monumentum aedificasse: quod adnotasse, non nihil forsitan intererat: nam *si in locum*, inquit Vlpianus (10), *publicis usibus destinatum intulerit quis mortuum, Praetor in eum judicium dat, si dolo fecerit; et erit extra ordinem plectendus, modica tamen coërcitione: sed si sine dolo, absolvendus est*. ceterum singulariae illae litterae deprecantis quoque formulam indicare possunt: saepe enim omnibus litteris scriptum leges ABESTO, et apud Gorium (11), *Ab Iis Omnibus Dolus Malus Abesto Et Ius Civile*, fraus nempe et lites.

(1) *Arniensi tribu*.
(2) *Turmarum Alae secundae Legionis Primae Minerviae*.
(3) N. A. l. 16. c. 4.
(4) Lips. de Mil. R. l. 2. dial. 7.
(5) Caes. B. G. l. 1. c. 24. n. 51.
(6) Svet. in Claud. c. 25. n. 1.
(7) idem in Aug. c. 38. n. 2.
(8) de Offic. l. 2. c. 13. n. 457.
(9) l. 1. §. 3. D. de dol. mal.
(10) l. 1. D. de dol. mal.
(11) t. 1. Inscr. p. 195. n. 8.

Lex erat XII. Tabularum *Hominem mortuum in urbe ne sepelito, neve urito.* ideireo extra pomoerium fere sepulcra exeitabantur, sive in hortis sive in agris, maxime propter viam: quorum pleraque in Appia et Aurelia et Flaminia fuere. quum autem quae terrae pars sepultum aut humatum aceeperat, ea multa religiosa jura eomplecteretur, et saera omnino esset, ut arari colique sine scelere non posset: ne quis locum cadavere cineribusve illatis jam religiosum saeruuque violaret, definiri plerumque spatium solebat loci religiosi, quantum quaqua versus pateret: ut hie, *in fronte pedes tredecim, in agro pedes sexdecim.* ita demum agricolae sciebant, quid puri loci, id est neque saeri neque religiosi relinqueretur. formula autem non una fuit, et alias alio loco afferemus (1).

Quod monumentis quibusdam, ut huie, adscriptum sit, *Vstrinum applicari,* id est apud ea cadaver uri *non licere,* hoc Fabrettus (2) ad Augusti legem pertinere arbitrabatur, qua lege vetuisse dicitur (3), ne cadavera intra XV. ab urbe stadium eremarentur: quare monumentum hoc ab urbe minus quam stadia quindecim abfuisse putandum est.

Vstrini veteris parietinae quaedam nunc quoque sunt via Appia ad quintum lapidem: formam ejus videre licet apud Sponium (4), quamquam aream aedificii male dimensus est, ut Fabrettus deprehendit (5). carcerem dicerres ingentem sine tecto: muros habebat quatuor ex lapide Albano insignis magnitudinis. frons ipsa et pars postica ducentorum pedum erat, latera trecentorum et quadraginta. Vstrinum illud commune multorum recte duxeris, ibique erernata corpora eorum, qui sepulcrum via Appia habebant.

CXXXXI. (Vit. Ant. Ben. Cl. 7. n. 11)

D · M · S ·
Q · PLOTIVS · Q · F · QVIR · (6)
ROMANVS
EXORNATVS · EQVO · PVBL ·
HONORIBVS · FVNCTVS
IN · COLONIA · HOSTIENSI
DECESSIT
SVPERSTITIBVS · PARENTIBVS

Quintus Plotius cognomento *Romanus,* patriam habuit, ut opinor, Beneventum: Beneventani certe lapidem ejus sepulcralem nacti. multos autem apud Gruterum (7) invenies, qui *Romani* cognominati sint.

Colonia, in qua Plotius honoribus functus est, antequam illue iret, plenissime *Ostiensis* dicebatur: postquam eo venit, tamquam si Arrius ille Catullianus revixisset, jam non Ostiensis sed Hostiensis esse coepit. nec tum aliquis fortasse apud Beneventanos ex eruditorum grege deerat, qui non aliter scribendum esse censeret.

Monumentum a parentibus factum erediderim: quibus *superstitibus* decessisse Plotius dicitur, vel quod id ex voto ejus fuisset, vel quod contra votum parentium contigisset.

(1) lib. 2. part. 1. c. 3.
(2) p. 230. col. 1. G.
(3) Dio lib. 48. p. 383. B.
(4) Sect. 9. p. 290.
(5) p. 231. col. 2 A.
(6) *Quirina tribu.*
(7) p. 3. n. 7. p. 17. n. 9. etc.

CXXXXII. (Fabr. p. 167. n. 314.)

Q · SEPTIMIO · Q · F ·
SCA · (1) PRIMO
PRAEF · FAB · AED ·
II · VIR · PONT ·
HVIC · PVBLICE · D · D · FVNVS
LOCVSQVE · SEPVLTVRAE
DATVS

Inscriptio haec apud Florentinos est, quam et Gorius edidit (2), *honorarium marmor* esse, minus vere arbitratus.

Praefectos fabrûm militares legioni alicui singulos addictos fuisse, constat, quae in eorum titulis ciebatur, quemadmodum in Q. Fabii Calatini epitaphio videre potes (3). at, hic de legione nulla mentio. quam igitur praefecturam Septimio delatam dicemus? fabrûm quidem, sed municipalium: quippe collegia fabrûm in municipiis fuisse, aliae etiam inscriptiones testantur (4). si vero de institutionis caussa me percontaris, hanc potissimum fuisse arbitror, ut essent, a quibus incendia arcerentur et compescerentur. id me Plinius docuit in epistola ad Trajanum (5), quam exorsus ab incendii narratione, quo Nicomediae multae privatorum domus et duo opera publica absumpta fuerant, conclusit his verbis: *Tu, domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum, dumtaxat hominum* CL. *ego attendam, ne quis, nisi faber, recipiatur, neve jure concesso in aliud utatur; nec erit difficile custodire tam paucos.* cui rescribens Trajanus, *Tibi quidem,* inquit, *secundum exempla complurium in mentem venit, posse collegium fabrorum apud Nicomedienses institui.*

Post praefecturam fabrûm aedilitate Septimius functus est, deinde duumviratu. aediles igitur, qui aliquot in urbibus, ut ad inscript. XXXXVI. admonui, summus magistratus erant, in Septimii municipio infra duumviros censebantur: quemadmodum Romae infra praetores ac consules.

CXXXXIII. (Grut. p. 399. n. 1.)

COTTIA · A · COTTI · F · GALLA
TESTAMENTO · FIERI · IVSSIT
A · COTTIO · PATRI · PRO · COS ·
HISPANIAE · ET · PACVLLAE · MATRI · ET
A · COTTIO · FRATRI · QVAESTORI · AED ·
PLEBI · ET · MEMMIAE · GALLAE · AVIAE
HVIC · MONVMENTO · TVTELAE · NOMINE
CEDVNT · AGRI · PVRI · IVGERA · DECEM · ET
TABERNA · QVAE · PROXIME · EVM · LOCVM · EST

(1) *Scaptia tribu.*
(2) t. 1. p. 213. n. 1.
(3) Inscr. 135.
(4) Murat. p. 2016. n. 1. etc.
(5) lib. 10. epist. 42.

Tutelam dixere veteres curam, qua sarta tecta (1) praestabantur; et *redemptores tutelae*, qui eam curam recipiebant (2). operosum vero A. Cottii sepulcrum quis non putet, in cujus tutelam Cottia agri jugera decem, ac praeterea tabernam legaverit? sed quo, inquies, et ager et taberna pertinebat? ut servo nempe, qui custodiae caussa impositus, a monumento discedere non debebat (3), et fundus esset, unde viveret, et domus, ubi habitaret. tabernarum hujusmodi, quae et *Dietae* aliquando appellantur, saepe in priscis epitaphiis mentionem fieri, jam a Clemente Blasio adnotatum est (4).

CXXXXIIII. (Maff. M. V. p. 147. n. 2.)

D · M ·
M · CONCENETI
MARCELLINI · M ·
CONG · (5) IVSTINVS
SI · MAIOR · AVCTORITAS
PATRIMONI · MEI · FVISSET
AMPLIORI · TITVLO · TE
PROSECVTVS · FVIS
SEM · PIISSIME · PATER

Patrimonii auctoritas, quam Iustinus majorem optabat, ut ampliori monumento parentem suum honoraret, opes erant et pecunia magnis sumptibus par. *auctoritatem* enim pro *jure et dominio* dixere: ut in XII. Tabulis, *Adversus Hostem Aeterna Auctoritas*, idest peregrinus, qui nostrum possidet, id nullo tempore potest usucapere (6).

Titulum autem pro ipso sepulcro non raro leges in veterum epitaphiis (7). notandum hic, inscriptionis hujus litteras plerasque, ut videre licet in Museo Veronensi, ob marmoris angustias, loco motas contractioresque ceteris, sinus harum aut fastigia tenere.

(1) Guth. de Iur. Man. l. 2. c. 31.
(2) Plin. H. N. l. 35. c. 3. n. 4. v. l. 2. part. 1. c. 2. §. 2. n. 3.
(3) l. 71. §. 2. D. de condit. et demonstr.
(4) Syll. vet. inscr. Oder. p. 324.
(5) *Marcus Congius*.
(6) Cic. de Offic. l. 1. c. 12. n. 37.
(7) Maff. M. V. p. 171. n. 1. Grut. p. 551. n. 5. etc.

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CXXXXV. (Crut. p. 185. n. 1. 2.)

C · CESTIVS · L · F · POB · (1) EPVLO · PR · TR · PL · (2)
VII · VIR · EPVLONVM
OPVS · APSOLVTVM · EX · TESTAMENTO · DIEBVS · CCCXXX ·
ARBITRATV
PONTII · P · F · CLA · (3) MELAE · HEREDIS · ET · POTHI · L · (4)

Haec Romae adhuc leges in C. Cestii pyramide, de qua multa scite admodum edisseruit Octavius Falconierus (5). C. Cestius cognomine Epulo dictus est, ut qui in Mutia gente *Augures*, in Licinia *Sacerdotes* appellati sunt: idemque septemvir Epulonum fuit, ex quo forsitan sacerdotio majores ejus *Epulones* nominari coepti erant.

Ad pyramidum moles quod attinet, audiendus est Servius, ubi de Virgiliano illo regis Dercenni busto (6), *Apud majores*, inquit, *Nobiles aut sub montibus altis aut in ipsis montibus sepeliebantur. unde natum* est, *ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnae.* tumulum hujusmodi Marcio Coriolano fecere Volsci, uti narrat Dionysius Halicarnasseus (7), eodem in loco, ubi corpus crematum fuerat, χωματι ὑψηλῳ δια πολυχειριας εργασθεντι, μνημα επισημον εργασαμενοι. pyramidem etiam imitabatur Scipionis Aemiliani sepulcrum in campo Martio (8) (*a*); eademque forma quin alia ante Cestium exstructa fuerint, non dubito. sed Cestii tamen sive ipsius Augusti aetate alias quoque sepulcrorum sive Mausoleorum formas jam usus invexerat; quale manet in via Appia monumentum Caeciliae Metellae, et quod Cajetae est, Munatii Planci: quae fana potius, quam sepulcra videntur. item Veronae qui arcus triumphalis habitus est, Gaviorum sepulcrum Maffejo teste fuit (9): cui addi potest, ubicumque exstitit, funebris certe, arcus in Drusi majoris antiquo nummo conspicuus (10), cujus fastigium hinc tropaeo inde cupressu ornatur, mediumque exhibet Drusum in equo, qui labenti similis apparet, nempe ut Drusi mors significaretur. has porro sepulcrorum formas a privatis primum excogitatas puto, non modo ut monumenta suorum magnificentius ornarent, sed etiam ut legis Iuliae sumptuariae poenam effugerent: quod Tullius indicat, ad Atticum (11) de filiae monumento scribens: *sepulcri similitudinem effugere non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar* αποδεωσιν. eaque de caussa in his omissa dedicatio D. M.

(1) *Poblilia tribu.*
(2) *Praetor Tribunus plebis.*
(3) *Claudia tribu.*
(4) *Liberti.*
(5) in Thes. Graev. t. 4. p. 1462.
(6) ad Aen. l. 11. v. 849.
(7) Ant. l. 8. p. 528. *excelsa mole multorum manibus exstructa, sepulcrum insigne fabricati.*
(8) Acron ad Hor. Ep. Od. 9.
(*a*) At Acron loc. cit. non *in campo Martio*, sed in *Vaticano* constitutam fuisse ait hujusmodi pyramidem.
(9) Mus. Ver. p. 195. et Ver. M. l. 6. p. 229. ed. pr.
(10) Neap. apud Ianuar. Parrin.
(11) lib. 12. epist. 36.

CXXXXVI. (Egiz. opusc. p. 31.)

DECRETO · DECVRION ·
LOCVS · SEPVLTVRAE
PVBLICE · DATVS
L · AVSIDIO · L · F · HOR · (1) MONTAN ·
COMITI · C · CALVISI · SABINI

Quod Ausidius *Comes* Sabini appelletur, idem esse Egizius putabat, ac si socius diceretur, in militaribus nempe itineribus Sabinum sequutus. verum iis ipsis, quibus Sabinus floruit, temporibus custodes adolescentium et morum magistros *Comites* appellatos esse, sexcentis exemplis confirmavit Martorellius (2), Egiziumque obiter perstrinxit. Virgilius, ne exempla omnia praetermittam, *Custodem Comitemque* impubis Iuli Epitydem appellavit (3); idemque de Bute sene ait: *Tum Comitem Ascanio pater addidit* (4); ac de Acoete (5),

. . . . . *sed non felicibus aeque*
Tum Comes auspiciis caro datus ibat alumno.

Svetonius etiam Thrasyllum Tiberii custodem *Comitem* dixit (6): et *Comitem* ac *rectorem* M. Lollium, qui custos Cajo Tiberii privigno datus fuerat (7).

C. Calvisii Sabini nomine tres in fastis consules appellantur: primusque eorum consulatum gessit anno v. c. Varr. DCCXV. alter anno DCCL. tertius anno DCCLXXVIIII.

CXXXXVII. (Fabr. p. 157. n. 262.)

D · M ·
P · OCTAVIO · FELICI
BENEMERENTI · AVR ·
CONCORDIVS · AVG ·
LIB · AMICO · INCON
PARABILI · DONAVI

Locum hic Concordius se donasse testatur, quo amici ossa inferrentur, ne in eo tumulanda essent, quod miserae plebi, uti ait Horatius (8), stabat commune sepulcrum. nam ea fortasse Octavio tenuitas fuerat rei familiaris, ut ne agellum quidem haberet proprium, in quo sibi sepulcrum pararet.

CXXXXVIII. (Maff. M. V. p. 155. n. 2.)

M · GELLIO · M · L · DIOCLI · DAT
DE · SVO · M · GELLIVS · FAVSTVS
LEIBERT ·

(1) *Horatia tribu.*
(2) Th. Cal. l. 1. c. 7. n. 16.
(3) Aen. l. 5. v. 546.
(4) ibid. l. 9. v. 649.
(5) ibid. l. 11. v. 33.
(6) in Aug. c. 98. n. 3.
(7) in Tib. c. 12. n. 3.
(8) l. 1. Sat. 8. v. 10.

Faustum, qui se libertum, non collibertum, nominat, ab ipso Diocle manumissum puto: quum alios jam libertorum libertos indicaverim ad inscript. XVII. cur autem Diocles patronus non appelletur, nescio; nisi forte ea fuit caussa, quod viveret adhuc, qui Dioclem manumiserat.

CXXXXVIII. (Maff. M. V. p. 155. n. 7.)

C · IVLIVS · THAMYRVS
M · ANNIVS · PHILIPP ·
FILIVS · ET · PATER
HIC · ERVNT

Pietatem prodit suam Thamyrus, qui in sepulcrum, quod parenti et sibi paraverat, se prius, quam parentem, inferri velle, non obscure significet.

CL. (Gorius Inscr. t. 1. p. 25. n. 43.)

D · M ·
BENE · OSSIBVS
CINERIBVSQ ·
Q · CANINI
MARTIALIS
CANINIVS
EVTYCHES
FRATRI
B · M ·

CLI. (Fabr. p. 719. n. 413.)

AVE
OCTAVI · ALE
XANDER · QVI
VIXISTI · AN
NOS · XXVII ·

Haec vero viatores propter viarum margines quum praetereundo legerent, nec cogitantes quietem mortuis precabantur: hi contra, ut ait Varro (1), admonebant, *et se fuisse, et illos esse mortales*.

(1) de L. L. l. 5. c. 6.

CLII. (Maff. Ant. Gall. epist. 18.)

D · M ·
SVLPITIO
NOTO
ADESTE
SVPERI

Ad epitaphium hoc Maffejus, *Fuisse*, inquit, *apparet* inter *Ethnicos, quibus ipse pater Pluton ceterique inferi sorderent Dii, Sulpitio siquidem ex vivis sublato ut faveant, Caelicolae advocantur et supera alta tenentes:* in eadem fere sententia fuit Montfaueonius (1): eui tamen, atque, ut arbitror, recte, non auctor monumenti, sed ipse Sulpitius e sepulcro Deos Caeli preeari videtur, *ut urnam suam tutam praestent ab injuriis, quae inferri poterant.*

Enimvero quum defuncti sub ditione inferorum Deorum esse putarentur, atque, ut de Pallante Virgilius (2), nil jam caelestibus ullis deberent; minime animum inducere possum, ut credam, Deos caelestes a Sulpitio invocari; sed illud potius ab eo peti arbitror, ut qui vitam in terris degunt, quos ii, qui infra nos sunt, *Superos* recte vocant, ii sibi faveant, tumulum suum tueantur, ossa sua ne inquietent. superos certe, qui adhue viverent, saepe appellatos invenies, ubi mortuis opponerentur. unum Velleii locum de Pompejo proferam: *Quam*, inquit, *apud* Superos *habuit magnitudinem, illibatam detulisset ad Inferos* (3).

CLIII. (Maff. ibid. epist. 6.)

VIVONT
T · PACONIVS
T · L · ALEXA
OCTAVIA · Ↄ · L · (4)
ASIA

Paconius et Octavia quum sepulcrum sibi ex multorum more vivi fecissent, ut vacuum illud etiamtum esse admonerent, inscripserunt, se vivere: quod saepius unica littera V nominibus apposita significabant.

Proprie autem sepulcrum non erat, si Festum audias, nisi in quo mortuus sepulturae datus esset: itaque id Tullius ceteris monumentis opposuisse videtur, quasi nusquam esse posset, nisi ubi corpus conditum servaretur. nam sic exsilii poenam a Milone deprecatus ille est (5): *Hiccine vir patriae natus, usquam, nisi in patria morietur? aut, si forte pro patria, hujus vos animi monumenta retinebitis: corporis in Italia nullum Sepulcrum esse patiemini?*

Sepulcrum, ut dixi, veteres quoque, dum viverent, non raro ipsi sibi parabant, sed ea de caussa, ne forte, incuria haeredum, sepultura sibi, quod miserrimum habebatur, carendum esset. quo spectant Thyesteae illae apud Ennium preces (6):

(1) Ant. Expl. t. 5. l. 3. p. 74.
(2) Aen. l. 11. v. 52.
(3) lib. 2. c. 48. v. Fabr. p. 264. n. 93.
(4) *Cajae Liberta.*
(5) pro Milon. c. ult.
(6) v. Abram. comm. l. c.

Neque sepulcrum, quo recipiatur, habeat portum corporis,
Vbi, remissa humana vita, corpus requiescat a malis:

et quae id genus alia de naufragis maxime queri poëtae ferali carmine solent.

CLIII. (Maff. M. V. p. 263. n. 11.)

D · M ·
C · LICINIO
MIDONI
B · M · ΜΙΔΩΝ
GRANIA · EPI ΟΥΔΕΙΣ
CTESIS ΑΘΑΝΑΤΟΣ
FECIT · CON ΚΑΙ · Ο · Η
IVGI · DVLCI ΡΑΚΛΗΣ
ΑΠΕΘΑ
ΝΕ

ΕΥ
ΨΥΧΙ

Bono animo sis, inquit Grania, *o Mido; nemo enim immortalis: Hercules quoque mortuus est.* Ευψυχι est hic pro Ευψυχει, quemadmodum etiam apud Gruterum (1). sententiam autem huic Graniae suppeditavit Homerus (2), apud quem ita se Achilles solatur de morte, quae mox sibi oppetenda erat:

Ουδε γαρ ουδε βιη Ηρακληος φυγε κηρα,
Οσπερ φιλτατος εσκε Διι Κρονιωνι ανακτι:

eodem spectat sententia altera, sed brevior apud Gruterum (3): Καλλιστη, Ουδεις Αθανατος.

CLV. (Gorius Inscr. t. 1. p. 191. n. 6.)

C · IVLIO · AVG · L · PHOEBO
RVFIONINO
CESTVS · DE · SVO · FECIT
ΤΟΥΣ · ΑΓΑΘΟΥΣ · ΚΑΙ · ΘΑΝΟΝΤΑΣ
ΕΥΕΡΓΕΤΕΙΝ · ΔΕΙ

Caussam Cestus affert, cur monumentum Phoebo exstruxerit; eaque non necessitudo aliqua, aut haereditas legatumve fuit, sed ipsa viri probitas: quippe hominibus, inquit, probis benefaecre oportet vel mortuis.

Sententiam porro addere epitaphio aliquam sive Graecam sive Latinam, non omnino inusitatum fuit, praesertim in hominum privatorum monumentis (4). ex Appiano autem didici, et in Pompeji Magni tumulo adscriptum fuisse (5),

Τῳ ναοις βριθοντι πασι σπανις επλετο τυμβου;

nempe, *Qui templis oneratus fuerat, huic ut paene deerat sepulcrum?* quod deinde Hadrianus magnificentius exstruxit (6), et, si Dionem audias, Graeco illo versu nobilitavit (7).

(1) p. 769. n. 4.
(2) Iliad. l. 18. v. 117.
Neque enim vel Hercules fatum effugit,
Quamvis carissimus esset Iovi
Saturnio regi.
(3) p. 933. n. 11.
(4) Grut. p. 954. n. 1. etc. Zaccar. Inst. Lap. l. 2. p. 270.
(5) de B. C. l. 2. p. 481.
(6) Spart. in Hadr. c. 14.
(7) l. 69. p. 1159. E.

PARS II.

EPITAPHIA FEMINARVM

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CLVI. (Gorius Inscr. t. 1. p. 53. n. 116.)

OCTAVIA
IVCVNDA
OCTAVIAE
PARTHENIONI
MATRI · SVAE · BENE
MERENTI

Libertinam fuisse Iucundam, Parthenionem vero libertam, ipsarum cognomina indicare videntur: qua de re egimus ad inscr. XVII.

CLVII. (Maff. M. V. p. 296. n. 7.)

D · M ·
AFNAE · TROPHIME · MATRI
TI · CLAVDIVS · VERVS · F ·
ARBITRATV · M · TITI · CHRESIMI

Afna sepulcrum sibi a filio fieri, testamento jusserat. ut vero filius parum pie sumptui parceret, et sepulcrum nimis angustum atque inornatum exstrueret, opus a M. Titio probari voluit. itaque quum Verus filius, quod jussus fuerat, praestitisset, idque Titius probasset, in ipso epitaphio ea res adscripta est. sepulcra aliorum arbitrio ab haeredibus exstructa non raro in veterum monumentis invenies (1): quem morem Horatius quoque attigit (2).

(1) Maff. M. V. p. 149. n. 6. etc. (2) lib. 2. Serm. 5. v. 105.

CLVIII. (Passion. Cl. 7. n. 17. ex Fabr. p. 187. n. XXXVIII.)

LICINIAE
PROCESSAE
MATRI · PIAE
NVTRICI · DVL
CISSIMAE · CRES
CENS · FECIT

Quae cui mater fuerat, ea si et lac infanti praebuisset, nutrix quoque in epitaphiis audiebat, aut certe res ipsa indicabatur, ut apud Fabrettum (1) in titulo Graxiae Alexandriae, *Quae Etiam Filios Suos Propriis Vberibus Educasse* dicitur. id vero non leve erat caritatis in matre argumentum, quum moribus veterum infantes non ante triennium mamma depellerentur (2). scripsit de nutricibus Iacobus Claudius (3).

CLVIIII. (Grut. p. 584. n. 6.)

SVLPICIAE
THALLVSAE
ANTIOCHVS · TI · CLAVDI
CAESARIS · A · BIBLIOTHECA
LATINA · APOLLINIS
CONIVGI · SVAE
BENE · MERITAE

Templo Apollinis in Palatio excitato porticus addiderat Augustus cum bibliotheca Latina Graecaque (4). unus autem utrique bibliothecae libertus praefuisse videtur, qui Praefectus Bibliothecae Palatinae diceretur, ut a Svetonio fuisse traditur C. Iulius Hyginus Aug. libertus (5). Claudium autem binos servos aut plures habuisse, alios a bibliotheca Latina, alios a Graeca, recte duxeris, quum utriusque sermonis peritus fuerit, et multa admodum et latine et graece vel in principatu scripserit (6), usus scilicet ad excerpendum opera servorum, qui sermones utriusque linguae docti essent. neque enim hunc Antiochum, ut Lipsius putabat (7), bibliothecae Latinae summum curatorem fuisse statuendum est, quum liberti eo munere fungerentur, non servi.

(1) p. 188. n. 428. infr. Inscr. 170.
(2) Grav. de leg. et S. C. n. 52.
(3) Polen. Antiquit. t. 3. p. 422.
(4) Svet in Aug. c. 29. n. 8.
(5) Ill. Gramm. c. 20. n. 2.
(6) idem in Claud. c. 42. n. 2. et c. 41. n. 3.
(7) de Biblioth. synt. c. 6.

CLX. (Grut. p. 833. n. 3. Tarracinae rep.)

TERENTIAE · VALENTIANAE
CONIVGI · INCOMP ·
AEBVTIVS · TERTIVS
ANIM · MERENTISSIMAE
CVM · QVA · VIXIT · ANN · XXV ·
SINE · VLLA · QVERELA

De maritorum concordia cum uxoribus saepe in epitaphiis mentio fit, ac hujusmodi fere sunt formulae, simul vixisse eos *sine ulla querela, sine jurgio, sine lite ulla, sine ulla discordia* (1): quemadmodum et Plinius (2) olim de Macrino amico et uxore ejus scripsit: *Vixit cum hac triginta novem annis sine jurgio, sine offensa.*

CLXI. (Grut. p. 813. n. 8.)

OPPIAE · C · F · VERAE
CLAVDIVS · SEVERVS
MARITVS · CON · SANCTISS ·
CASTAE · INCOMPARABILI
CVM · QVA · VIXIT · ANN · XVIII ·
MENS · VII · DIES · XXVI ·
IPSA · AVTEM · VIXIT
ANNIS · XXXI · D · II ·

CLXII. (Fabr. p. 107. n. 255.)

APLASIA · L · F ·
PAVLLINA
ARAS · TRES · SIBI · ET
Q · CORRIO · ANTIQVO
VIRO · SVO · ET
Q · CORRIAE · Q · F ·
PAVLLINAE
FILIAE · SVAE
TESTAMENTO · FIERI · IVSSIT
MACERIA · CIRCVMDATA

Mensam aliquando excitasse veteres ad suorum sepulcra, ostendit Passerus (3), quam putat in leg. v. Cod. de sepulcr. viol. *Triclinium sepulcrale* appellari, cenis fu-

(1) v. Lup. Ep. Sev. p. 144.
(2) lib. 8. epist. 5.
(3) Symb. Gor. Flor. vol. 1. p. 199. de mens. Iunon. v. Stat. l. 5. Silv. 1. v. 236.

nebribus destinatam; itaque ab *Aris* distinguendam esse. erant igitur Arae ipsi, ut reor, sepulcrales cippi: quos, praeter antiqua epitaphia (1), indicare videtur Virgilius illis versibus (2),

Ergo instauramus Polydoro funus, et ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant Manibus Arae
Caeruleis moestae vittis atraque cupresso,

aras vocavere, quod in his dapes libarent, inferiasque defunctorum Manibus ferrent (3).

Eas macceria clausas esse voluit Aplasia, ad tutelam ipsarum, et ut de monumenti spatio constaret, quantum pateret. nam *monumentum* (4) *sepulcri* id esse Hadrianus rescripsit (5), *quòd caussa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit*. maceriarum autem Varro quatuor esse genera dicit (6), quasdam enim fieri lapide, quasdam e lateribus coctilibus, quasdam e lateribus crudis, quasdam et ex terra et lapillis compositis in formis.

CLXIII. (Maff. M. V. p. 149. n. 4.)

D · M ·
ANNIAE
AQVILINAE
COLLACTA
NEAE · PIEN
TISSIMAE
QVAE · VIXIT
ANN · XXVIIII · M ·
XI · DIES · XVI ·
C · IAVOLENVS · SEVE
RVS · B · M · POSVIT

Nutricem Iavolenus habuerat eandem, quam Aquilina: ideo eam *Collactaneam* appellat, quo vocabulo Scaevola (7) quoque et Vlpianus (8) usi sunt.

In antiquis epitaphiis plerique defunctorum *Piissimi* aut *Pientissimi* dicuntur. at *Piissimos* Tullius (9) verbum in lingua Latina omnino nullum esse dixit; quamquam alii post ipsum scriptores usurparunt: *Pientissimos* sola, ni fallor, marmora habent, antiqua tamen et bene multa.

(1) Grut. p. 726. n. 1. Maff. M. V. p. 285. n. 10. etc.
(2) Aen. l. 3. v. 62.
(3) Catull. carm. 101.
(4) ita in Pandect. Florent.
(5) l. 37. D. de rel. et sump. fun.
(6) de R. R. l. 1. c. 14.
(7) l. 30. D. de adim. vel transf. leg.
(8) l. 13. D. de monum. vind.
(9) Philipp. 13. c. 19. n. 43.

CLXIIII. (Fabr. p. 354. n. 67.)

D · M ·
MATRI · ET · FILIO
PRIMITIVAE · ET
FELICIONI
ALVMNIS · SVIS · FECIT
PASCHASIA · VENERANDA

Felicioni mater erat Primitiva: sed uterque apud Paschasiam educati fuerant. porro *Alumnos* eos esse Lipsius volebat, qui a parentibus expositi, ab alienis sublati domique alti essent (*a*): de quorum conditione et alimentis scripsit olim Plinius ad Trajanum (1). sed illud etiam certum est, in exemplis, quae a Fabretto afferuntur non pauca, pueros quoque ingenuos, nec sane expositos, aeque *Alumnos* nominari (2). ex his qui servi erant, ad mulieres magis, quam ad viros pertinere putabantur. quare Martianus (3), *Alumnos*, inquit, *magis mulieribus est conveniens manumittere*. idcirco et sepulcrum his Paschasia faciendum curavit.

CLXV. (Fabr. p. 146. n. 175.)

FLAVIAE · CAPITOLINAE · CVI · ET · PACCIAE
MACEDONIS · AVG · LIB · CONIVGI
ZOTICVS · AVG · LIB · SORORI · BENEMERENTI

Zotici soror non solum *Flavia Capitolina*, sed et *Paccia* vocitata est. ideirco adscriptum *Cui Et Pacciae*, id est, nomen fuit. ita in Museo Veronensi *Phoebus Qui Et Tormogus* (4) et apud Passioneum *Q. Casselius Felix, Qui Et Iustus* (5): nec alia alibi exempla desunt.

Macedonis et Zotici, qui liberti Augusti dicuntur, patronus fortasse fuit Hadrianus, de quo dicam ad inscr. CLXX. num vero Capitolina Flaviorum liberta fuit, quum et liberti conjux et Flavia appelletur? negat Fabrettus (6), ex nomine mulierum id argui posse, quod fieri solet de libertis: sequiturque Castalionis judicium docentis (7) idem in ancillis, quae manumitterentur, non aeque obtinuisse.

(*a*) Cl. Auctor in priore operis editione hic citat Lipsii epist. 8. cent. 1. ad Belg., sed in ea epistola nihil hujusmodi legitur: in epist. vero 85. ejusdem centuriae multa afferuntur de liberorum apud veteres expositione, at de vi et significatione vocis ALVMNVS ne verbum quidem. Culpandus Fabrettus, qui p. 349. F. id falso affirmavit, quemque temere sequutus est cl. Auctor.

(1) lib. 10. ep. 71.
(2) pag. 349. et seqq.
(3) l. 14. D. de monum. vind.
(4) p. 420. n. 5.
(5) Cl. 8. n. 28.
(6) p. 711. n. 328.
(7) ad L. 1. C. Quae res pig. obl. poss.

§ II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CLXVI. (Fabr. p. 705. n. 259.)

HELVIAE · FELICISSI
MAE · CONIVGI · SANC
TISSIMAE · QVAE · SIC
VT · OPTAVIT · SVPER
STITIBVS · MARITO
ET · LIBERIS · DIEM
SVVM · FVNCTA · EST
P · AELIVS · FRVCTVOSVS · MARITVS · QVI
CVM · EA · VIXIT
ANNOS · XXII ·

Diem fungi idem ac *vita fungi*, id est mori: usurpavit inter Latinos scriptores Iustinus (1): *Mago*, inquit, *quum imperium Poenorum condidisset, diem fungitur*.

Hujusmodi autem formulas excogitarunt veteres ominis caussa, atque, ut a Brissonio animadversum est (2), δυσφημιας vitandae gratia, ne mortis infaustum illud nomen nec opinantibus offerrent: quod alii tamen contempserunt,

CLXVII. (Dorvill. Syll. Inscr. n. 94.)

T E R M I N I A E
Q · F · S A B I N A E
B R I T I A · S A B I N A
MATER · P · (3) VIX · A · XXVI ·
QVOD · PAR · PARENTI · FACERE
FVERAT · FILIAM · MORS · IMMA
TVRA · FECIT · VT · FACERET · MATER · FILIAE
IN · F · P · XV · IN · A · P · XV · (4)

Sic apud Adamium (5), *Quod Par Parenti Fuerat Facere Filium, Mors Immatura Fecit, Vt Faceret Pater*. aequius nempe fuerat, qui prius introierant, priores exire de vita.

(1) init. lib. 19.
(2) de Form. l. 8. p. 727. et Henel. ot. Vratisl. c. 20. etc.
(3) *Posuit*.
(4) *In Fronte Pedes* 15. *In Agro Pedes* 15.
(5) Fragm. Firm. l. 1. c. 4.

CLXVIII. (Fabr. p. 275. n. 162. at nunc emendatior ex Venut. Monum. Mattheian. tom. 3. p. 141.)

D · M · S ·
PLAETORIAE
ANTIOCHIDI
RARISSIMAE · FEMINAE
VIX · ANN · XXVI · M · III · D · XXIV · H · X · (1)
T · FLAVIVS · CAPITO
CONIVGI · CASTISSIMAE
PIISSIMAE · ET · DE · SE
OPTIME · MERITAE
DE · QVA · NVLLVM · DOLOREM
NISI · ACERBISSIMAE · MORTIS · EIVS
ACCEPERAT · DIGNISSIMAE · FECIT

Quos vixerint, anni ae menses etiam et dies in defunctorum titulis fere semper, aliquando et horae adscriptae sunt (2). quorsum id pertineret, ignoro: nisi forte ad horoscopum et natalitias divinationes referebant. ceterum nimiam ejusmodi diligentiam amavit Augustus, alia tamen, ut reor, de caussa, qui (3) *ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, sed et noctis, quibus datae significarentur, addebat.*

Quam hic concordiam de Plaetoria sua praedicat Capito, alii quoque, ut paullo ante monebam, de uxoribus suis in earum epitaphiis celebrant, veterum cum uxoribus simultatum obliti. idem et versibus fere expressit Propertius de Cornelia Paulli, quae matri Scriboniae numquam nisi moriens displicuerat (4):

Nec te, dulce caput, mater Scribonia, laesi:
In me mutatum quid, nisi fata, velis?

CLXVIIII. (Gutberleth. in Polen. t. 4. Antiq. p. 330.)

HERIAE · THISBE
MONODIARIAE
T · CLAVDI · GLAPHYRI
CHORAVLAE
ACTIONICAE
ET · SEBASTIONICAE
TERRENVM · SACRVM
LONGVM · P · X · LAT · P · X ·
IN · QVO · CONDITA · EST
FODERE · NOLI · NE
SACRILEGIVM · COMMITTAS

(1) *Menses* 3. *Dies* 24. *Horas* 10.
(2) Fabr. p. 63. n. 1. etc.
(3) Svet. in Aug. c. 50. n. 2.
(4) lib. 4. el. ult. v. 55.

Thisbe uxor Glaphyri Monodiaria erat; id est quae in scena, choro tacente, sola caneret: nam Μονωδιαν dixere sicinnium sive cantilenam singularem, uti et Hesychius nos docuit (1).

At vir ejus insignis Choraules, qui ad chori cantum tibia sonabat, ceu vel nomen ipsum significat. hujus autem tantum fuit artificium, ut in musicis certaminibus bis primas tulerit, Nicopoli ut arbitror et Neapoli. nam urbem Nicopolim teste Svetonio (2) apud Actium condidit Augustus, *ludosque illic quinquennales constituit,* quos Ακτια vocat Strabo (3), et Olympicis comparat. Neapoli vero quinquennale item certamen honori Augusti institutum, constat: quamquam id a Svetonio *Gymnicum* appellatur (4), quum a Strabone Ἱερος Αγων nominetur Μουσικοστε και Γυμνικος (5). porro Glaphyrus ob victoriam, quam Nicopoli consequutus fuerat, *Actionices* Graeco more et nomine appellatus: atque ob eam, quam Neapoli adeptus erat in Augustalibus ludis, *Sebastionices* dictus: quemadmodum et Graeci illi Olympionicae, de quibus meminit Tullius in oratione pro L. Flacco (6).

Terrenum hic substantivum nomen est pro agri parte, ut Livio: *quum hostes,* inquit, *obarassent, quidquid herbidi terreni extra murum erat* (7). sepulcri autem hujus sacrum terrenum patebat quaqua versus pedes decem: quod qui fodere aut arare ausus esset, sacrilegium admisisset. nam non modo furtum rei sacrae aut ex sacro, sed quaevis etiam religionum violatio sacrilegium habebatur.

Plura in hoc epitaphium videsis apud Gutberlethum (8), qui etiam inscriptionem a multis male habitam, ex ipso villae Pincianae marmore quam diligentissime expressit,

CLXX. (Fabr. p. 188. n. 428. v. inscr. 158.)

GRAXIAE · ALEXANDRIAE
INSIGNIS · EXEMPLI
AC · PVDICITIAE
QVAE · ETIAM · FILIOS · SVOS
PROPRIIS · VBERIBVS · EDVCAVIT
PVDENS · AVG · LIB · MARITVS
MERENTI · VIX · ANN · XXIIII · M · III · D · XVI ·

Gentium Latinarum nova in dies nomina prodeunt, eaque nec Latina nec nota origine: ut peregrinae conditionis viri feminaeque, quum Romana civitate donabantur, non semper Latina sumpsisse nomina videantur. barbara sane multa vel unus tibi Fabrettus exhibeat inscriptionum suarum capite nono, in quo gentilitia nomina collegit, quorum Gruterus non meminit.

Quem ex Augustis patronum Pudens habuerit, ob praenomen nomenque omissum, nescimus. sed suspicari tamen licet, ex Hadriani libertis fuisse, quos Imperator ille, ut ait Spartianus (9), *nec sciri voluit in publico, nec aliquid apud se posse, edicto suo omnibus superioribus Principibus vitia imputans libertorum, damnatis omnibus*

(1) V. Μονωδια.
(2) in Aug. c. 18. n. 3.
(3) lib. 7. p. 325.
(4) in Aug. c. 98. n. 5.
(5) lib. 5. p. 246.
(6) cap. 13. n. 31.
(7) lib. 23. c. 14. n. 19.
(8) Conjectan. in mon. Her. Thisb. l. c.
(9) in Hadr. c. 21.

libertis suis, quicunque se de eo jactaverant. sine patroni scilicet nomine haud constabat, quis eos ex Augustis manumisisset.

CLXXI. (Maff. Antiq. Gall. epist. 9.)

IVLIAE · LVC · FILIAE · TYRANNIAE
VIXIT · ANNOS · XX · M · VIII ·
QVAE · MORIBVS · PARITER · ET
DISCIPLINA · CETERIS · FEMINIS
EXEMPLO · FVIT · AVTARCIVS
NVRVI · LAVRENTIVS · VCXORI

Tyranniae Arelatensis sarcophagum vidit Maffejus, in eoque musica instrumenta eleganter insculpta miratus, *disciplinam*, ob quam Tyrannia ceteris feminis exemplo fuerat, musicam fuisse, non levi indicio putavit.

CLXXII. (Murat. p. 1319. n. 9.)

D · M ·
CASSIAE · A · F · (1) DIGNAE
ORESTINAE
COIVGI · CASTAE
PRO · MERITIS · VITAE
PRO · PECTORE
SIMPLICI · GRATO
T · VSIDIVS · CYRVS
HVNC · TITVLVM · FECIT · AMATAE

Pro amore veteres sive potius pro ipso animo *Pectus* aliquando usurparunt. ita apud Horatium (2), *Vita et pectore puro:* et apud Virgilium (3), *Iam pectore toto accipio:* Cicero etiam (4), *Vbi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur*.

Multorum autem exemplo Cyrus hic noster Cassiae suae epitaphium ad poëtarum numerum concinnavit.

(1) *Iuli Filiae*.
(2) l. 1. Sat. 6. v. 64.
(3) Aen. l. 9. v. 276.
(4) l. 1. de leg. c. 18. n. 49.

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CLXXXII. (Fabr. p. 755. n. 611.)

DELIAE
SERTA
DATE

Priscum morem coronandi sepulcrales cippos didici ex versu illo Callimachi (1):

Στηλην μητρυιης, μιαραν λιθον, εστεφε κουρος.

ipsas autem defunctorum effigies coronatas multa exhibent antiquorum fictilia aut marmorea sepulcra. neque vero aliud quidpiam significari arbitror in tot illis epitaphiis, quae *Rosam* aut *Rosales Escas* aut denique *Rosalia* memorant. leges apud Gruterum (2): *Pecuniam Dedit Legavitque Ad Sollemnia Cibi Et Rosarum:* item apud Muratorium (3): *Inque Memoriam Sui Et Colendae Sepulturae Rosis Et Escis Paganis Misquilensibus* HS. N. DCCC. *Dedit, Ex Cujus Summae Reditu Rosam Ne Minus Ex* HS. N. XVI. *Posuisse Velint, Et Reliquum Quod Est Ex Vsuris, Escas Rosales Et Vindemiales Omnibus Annis Poni Sibi Voluit.* apud Maffejum etiam (4): *Vt Ex Ejus Summae Reditu Rosalia Et Parentalia Iusto Filio Iustae Vxori Et Sibi Omni Anno In Perpetuum Procurentur.* atque hae quidem inferiae statae debitaeque: aliae adventitiae interdum et gratuitae, quales hic Deliae optantur, sed fere claris viris fiebant. ut de Germanico scripsit Svetonius (5): *Sicubi clarorum virorum sepulcra cognosceret, inferias Manibus dabat:* et de M. Aurelio Iulius Capitolinus (6), *Sepulcra eorum* (Magistrorum) *aditu, hostiis, floribus semper* honorabat. eundem morem veteres Christiani servaverunt, ut jam Barthius adnotavit (7).

CLXXIIII. (Fabr. p. 392. n. 265.)

D · M ·
AVE · SALVINIA
OMNIVM · AMAN
TISSIMA · ET
VALE

Non absimile est, quod Aeneas dixit ad feretrum Pallantis, quum jam efferretur (8): *Salve aeternum mihi maxime Palla, aeternumque Vale:* idem autem omnino apud Catullum (9): *Frater Ave atque Vale.*

(1) Antol. l. 1. c. 50. n. 1. *Cippum novercae, scelcratum saxum coronabat puer.* adde Lucian. in Nigrin. Propert. l. 3. eleg. 13. etc.
(2) p. 449. n. 6.
(3) p. 867. n. 8.
(4) M. V. p. 146. n. 3.
(5) in Cajo c. 3. n. 7.
(6) in Ant. Phil. c. 3.
(7) Advers. l. 33. c. 21.
(8) Aen. l. 11. v. 97.
(9) Carm. 101. v. ult.

Ceterum adnotavit Servius (1), dici mortuis solere *Vale Vale Vale:* quod et in epitaphio Musei Veronensis (2) adscriptum est: *Qui Vixit Annis* LXXXVII· V. V. V. *Aliquando Securus Sum.*

CLXXV. (Mannt. Orthogr. p. 90.)

AVILLIA · HILARA
OLLA · DONATA · AB · L · PORCIO
LYSIMACHO

Ollae in sepulcralibus titulis sunt fictiles urnae, pauperiorum fere cineribus recipiendis: quas in loculis sive Columbariis collocabant asservabantque, binas plerumque in singulis, interdum quaternas, aliquando etiam singulares. de his multa Fabrettus (3): apud quem diagrammata etiam quaedam cellarum sepulcralium invenies, quas ille, ut erat ad haec investiganda curiosior, adiit ipse, ac diligentissime scrutatus est.

CLXXVI· (Maff. M. V. p. 263. n. 14.)

MANLIA
QVARTILLA
CVM · TERTVLLA
DELICIO · SVO
HIC · SITA · EST

Quartilla mater et Tertulla filia, eademque delicium matris, uti apud Gruterum (4) Sextilia quaedam Primigenia, utraque *sita* dicitur: quo verbo non bene Gutherus *bellicam aut peregrinam mortem designari* affirmavit (5). nihil enim Manliae aut Tertullae cum castris; nec vero peregre utramque mortuam, verisimile est. deinde tot alii, qui in epitaphiis *Siti esse* dicuntur, omnes procul a patria mortem obiisse dicendi essent, atque in terra aliena sepulti, ut mox permissu pontificum in patriam transferrentur, nec tamen unquam translati esse. itaque, mea quidem sententia, veteres non alia de caussa eam formulam H. S. E. adscribebant, quam ut sepulcrum a cenotaphio distinguerent. idcirco etiam in monumentis quibusdam, quae cenotaphia fuisse arbitror, legere est *In Honorem* (6), aut *Memoriae Caussa* (7).

Siti autem, ut Tullius tradit (8), ii dicebantur, qui conditi essent, vetustiore scilicet ritu sepulti, uti apud Persas, a quibus mortuos cera circumlitos condi scripsit (9). sed tamen eos quoque sitos esse dixerunt, qui cremati fuissent: pleraeque certe ex cinerum urnis, quas in museis videmus, eandem praeferunt formulam *Hic Situs Est.*

(1) ad Aen. l. 2. v. 644.
(2) p. 96. n. 5. v. inscr. 549.
(3) pag. 12. et seqq.
(4) p. 661. n. 14.
(5) de Iur. man. l. 1. c. 8.
(6) Murat. p. 2045. n. 2.
(7) Grut. p. 659. n. 9.
(8) de Leg. l. 2. c. 22. n. 57.
(9) Tusc. l. 1. c. 45. n. 108.

CLXXVII. (Fabr. p. 25. n. 113.)

SERGIA · FLAVIA · LVSINIANA
MIHI · ET
Q · FLAVIO · LVSINIANO · DVL
CISSIMO · NEPOTI · EX · FILIA
QVAE · MEI · AMANTISSIMA · FVIT · INTEGRA
MONVMENTVM · CONSTITVI

Sepulcrum sibi paravit Flavia, quum integra esset, id est quum viveret ac valeret. praenomen huic sine dubio *Servia* fuit: nam *Sergia* gens erat: nisi bina eidem nomina cum Fabretto tribuas, praenomen nullum. at Reinesio et *Sergia* praenomen est (1).

Nepotem ex filia appellat filium filiae suae, quo intelligeretur, Q. Flavium nepotem suum non ex filio ejus, sed ex filia natum esse. falluntur autem qui patruis quoque et avunculis nepotes tribuunt et amitis ac materteris neptes. filios filiasque fratrum ac sororum dixere veteres, quum etiamnum latine loquerentur. qua de re legenda tibi commentatio est Antonii Benedetti ad Plauti Aulularium (2). in epitaphio apud Reinesium (3) scriptum est *Avunculus Nepoti Benemerenti:* sed Gallieno Aug. antiquius non est.

CLXXVIII. (Romae in Vill. Alb.)

D · M ·
CL · ITALIAE · CL · HERMIAS · COIVGI · BEN ·
M · D · S · F · C · Q · V · A · $\overline{XXX}$ · (4)
TYCHE · DELICATA
ΠΑCΗC · ΜΟΥCΙΚΗC · ΜΕΤΕΧΟΥCΑ

Claudiam conjugem Hermias postremum salutat, libertus libertam, et prisco, ut reor, contubernii nomine Tychen appellat, delicias suas, quae omnem musicam tenebat (*a*). *Delicatos* et *Delicatas suas* dixere veteres pueros feminasque, honesta etiam significatione, quemadmodum demonstravit Fabrettus (5). adnotandum hic est, inscriptionem in anaglypho esse, Graecaque verba seorsum ab ea legi, in volumine scilicet, quod Claudia ab extrema parte explicatum laeva exhibet manu. Πασῃ Μουσικῃ, ut Winckelmannus animadvertit (6), tria omnino Musices genera comprehendit, cantum sive oden, cantum et tibiarum nervorumque sonum, sonum denique ipsum sine cantu. quanti

(1) Cl. 12. n. 80.
(2) Animadv. 18. p. 64.
(3) Cl. 8. n. 37.
(4) *Bene Merenti De Suo Faciendum Curavit Quae Vixit Annos* 30.
(*a*) Cajet. Marinius qui Inscriz. Alb. p. 78. hanc inscriptionem una cum anaglypho aere sculptam edidit, queritur, nec Winckelmannum, nec Auctorem nostrum, quid sibi velit hoc monumentum, perspexisse. Etenim verba TYCHE · DELICATA non ad Cl. Italiam, sed ad puellulam quandam pertinent, quae infra ad illius pedes ludibunda conspicitur, quamque ideo maritus una cum catella prope uxorem suam repraesentandam curavit, quod illius olim delicium ac solamen fuisset. Minime itaque credendum, Cl. Hermiam fuisse libertum, uxoremque suam Cl. Italiam, quae antea contubernalis ejus esset, Tychen appellare insuper voluisse.
(5) p. 362. n. 100. etc.
(6) Monum. Ined. part. 4. p. 245.

autem Musice fieret apud veteres, tetigit non inscite Aristides Quintilianus (1), qui et solam ex artibus omni aetati ac toti vitae, omnibus denique actionibus ornamento esse scripsit vel maximo. αλλα πασα μεν ἡλικια και συμπας βιος, ἁπασα δε πραξις Μουσικη μονη τελεως αν κατακοσμηθειη.

CLXXVIIII. (Murat. p. 1385. n. 2.)

L · PACVVIVS
NARCISSIANVS
OPICERNIAE · PRIMIGENIAE
CVM · QVA · VIXIT · AN · XVII · CONIVGI
BENE · MERENTI
ΚΑΙ · ΩΔΕ · ΔΕΙ · ΜΕ · ΠΟΤΕ · ΕΛΘΕΙΝ

Mihi quoque, inquit Pacuvius, *huc aliquando veniendum est:* qua sententia Opicerniam suam solari voluit, ne de morte quereretur. sive etiam conditionem suam respexit, et Horatianum illud sibi inculcavit (2), *omnes una manet nox, et calcanda semel via leti.*

CLXXX. (Murat. p. 1705. n. 2.)

DECVRIONVM · DECRETO
MAELIAE · Q · F · MARCELLI
LOCVS · SEPVLTVRAE · DA
TVS · IN · FRONTE · P · XXXX ·
INTRORSVS · P · XXXX ·

Atriae, quae et Hadria dicta, atque inter Padi Athesisque ostia sita est (3), inscriptio haec in lucem prodiit. huc forsitan rusticatum Roma venerat Maelia Marcelli uxor, quam matronam Romanam fuisse, ut credam, facile adducor: ipsa enim inscriptio Romanum aliquid spirat; tum illi, ut vides defunctae locum sepulturae decuriones dederunt satis amplum, longitudine scilicet ac latitudine pedum quadraginta, ut matronam Romanam decebat.

(1) de Musica l. 1. init. (2) l. 1. od. 28. v. 15. (3) Cell. l. 2. c. 9. n. 24.

PARS III.

EPITAPHIA PVERORVM PVELLARVMQVE

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CLXXXI. (Inscript. Vatic. Nov. Coll.)

MEMORIAE
P · CASSI · P · F · ATTICI · SALI
NATORIS · VIX · AN · IIII ·
M · IIII · D · II · P · CASSIVS · L · F ·
SABINVS · PATER · INFE
LICISSIMVS

Cognomen *Salinator* in gente Livia (1) et Oppia (2) fuit. quis in Cassiam intulerit, nescio. sed Cassium hunc ex magna familia non fuisse, ipse sepulcralis cippus declarat, operis minime sumptuosi. ac pater forsitan, licentia quadam aetatis suae, cognomen illud filio imposuerat, quo a fraterculo ejus distingueret, qui item Atticus appellaretur.

CLXXXII. (Castal. apud Graev. t. 2. p. 1078.)

D · M ·
M · VLPI · FAVSTI · VIXIT
ANNIS · X · MENSIBVS · V ·
DIEBVS · XVIII ·
M · VLPIVS · ANTAS · AEDITVVS
AEDIS · CONCORDIAE · FILIO
DVLCISSIMO · SIBI · ET
CONIVGI · FECIT

Vt in epitaphio proximo, ita in hoc ingenuus puer praenomen habet: quibus exemplis sexcenta addi possunt adversus eos, qui docuerant, pueros ingenuos, antequam virilem togam sumerent, praenomine caruisse.

(1) Liv. l. 29. c. 22. n. 37. (2) idem l. 35. c. 22. n. 24.

Qua in aede Concordiae aedituaverit M. Antas, incertum est: quippe plures in urbe Aedes Concordiae fuere (1). nisi forte ceterae quidem, hujus aeditimi aetate, *Templa* dicta fuerint; quam vero Tiberius suo et Drusi nomine dedicavit, sola tum *Aedes Concordiae* appellata sit, quemadmodum et Svetonius appellat (2).

CLXXXIII. (Grut. p. 582. n. 4.)

D · M ·
DORYPHORO · CAESARIS
A · CYATHO
VIX · AN · XX · D · XVIIII ·
HERRIA · VERECVNDA
MATER
FILIO · PIENTISSIMO
FECIT · ET · SIBI

Apud vetustiores Romanos servi a dominorum praenominibus appellati *Marcipores*, *Lucipores*, Marci nempe aut Lucii pueri, et hujusmodi (3). ubi vero mancipiorum crevit numerus, Graeca aliave nomina his imposita, quae tamen domini nomen sequebatur, ut hic *Doryphoro Caesaris*, servo scilicet: nam etsi appositum hoc tamquam inutile saepe omittebant, nemo tamen ignorabat, subaudiendum esse. hanc regulam veterum, inquit Lesleus (4), majores nostri quum ignorarent, Tryphoniam martyrem, quae serva fuerat Etruscillae Decii uxoris, ipsius Decii uxorem fecerunt. quippe in Christianis fastis ita scriptum invenerant, *Romae Tryphoniae uxoris quondam Decii Caesaris*. idem vero suspicatur Odericius de Serena, quae uxor dicitur Diocletiani.

Servus a cyatho, qui etiam *a potione* dictus (5), pincerna erat sive pocillator. Doryphorum autem inter pueros numeravi annos natum amplius viginti, ut Tullius Caesarem Octavianum, quum ageret annum undevicesimum (6), et Silius Scipionem Africanum, quum annum vicesimum excessisset (7). Doryphori mater ingenua, ut nomen indicat. de hoc nodo dicendum ad inscr. CLXXXXI.

CLXXXIIII. (Bert. Ant. Aquil. p. 240. n. 315.)

TVLLIAE · SEPTIMINAE
ANIMAE · INNOCENTISSIMAE
QVAE · VIXIT · ANNIS · VI · MEN ·
VIII · DIEBVS · VIII ·
TVLLIA · PRIVATA
MATER · INFELICISSIMA

Anima saepe blandientis vox: ut apud Tullium (8), *Vos meae carissimae*

(1) Donat. l. 2. c. 14. Nard. l. 5. c. 6. etc.
(2) in Tib. c. 20. n. 4.
(3) Plin. H. N. l. 33. c. 1. n. 6.
(4) apud Oderic. p. 213.
(5) Grut. p. 578. n. 1.
(6) Fam. l. 12. ep. 25.
(7) lib. 15. v. 35. et 46.
(8) Fam. l. 14. ep. 14.

Animae *quam saepissime ad me scribite*. usurpatur item pro ipso homine, uti apud Horatium (1), qui amicos suos *Animas* appellat, *quales neque candidiores* terra tulisset, neque queis alter ipso devinctior esset.

CLXXXV. (Grut. p. 591. n. 10.)

DIS · MANIBVS
AELIAE · T · F · PERPETVAE
QVAE · VIXIT · ANNIS · III ·
MENS · VII · DIEB · XXIII ·
T · AELIVS · AVG · LIB ·
AMPLIATVS
TABVLARIVS
VILLAE · TIBVRTIS · ET
FLAVIA · APHRODISIA
PARENTES · FILIAE
DVLCISSIMAE

Hunc libertum Hadrianus aut Antoninus Pius in villam Tiburtem amandarat, eam, cujus tantae hodie quoque sunt moles, ut ibi rationum tabulas perscriberet, acceptique et expensi rationes conficeret. is enim erat Tabularius, quamquam interdum etiam custos tabularum, sive Γραμματοφυλαξ (2).

Iam nomen Tabulariis impositum vel a re, quam tractabant, vel ab iis, quibus operam impendebant. in veterum inscriptionibus occurrunt *Tabularius Vicesimae Hereditatium* (3), *Tabularius a patrimonio* (4), *Tabularius Classis Ravennatium* (5), et hujusmodi. alios Tabularios per provincias instituit M. Aurelius, *apud quos*, inquit Spartianus (6), *idem de originibus fieret, quod Romae apud praefectos aerarii: ut si forte aliquis in provincia natus caussam liberalem diceret, testationes inde ferret.*

CLXXXVI. (Grut. p. 695. n. 7. Montfauc. t. 5. p. 92.)

PERMISSV · DECVRIONVM
ATIMETVS · ET · IAS
MARTIAE · A · XVIII · (7)
HYMNO · A · XVI · (8)
FILIS · SVIS · ET · SIBI

Non ultimi servorum erant Atimetus et Ias, qui filiis suis et sibi sepulcrum loco

(1) lib. 1. sat. 5. v. 41.
(2) l. 3. D. de tab. exhib.
(3) Grut. p. 1091. n. 3.
(4) id. p. 589. n. 11.
(5) Gud. p. 160. n. 7.
(6) in M. Aur. c. 9.
(7) *Annorum* 18.
(8) *Annorum* 16.

publico ex peculio suo constituerint. nam cetera quidem mancipia plerumque in commune sepulcrum inferebantur, quale olim fuerat in Exquiliis, antequam suos ibi hortos Maecenas faceret (1):

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca:
Hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum.

CLXXXVII. (Fabr. p. 345. n. 1.)

D · M ·
FAVSTVS · AVG · LIB ·
ADIVTOR · AB · EPIS
TVLIS · LAT · (2) VIXIT
ANNIS · XVIIII · M · IIII ·
DIEB · XVI · FECIT
ARTEMISIVS · PAE
DAGOGVS · ET · LIB ·
PVERO
RARISSIMO

Servi, qui operam dominis in conscribendis epistolis praebebant, ii *Ab Epistolis* appellati, sive *Ab Epistulis*, nam ita etiam saepe scribebant (3): liberti autem, honoris caussa, et *Adiutores Ab Epistolis:* hos tamen in eo munere primos semper fuisse, ne credas: Hadrianus certe ab epistolis et a libellis equites Romanos habuit (4): quibus libertos paruisse quis non putet?

CLXXXVIII. (Giovenaz. Mss.)

D · M ·
LAETO · QVI
VIX · ANN · XX · M · VI ·
D · XVIII · C · STERTINIVS
PHILON · CONDISCIPVLO
B · M · F · (5)

Amicitiae aliquando ab ipso ludo litterario inter pueros esse coeperunt, quas deinde nulla aetas dissolvit: ut inter M. Tullium et T. Pomponium, qui a condiscipulatu vixere conjunctissime (6). ita fortasse cum Laeto amicitiam junxerat Philon, in qua et mansit post ipsam amici mortem, supremis ei officiis persolutis. Corae autem eos condiscipulos fuisse, verisimile est: nam et ibi inventum Laeti epitaphium, et erant fere in municipiis gymnasia, quemadmodum apud Venusinos Flavii ludus, quo magni illi pueri ibant, magnis, ut ait Horatius (7), e centurionibus orti.

(1) Horat. l. 1. sat. 8. v. 8.
(2) LAT. *Latinis*.
(3) Gor. Inscr. t. 1. p. 82. n. 2.
(4) Spart. in Hadr. c. 22.
(5) *Bene Merenti Fecit*.
(6) Corn. Nep. in V. Attic. n. 5.
(7) lib. 1. sat. 6. v. 75.

§ II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CLXXXVIII. (Grut. p. 587. n. 1.)

DIIS · MANIBVS
ET · GENIO
C · FLAVII · HERMETIS
AVG · LIB ·
AB · EPISTVLIS · GRAECIS
IVLIA · ANTISTIA · MATER
INFELICISSIMA · FILIO
DE · SE · B · M · CVM · LACR · (1)
P · (2)
VIX · AN · XVIII · M · V · D · XIII ·

Manibus et Genio, umbrae nempe atque animae Hermetis. nam *tribus constamus*, inquit Servius (3), *anima, quae superna est, et originem suam petit: corpore, quod in terra deficit: umbra, quam Lucretius sic definivit*, spoliatus lumine aër (4) (*a*). *ergo umbra si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo, nec est quidquam reliquum de homine, quod Inferos petat. sed definierunt, esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem fictum Inferos petat: et est species corporea, quae non potest tangi sicut ventus*. hoc igitur simulacrum, hanc umbram *Manes* appellat Iulia, ipsum vero animum *Genium*, de qua appellatione dixi aliquid ad inscriptionem CXXXVI.

Cui e Flaviis Hermetes fuerit ab epistolis Graecis, non dijudico: Domitiano fuisse dixeris, qui *epistolas orationesque et edicta alieno formabat ingenio* (5): sed quum hic liberalia studia neglexerit, quamquam graece scisse videtur (6), vix tamen Graecis ego litteris delectatum crediderim. graece item scisse Vespasianum patrem constat, atque in sermone usum saepe versibus Graecis tempestive satis (7): sed nihil uterque ad Titum, qui *latine graeceque vel in orando vel in fingendis poëmatibus promptus et facilis ad extemporalitatem usque* (8). huic, si placet, Hermetem adjudices, cui multam operam nec injucundam praebere potuit. de ejus tamen praenomine nova quaestio, quum Flavii omnes Augusti praenomine *Titi* dicti sint. at lege, quae subjeci inscr. XXVI.

Filio mater sepulcrum fecit, titulumque posuit cum lacrymis: sed eas nullis quaeso receptas vasculis putes, quo in cinerum urna conderentur. eorum vasculorum nomen a Latinis nullum est; nec de illo ritu scriptores quidquam tradidisse, liquet (9). quae

(1) *Bene Merito Cum Lacrimis*.
(2) *Posuit*.
(3) ad Aen. l. 4. v. 654.
(4) lib. 4. v. 369.
(*a*) Animadvertendum tamen est hic legi *lumine cassus aer*, versu autem 378. *spoliatur lumine terra*: quae hic confudisse videtur Servius.
(5) Suet. in Dom. c. 20. n. 2.
(6) idem ib. c. 12. n. 9.
(7) idem in Vesp. c. 23. n. 1.
(8) idem in Tito c. 3. n. 2.
(9) v. Schoepflin. de Apotheosi c. 5.

autem in sepulcretis reperiuntur lagunculae, eas non lacrymis, quibus nihil citius arescit, sed unguento potius, cujus vestigia manent, aliquando et ossiculis repletas scito (1).

CLXXXX. (Fabr. p. 17. n. 73.)

L · IVLIVS · GAMVS
DIS · MANIBVS
L · IVLI · MARCELLI
NEPOTIS · SVI
VIXIT · ANN · V ·
DIEBVS · XXXXI ·
CORPVS · INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO

Sarcophagus pro arca sepulcrali hic ponitur, uti apud Iuvenalem (2) et Scaevolam (3). ceterum nomen id lapidi proprium, quem in Asso Troadis fissili vena sciudi, tradit Plinius (4), in quo corpora defunctorum condita, intra quadragesimum diem, exceptis dentibus, absumantur. sed Romae sepulcra hujusmodi e Pario fere marmore aut Lunensi fieri coepta, quae divitum erant, plane operosa: cetera opere figulino. tu vero antiquissima ne habeas: quippe post Antoninos corporum condendorum consuetudo revixisse videtur, quam deinde religio Christiana confirmavit (5). ut Macrobii temporibus nullus jam urendi corpora usus (6) esset.

At Lucii tamen Marcelli sarcophagum ejus aetatis merito esse censeas, quum nondum cremari corpora desitum esset. non enim Gamus in epitaphio addidisset, *corpus integrum conditum* esse, siquidem ea tum omnium fuisset consuetudo. neque vero id novum, quum et fulguritos omnes (7), et e pueris eos, qui nondum genito dente defuncti essent, cremari fas non esset (8). quin etiam *ipsum cremare*, ut Plinii afferam verba (9), *apud Romanos non fuit veteris instituti: terra mortui condebantur. at postquam longinquis bellis obrutos erui cognoverunt, tunc institutum. et tamen multae familiae priscos servavere ritus: sicut in Cornelia nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus:* quibus Plinii verbis auctoritatem modo attulerunt et fidem inventa ad portam Capenam Scipionum sepulcra, in quibus cadaverum arcae plures detectae e lapide Albano omnes, et suis singulae insignes titulis.

Illud etiam contigisse interdum, fatendum est, ut nimio quidam amore erga caros suos, ignes et rogum aversarentur, defunctosque, ne quid de forma imminuerent, integros et opobalsamo udos conderent. hoc modo Tullia a M. Cicerone patre humata fuisse, olim putabatur (10): at de Poppaea Neronis diserte Tacitus (11). *Corpus non igni abolitum, ut Romanus mos: sed, regum externorum consuetudine, differtum odoribus conditur, tumuloque Iuliorum infertur.* Abascantius quoque apud Statium (12)

(1) Baldin. Ac. Cort. t. 2. p. 153.
(2) Sat. 10. v. 172.
(3) l. 18. D. de alim. et cib. leg.
(4) H. N. l. 36. c. 17. n. 26.
(5) Min. Felix Oct. c. 34. p. 327.
(6) Saturn. l. 7. c. 7.
(7) Plin. H. N. l. 2. c. 54. n. 55.
(8) id. ib. l. 7. c. 16. n. 15.
(9) ibid. l. 7. c. 54. n. 55.
(10) Cael. Rodig. Lect. Ant. l. 2. c. 23.
(11) Ann. l. 16. c. 6.
(12) l. 5. Silv. 1. v. 225.

ita Priscillam suam composuisse dicitur:

Hic te Sidonio velatam molliter ostro
Eximius conjux (nec enim fumantia busta
Clamoremque rogi potuit perferre), beato
Composuit, Priscilla, toro. nil longior aetas
Carpere, nil aevi poterunt vitiare labores
Siccatam membris: tantas venerabile marmor
Sepit opes.

legebant quidam *Nidoremque rogi;* alii *Ardoremque rogi*. Gronovius *Clamoremque rogi* retinet, idque a Papinio esse contendit: omnino recte; supremae enim salutationes et ultimi propinquorum gemitus ululatusque designantur, quum jam, rogo incenso, defuncti adspectum fumus eriperet, et igni corpus absumeretur.

CLXXXXI. (Fabr. p. 711. n. 329.)

D · M ·
EVHEMERI
CAESARIS · N · (1)
VERNAE · PEDI
SEQVO · VIXIT
ANNIS · XIII · MENS
IBVS · VIII · DIEBVS
XV . AELIA · SVCCESSA
MATER · INFAVST ·
FIL · OPT · PIENTISS ·
OB · MERITA
EIVS
FECIT

Memineris, hic quoque dativum casum *Vernae Pedisequo* cum *Diis Manibus* jungendum esse: nam nominis quidem rectus est Εὐημερος, id est *Felix dies*, sive *Successus*, a matris nempe cognomine. de hoc nexu jam dixi ad inscr. LXXXIII. erat autem servus pedisequus, qui dominum extra aedes sequebatur. servorum id munus prope infimorum fuisse videtur: nam de T. Pomponii familia sic scripsit Cornelius (2): *In ea erant pueri litteratissimi, anagnostae optimi, et plurimi librarii, ut ne* pedisequus *quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulcre facere posset*.

Mirum illud, servo matrem fuisse ingenuam: talem enim prodit nomen ex gente Aelia et cognomen Romanum. suspicatur autem Hagenbuchius (3), mulieres ingenuas haud difficulter sequutas esse servorum Caesarum contubernia: quamvis ex s. c. Claudiano (4), si ignaro domino ad id prolapsae essent, in servitute; si consensisset, pro libertis haberentur. haec enim germana Taciti decretum id referentis sententia est, quam Lipsius nitide exposuit, et Farnesiani codicis auctoritate confirmavit (5).

(1) v. *Nostri*.
(2) in V. Att. n. 13.
(3) Epist. epigr. p. 181.
(4) Tac. Ann. l. 12. c. 53.
(5) ad eund. Tac. loc.

Diu certe mulieres Claudiano illo senatus consulto de sententia deterritae non videntur: quum haud multis post annis Vespasianus quoque auctor senatui fuerit decernendi, *Vt quae se alieno servo junxisset, ancilla haberetur* (1).

CLXXXXII. (Don. Cl. 2. n. 182.)

DIS · MANIBVS
CAECILIAE · SP · F · SATVRNINAE
VIX · ANN · ET · MENS · VIIII ·
VRSIO · THALAMI · CAESAR ·
AVG · XANTHIANI · VIC · (2)
FILIAE · CARISSIMAE · FEC ·
CVM · CAECILIA · PRIMIG · MATRE · EIVS
VIBIA · SEX · F · COMMVNIS
LOCVM · ET · IMPENSAM
FVNERIS
D · S · D · (3)
IN · FR · PED · II · IN · AGR · P · II ·

Saturninae puellae ante bimatum elatae funus et sepulcrum Vrsio cum Primigenia fecit. sed impensam funeris et locum sepulcri dedit Vibia Communis. puellae autem corpusculum rogi immune conditum esse, non est quod ambigatur. quippe, ut monui ad inscr. CLXXXX. qui nondum genito dente defuncti essent, cremari fas non erat. loculus porro, qui pedes duos longus, totidemque latus esset, bimulae puellae cadaver facile capere potuit.

At qui fieri, inquies, potuit, ut Saturnina et *Spurii Filia* esset et *Vrsionis,* qui servus vicarius erat Thalami Xanthiani servi Caesaris Augusti? nam duo omnino hic nominantur, quum vel primarii e servis praenomine semper caruerint, nedum vicarii. nimirum ex Caecilia Primigenia uxore filiam Caeciliam Saturninam Spurius quidam Saturninus ante genuerat. hoc demortuo, Primigenia nupserat Vrsioni servo, ejusque contubernium aliarum exemplo sequuta erat (4). idcirco Vrsio, quae privigna fuerat, filiam blandius appellat: nam se quidem, ut vides, parentem non vocat, Primigeniam vocat, ex qua Saturnina nata erat.

Thalamum Neronis servum tonsorem facit Martialis (5), et arte praestantem,

Drusorum cui contigere barbae:

eundemque esse Lipsius putat (6), quem in alia inscriptione (7) invenit, *Thalamum Caesaris,* cujus uxor fuit *Scantia Primitiva.*

(1) Svet. in Vesp. c. 11 n. 2.
(2) *Vicarius.*
(3) *De Suo Dedit.*
(4) v. inscr. 183. et 191.
(5) lib. 8. ep. 52.
(6) Epist. Quaest. l. 1. n. 5.
(7) Grut. p. 618. n. 10.

CLXXXXIII. (Fabr. p. 235. n. 619.)

D · M ·
Q · TERÉNTI · PRISCIÁNI
VIXÍT · ANNIS · IIII · MEN
SIBÝS · VII · FRVMÈNTVM
PVBLICVM · ACCÉPIT · MEN
SIBVS · VIIII ·
TERÉNTIA · SABINÁ
ÁLVMNO · FECIT

Quintum Terentium ex alumnis ingenuis fuisse, de quibus dixi ad inscr. CLXIII. ipsa ejus appellatio demonstrat. puero huic nondum quinquenni, quum nihil esset, a quo laudari posset, adscriptum est, accepisse frumentum publicum mensibus novem. unde bene colligebat Fabrettus, *frumentum menstruo spatio distribui solitum:* quam tamen consuetudinem vel incolumi republica Romae fuisse, Dionysius jam et Appianus indicaverant (1). sed ante Augustum non nisi ab undecimo aetatis anno pueri accipiebant; isque primus, ut ait Svetonius (2), *ne minores quidem praeteriit.* Augustum imitatus est Trajanus, de quo Plinii sunt illa (3): *Tu ne rogari quidem sustinuisti, et quamquam laetissimum oculis tuis esset conspectu Romanae sobolis impleri; omnes tamen antequam te viderent adirentque, recipi, incidi jussisti: ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.* iterumque inferius: *Paullo minus* P. C. *quinque millia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas Principis nostri conquisivit, invenit, adscivit.* eadem fere leges de Hadriano (4), de Antonino Pio (5) ac de M. Aurelio (6). Severus autem *moriens,* ut scripsit Spartianus (7), *septem annorum canonem, ita ut quotidiana septuagena quinque millia modiorum expendi possent, reliquit,* et pueris nempe et plebi Romanae alendae. quo ex loco Casaubonus Budaei supputationem sequutus, ostendit, turbam frumentantem, quae quotidianum demensum de publico accipiebat, ad sexies centena millia accessisse: quippe frumenti sextarios duos, qui modii pars octava sunt, pro diario singulis datos arbitratur. hanc autem Severi curam in nummo ejus indicat titulus ANNONA · AETERNA (8).

Frumentum plebs non accipiebat, nisi tesseram a Principe datam exhiberet: de Augusto enim scribens Svetonius, sic eas memorat (9): *Ne plebs frumentationum caussa frequentius a negotiis avocaretur, ter in annum quaternûm mensium tesseras dare destinavit: sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui cujusque mensis acciperet.* in tessera autem non modo dies inscriptus erat, sed etiam ostium sive circi sive horrei publici regionis suae, ad quod accedere quemque oporteret, frumenti accipiendi caussa: ut binae potissimum Fabretti inscriptiones declarant (10). porro ejus rei caussa creati *Curatores frumenti populo dividundi* (11), *Praefecti frumenti dandi* (12), *Augusti Dispensatores a frumento* (13), et si qui alii.

(1) Dionys. Hal. lib. 4. p. 228. App. Bel. Civ. l. 1. p. 362. C.
(2) in Aug. c. 41. n. 5.
(3) in Panegyr. c. 26. n. 3.
(4) Spart. in Hadr. c. 7.
(5) idem in Anton. c. 8.
(6) Capitol. in M. Aur. c. 7.
(7) Spart. in Sev. c. 23.
(8) Spanh. diss. 13. p. 542.
(9) in Aug. c. 40. n. 3.
(10) p. 234. n. 617. et 618.
(11) Svet. in Aug. c. 37. n. 1.
(12) Maff. M. V. p. 113. n. 1.
(13) id. ibid. p. 130. n. 7.

Aurelianus demum instituit, ut pro frumento bilibres quotidie panes plebs acciperet. rem sic narrat Vopiscus (1): *Non praetermittendum videtur, quod et memoria tenet publica, et fides historica frequentavit: Aurelianum eo tempore, quo proficiscebatur ad bellum orientale, bilibres coronas populo promisisse, si victor rediret: et quum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut vellet, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei vocantur, et singulis quibusque donasse: ita ut siligineum suum quotidie toto aevo suo unusquisque reciperet, et posteris suis dimitteret.* locum hunc Vopisci pro sua eruditione pluribus verbis exposuit et illustravit Salmasius,

CLXXXXIIII. (Fabr. p. 145. n. 167.)

D · M ·
VETVRIAE
SEVERAE · FI
LIAE · PIISSIMAE
DVLCISSIMAE
VIRGINI · QVAE
VIXIT · ANNIS
XII · MENSIBVS
VI · DIEBVS · XXV ·
FECERVNT · VE
TVRIVS · ZOI
LVS · ET · VETV
RIA · AVGE · PA
RENTES · INFE
LICISSIMI

Zoilum et Augen libertos fuisse, ex cognominibus ipsis suspicari licet. at cur Zoilus praenomine caret? ideo ne, quia domina, a qua manumissus fuerat, praenomine non uteretur? an quia justam libertatem adeptus non esset? nam, ut est in Iustiniani Institutionibus (2), *Libertinorum status tripertitus antea fuerat. nam qui manumittebantur, modo majorem et justam libertatem consequebantur, et fiebant cives Romani: modo minorem, et Latini ex lege Iulia Norbana fiebant. modo inferiorem, et fiebant ex lege Aelia Sentia dedititii.* existimo autem, quicumque cives Romani facti non essent, praenomine uti non potuisse, quod civium Romanorum proprium erat, et quo molles illae auriculae, ut ait Horatius (3), gaudebant. hoc certe apud Livium saepe animadverti, Italos homines, qui civitate Romana donati non erant, sine praenomine appellari: ex his sunt Gracchus Cloelius (4) natione Aequus; Samnites tres Herennius Pontius, Gellius Egnatius, Ovius Paccius (5): Campani quatuor Pacuvius Ca-

(1) in Aurel. c. 35.
(2) lib. 1. tit. 5. §. 3. et Spanhem. Orb. Rom. Exerc. 1. c. 8.
(3) l. 2. Sat. 5. v. 32.
(4) l. 3. c. 10. n. 25.
(5) l. 9. c. 3. n. 3. l. 10. c. 12. n. 18. l. 10. c. 27. n. 38.

lavius, Iubellius Taurea, Decius Magius, Vibius Virrius (1): quorum tamen nomina pleraque inter gentilitia Romanorum numerantur. addo, si C. Probo credimus (2), Varronis sententiam fuisse, *simplicia in Italia fuisse nomina:* cui quum Probus adversetur, in exemplis tamen, quae opponit, nomina potius et cognomina, quam nota illa Romanorum praenomina legas.

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CLXXXXV. (Fabr. p. 188. n. 39.)

AVE · LVCI
PRAEREPTE · MA
TRI

Lucium puerum mater salutat, quem morte immatura sublatum ipsa in familiae suae monumento condidisse videtur: quo etiam ex more eam itasse crediderim, ut filioli sui manibus litaret.

Lucius autem hic puer matri praereptus me admonet, ut hoc loco id adnotem, quod nuper didicimus, titulis filiorum Germanici ad Mausoleum Augusti repertis (3): praenomina scilicet filiorum, qui obiissent, fratribus eorum, qui postea nati essent, eadem a parentibus vel ad solamen suum, vel ad majorum memoriam imposita esse. nam e novem Germanici liberis quum duo illi, qui infantes adhuc rapti, et tertius, qui jam puerascens (4), appellati essent, ut marmora indicant, *Nero Caesar, Ti. Caesar, C. Caesar,* iisdem praenominibus tres alii deinde dicti sunt, qui superstites patri fuerunt (5), *Nero, Drusus, Caligula.* atque id Svetonius etiam de tertio confirmat, ubi epistolam afferens, quam Augustus ad Agrippinam neptem de Cajo Caligula scripsit, haec adjecit (6): *Neque enim quisquam jam alius infans nomine pari tunc supererat.* ex his autem, qui praemortui fuerant, is *Cajus* dictus, qui jam puerascens obierat (7), nato Caligula, cui praenomen reliquit suum: primus, opinor, *Nero* appellatus, quo praenomine Claudius Drusus pater Germanici usus fuerat (8): alter *Tiberius Drusus,* praenomine eo, quo et Germanici patruus utebatur, et majores usi fuerant (9).

Ne illud quidem omittam, puerorum infantium sepulcra, si Fulgentio Planciadae credimus, *Subgrundaria* appellata esse: quod ille de prisco sermone scribens, Rutilii Gemini auctoritate confirmat, qui haec in *Astyanacte* usurpavit: *Melius Subgrundarium misero quaererem, quam sepulcrum:* credo, quod ut hirundini nidus, ita exiguo pueri corpusculo subter subgrundas loculus esse possit (*a*).

(1) l. 23. c. 4. n. 8. l. 23. c. 5. n. 10. l. 26. c. 10. n. 14.
(2) epist. Val. Max. l. 10.
(3) v. l. 2. c. 3. §. 2. n. 6.
(4) Svet. in Cajo c. 7. n. 1.
(5) id. ibid. n. 2.
(6) ibid. c. 8. n. 9.
(7) ibid. n. 6.
(8) idem in Claud. c. 1. n. 1.
(9) idem in Tib. c. 3. n. 1.
(*a*) Hanc cl. Auctoris conjecturam mire confirmat inscriptio, quae legitur tum apud Murator. p. 1755. n. 2., tum apud Maff. M. V. p. 448. n. 2. CC · TRAVSI · PVDENS ET · ASIATICVS · ET · CAESIA VENERIA · COIVN · ET · TRAVSIA FORTVNATA·F·PROTECTVM·ANTE OLLARIA · SVA · IMPENSA · DIS MANIBVS · FECER ·

CLXXXXVI. (Vit. Aut. Ben. Cl. 9. n. 198.)

D · M ·
BASSEAE
STVDIOSAE
KARISSIMAE · FILI
AE · MEAE · QVAE · VI
XIT · ANN · XII · M · III ·
D · IIII · TITLIVS · STVDI
OSVS · PATER

CLXXXXVII. (Maff. M. V. p. 427. n. 11.)

ANTONIA · Q · F ·
FIRMILLA · AN · XIIX ·
H · S · E · (1)
CVM · SAENIA · FVFILLA
MATRE

Filios in parentum, uxores in virorum sepulcris compositas esse, non raro leges. id etiam Cynthiae umbra de Propertio sibi spondet (2): *Mecum*, inquit, *eris, et mistis ossibus ossa teram*. sed filii aliquando, quod pietatem laesissent, parentum sepulcro exclusi: de Augusto Svetonius (3): *Iulias filiam neptemque, si quid his accidisset, vetuit sepulcro suo inferri*. hac vero poena saepe multati liberti, qui patronis ingrati, officium suum deseruissent, ut in antiquis epitaphiis perscriptum est (4).

CLXXXXVIII. (Maff. M. V. p. 424. n. 2.)

LYCORIS
CARA
SVIS · H · S · E · (5)
S · T · T · L · (6)

Consanguineos et affines, item amicos, clientes, fautores uno verbo *Suos* dicebant Latini: sic apud Tullium (7): *Octavius, quem quidem* sui *Caesarem salutabant*.

Formulas, quibus quietem mortuis precabantur, hisce versibus expressit Ovidius in epicedio Tibulli:

Ossa quieta precor tuta requiescere in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

(1) *Hic Sita Est*.
(2) lib. 4. eleg. 7. in fin. Martial. l. 1. epigr. 94. etc.
(3) in Aug. c. 101. n. 6.
(4) Fabr. p. 149. n. 193. Maff. M. V. p. 258. n. 4. etc.
(5) *Hic Sita Est*.
(6) *Sit Tibi Terra Levis*.
(7) ad Attic. l. 14. epist. 12.

CLXXXXVIIII. (Fabr. p. 759. n. 644. Don. Cl. 10. n. 102.)

PARENTES · A ·
NERIO · APHRODISIO
FIL · DVLCISSI
MO · V · AN · I · M · I · D · VII ·
ΑΦΡΟΔΕΙCΙΕ · ΧΑΙΡΕ

Graece salutari Aphrodisium, ne mirere: blandius id olim fieri videbatur. ac Romae jam ab ipsa Livii aetate vulgus etiam Graeca verba saepe usurpabat, et nova interdum vocabula, faciliore ad duplicanda verba Graeco sermone, condebat (1). Iuvenalis vero temporibus graece scire mulieres quoque non in minimis ponebant, nec se putabat ulla formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta esset, de Sulmonensi mera Cecropis (2).

PARS IIII.

EPITAPHIA SEPVLCRORVM COMMVNIVM

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CC. (Pratill. v. App. l. 1. c. 8.)

ARRIORVM · MONVM · (3)
IN · FR · PED · XX · IN · AGR · P · XXX ·
A · ARRIVS · A · F · LEM · (4) FEROX
P · ARRIVS · CN · F · LEM · VALENTINVS
L · ARRIVS · P · F · LEM · SCVRRVS · TRIB · MIL ·
LEG · X · AVG · COMM · CONS · (5) FECER ·

Arriorum monumentum extra portam Capenam repertum est ad viam Appiam. ea gens plebeja: in qua nummi veteres fuisse ostendunt *Secundos, Labeones, Peregrinos:* plures autem ex eadem gente familias invenies apud Gruterum et Muratorium.

Legionem, in qua L. Arrius Scurrus tribunatum adeptus est, putant quidam appellatam esse *Decimam Augustam Commodianam Constantem*. nam apud Gruterum leges (6), *Trib. Mil. Leg.* VIII. *Aug. Quo Militante Cum Liberata Esset Novia Ob-*

(1) Liv. l. 27. c. 13. n. 11.
(2) Iuven. Sat. 6. v. 186.
(3) *Monumentum*.
(4) *Lemonia tribu*.
(5) *Communi Consensu*.
(6) p. 485. n. 8.

sidione, Legio Pia Fidelis Constans Commoda Cognominata Est: item in alia inscriptione reperta Genevae (1), *Miles Leg.* VIII. *Aug.* P. F. C. C. *Stip.* XXVI. verum quia in illis exemplis legionem video citari octavam, in hoc autem nostro decimam, et hic praepostere *Commodianam Constantem* appellatam esse, quae illic est *Constans Commoda;* idcirco legendum potius existimo *Communi Consensu:* praesertim quum monumentum ad tres Arriorum familias, non ad tres fratres pertinuerit: singuli enim, qui ad sepulcrum faciendum consenserunt, ut ex praenominibus apparet, diverso parente nati erant: nimirum eo gentilium consensu opus fuit, non modo ut de sumptu, sed etiam ut de divisione sepuleri inter eos conveniret. neque vero ea formula nova est, quum totidem verbis sit in nummo Augusti apud Gessnerum (2), IMP · CAES · AVG · COMM · CONS ·

CCI. (Giovenaz. Mss. ined.)

M' · (3) AMITERNIVS · MVNICI
PVM · L · (4) IVCVNDVS · ET
PETRONIA · KALLISTE · SIBI
POSTERISQVE · SVIS

De libertis municipiorum dixi ad inser. XXXXVIII. ab oppido Amiterno, quod Vestinorum fuit, nomen accepit Iucundus, praenomen vero ab altero fortasse e Duumviris, qui ipsum vindicavit in libertatem (5). porro libertos ab ipsis etiam collegiis ac sodalitiis, nedum ab oppidis, nomina habuisse, monstravit Fabrettus, apud quem leges (6) *T. Velatium Accensorum Velatorum Libertum,* et *Fabricium Centonium Collegiorum Libertum* (7) Fabrûm nempe et Centonariorum.

CCII. (Grut. p. 599. n. 7.)

D · M ·
TI · CL · THALLVS
PRAEPOSITVS · VELARIORVM
DOMVS · AVGVSTANAE
FEC · SIBI · ET · FILIS · SVIS · L · L · (8)
POST · (9) EORVM

Casaubonus ad Lampridium (10) Velarios, quos unae nobis inscriptiones prodiderunt, vix distinguere videtur a militibus classiariis, qui vela in amphitheatro ducebant. id vero secus est. nam *Velarii* dicuntur hic liberti illi, qui vela ad cubicula Principum praetenta custodiebant, quos et *Cancellarios* dixere (11): quippe aut cancelli aut vela ad cubiculi fores erant, quae Vlpianus (12) simul nominat: *si cancelli aut vela sint, legari poterunt.* inter praetenta foribus vela se abdidisse dicitur Clau-

(1) Stor. Let. d'Ital. t. II. p. 227.
(2) tab. 13.
(3) *Manius.*
(4) *Libertus.*
(5) v. Varr. de L. L. l. 7. c. ult.
(6) p. 433. n. IV.
(7) p. 434. n. 13.
(8) *Libertis, Libertabus.*
(9) *Posteris.*
(10) in Commod. c. 15.
(11) Vopisc. in Carin. c. 15.
(12) l. 41. D. de leg. et fidei com. 1.

dius apud Svetonium, simul atque de Caji caede cognovit. de Helagabalo autem Lampridius (1), *subito militum strepitu exterritus in angulum se condidit; objectuque* veli cubicularis, *quod in introitu erat cubiculi, se texit*. idem etiam de Severo Alexandro (2): *Cum amicis tam familiariter vixit, ut salutaretur quasi unus de senatoribus, patente velo.*

Praepositus Velariorum idem, opinor, ac primus Velariorum, sive Decurio, uti apud Gruterum (3) *Decurio Lecticariorum*, et apud Svetonium (4) *Decurio Cubicolariorum*. hunc hodie militari vocabulo *Decanum* appellamus, quo tamen et veteres usi aliquando etiam extra castra: nam Augustinus (5) de Coenobitis agens, *Opus*, inquit, *tradunt eis, quos* Decanos *vocant, eo quod sint denis praepositi.*

CCIII. (Fontan. Ant. Hor. p. 184. n. 15.)

L · FVFICIVS
OPTATVS · FECIT
L . FVFICIO
COMMVNI · PATRONO · ET
FVFICIAE · MVSAE · LIB ·
SIBI · SVISQVE · LIBERTIS
LIBERTABVSQVE · QVOS
TESTAMENTO · HONORAVERIT

Lucius Optatus patronum habuit L. Communem, Musa vero L. Optatum, qui et patrono et libertae nominatim, tum etiam reliquis ex familia sua et sibi sepulcrum fecit. sed quia testamentum suum ante mortem vulgari nolebat, adjecit *Quos Testamento Honoraverit*, id est quos haeredes instituerit: ipsam enim haereditatem *honorem* appellarunt (6). nemo autem ex libertis, nisi qui haeres relictus esset, in patroni sepulcrum inferri poterat: quod diserte traditur ab Vlpiano (7): *Liberti nec sepeliri, nec alios inferre poterunt, nisi haeredes exstiterint patrono: quamvis quidam inscripserint, monumentum sibi libertisque suis fecisse: et ita Papinianus respondit, et saepissime idem constitutum est.*

Fabretti aures scriptoris nec politissimi respuunt illud *Libertabus*, qui et *sordidum verbum* vocavit (8). ceterum et epitaphia id habent sexcenta eruditae etiam aetatis, et usurpavit Modestinus jurisconsultus (9), uti etiam Livius scripsit *Filiabus* (10): quod tum potissimum probari debet, quum ad generis distinctionem necessarium videtur.

(1) in Helag. c. 14.
(2) in Alex. c. 4.
(3) pag. 600. n. 1.
(4) in Domit. c. 17. n. 3.
(5) de morib. Eccl. Cathol. lib. 1. c. 31. n. 67.
(6) l. 3. D. de legat. praest.
(7) l. 6. D. de relig. et sumpt. fun.
(8) cap. 10. n. 434.
(9) l. 105. D. de verb. et ver. signif.
(10) l. 24. c. 13. n. 26.

CCIIII. (Murat. p. 1609. n. 4.)

LIBERT · (1) ET
FAMILIAE
L · ARRVNTI · L · F ·
TER · (2)

Familia hic servi sunt una cum libertis eodem jure in commune sepulcrum inferendi. ita apud Tullium (3) Catonis servi *Familia Catoniana* appellantur, et apud Phaedrum Aesopus dicitur domino solus fuisse *Familia* (4). titulos autem hujus generis fere in fronte sepulcrorum collocabant, quum interius sub cujusque urnis singulorum nomina adscriberentur. ita hic ipse Romae adhuc visitur ad modici hypogei aditum: manet enim et titulus et sepulcrum et urnae prope omnes. locus nunc intra moenia est, post aedem Vivianae Martyris, eumque dudum qui antiquitatis reliquias cato monstratore investigant, adire omnes, nec sine voluptate lustrare solent.

De L. Arruntio Muratorius, *Is creditur*, inquit, *qui sub Augusto Consul processit*. sed iste, qui consulatum gessit anno v. c. Varron. DCCXXXII. in fastis appellatur *L. Arruntius Nepos* (*a*): quum hic noster cognomine non utatur: quod vetustioris aetatis indicium est. lege, quae subjeci inscr. XXXXVIIII.

CCV. (Murat. p. 181. n. 2.)

D · M · S ·
CVLTORIBVS
SATVRNI
IN · AGR · P · IIII ·
IN · FR · P · IIII ·

Cultores Deorum in antiquis marmoribus saepe offendi, ut *Cultores Iovis* (5), *Cultores Herculis* (6), *Cultores Larum et Imaginum Domus Augustae* (7). quaerenti autem, quinam essent, non ii mihi eo nomine designari visi sunt, quicumque Deos venerarentur impensius, ac saepe in fanis eorum supplicarent, e quibus se non fuisse fatebatur Horatius, sententiam jam mutaturus (8),

Parcus Deorum cultor et infrequens:

sed sodalitates potius atque collegia singulis addicta templis: quorum esset tueri sarta tecta, et sacris etiam operari. Svetonius certe sacerdotes Gallos *Cultores Deum Matris* appellat (9): inscriptio Gruteriana *Familiam Aedis* memorat (10): apud Muratorium autem leges, *Collegium Cultorum Bonae Deae Caelestis* (11): quae mihi exempla rem hanc prope conficere visa sunt. atque hi plerumque ὁμοταφοι erant (12).

Neque vero Cultorum id genus novum apud vetustiores Romanos, ac sub Augu-

(1) *Libertorum*.
(2) *Terentina tribu*.
(3) ad Q. Fr. l. 2. epist. 6.
(4) lib. 3. fab. 19.
(4) Atqui *Nepotis* cognomen huic consuli abjudicant fere omnes critici praestantiores.
(5) Maff. M. V. p. 240. n. 7.
(6) Grut. p. 315. n. 6. 7. 8.
(7) Fabr. p. 448. n. 57.
(8) lib. 1. od. 34.
(9) in Othon. c. 8. n. 5.
(10) p. 352. n. 3.
(11) p. 181. n. 9.
(12) l. 4. D. de coll. et corp.

stis tantum auditum: hujusmodi profecto erant *Martiales* illi Larini, quorum meminit Tullius (1), *Ministri publici Martis, atque ei Deo veteribus institutis religionibusque Larinatium consecrati:* hujusmodi etiam *Venerei* in Sicilia, de quibus saepe idem Tullius in orationibus contra Verrem (2).

Hi autem Saturni Cultores Venafri erant, aut in ejus urbis agro; ibi enim inscriptio prodiit in lucem: ei Deo perpaucos illic cultores fuisse, spatium sepulcri communis satis declarat, pedum quadratorum non amplius quatuor.

CCVI. (Grut. p. 315. n. 7.)

LOCVS
SEPVLTVRAE
CVLTORVM
HERCVLIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI
IN . FR · P · XXXV ·
IN · AG · P · XXX ·

Felicior Hercules Interamnae Nahartium, ubi epitaphium hoc repertum est, quam Saturnus Venafri. nam monumenti amplitudo non exiguum Cultorum ei numerum fuisse demonstrat. de Deorum appositis dixi aliquid ad inscr. XXXI. Herculem *Defensorem* dixere ob mortales adversus monstra defensos, *Pollentem* ob vim natura insitam, *Invictum*, quia in omni certamine victor fuerit. idem etiam *Potens* aliquando dictus (3), ob vires, ut ajunt, exercitatione adquisitas.

Ceterum si Maffejo auscultes, titulum hunc *commentitium demonstrant tria illa Herculi adtributa: neque enim*, inquit (4), *istic ellogii Herculi texendi locus erat.* atqui ea non tam laudis ergo, quam discriminis caussa adjecta putem: ut quum plura essent ejusdem Dei una in urbe vel templa vel simulacra, suum quisque numen certis indiciis designaret. quippe haec quoque apposita usu interdum perpetua fiebant, ut Deum suum sine illis nemo appellaret, quemadmodum et Imperatorem, si de eo mentio facienda esset, *Pium Felicem Augustum* dicebant. sic antiquis in inscriptionibus nec sacris aliae id genus Deorum appellationes occurrunt: et in Maffejanis etiam nescio quam Deam Vdisnam cum apposito *Augustam*, et Mithram *Invictum Numen* cognominatum invenies (5): etsi neutra inscriptione Deorum illorum recensendae erant laudes, quum utraque ex historicarum genere sit.

(1) pro Cluent. c. 15. n. 43.
(2) Act. 2. l. 2. c. 38. n. 92. etc.
(3) Grut. p. 50. n. 3.
(4) Art. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 262.
(5) M. V. p. 89. n. 3. et p. 262. n. 1.

CCVII. (Acad. Paris. t. 10. p. 457.)

LEG · VIII · AVG · (1)

Ita inscriptum in tegulis aliquot, quae apud Argentoratum detectae sunt: similisque inscriptio illa in latere antiquo, quam edidit Marsilius (2), LEG. X. G. P. F. (3) item aliae alibi: ut satis jam constet, ad ceteros labores hunc quoque Romanis militibus accessisse, ut terram aliquando subigerent, fingerentque ex ea lateres tegulasque.

Sed num, inquies, huic inscriptioni locus hic erat? equidem putavi esse, quod sub tegulis, quae hanc referebant, in tecti morem acclinatis, inventa ossa sunt et lucernae phialaeque. quare tumulum ibi fuisse puto legionis octavae, quae Ptolemaeo teste (4), sub M. Aurelio et L. Vero apud Argentoratum in praesidiis erat. opportunissime enim in ipsis tegulis et lapidem et titulum sepulcralem se nactos esse putaverant legionarii illi milites, ut suprema commilitonibus officia persolverent. ibi enim hos terra condi necesse erat, ubi occubuissent: quippe jam usque a Marianis temporibus senatus decreverat, inquit Appianus (5), τους αποθνησκοντας εν τοις πολεμοις . . . . ενθαπερ αν ωσι, θαπτεσθαι, του μη τους λιπους εκ της οψεως αποτρεπεσθαι των στρατιωτων.

Ceterum municipia deinde atque coloniae civibus suis, qui in acie cecidissent, saepe cenotaphium publice exstruebant, ut Nursini olim iis, qui in Mutinensi proelio desiderati fuerant, quorum tumulo adscripsere, *pro libertate eos occubuisse* (6). porro Graecorum maxime munificentia celebratur, in primisque Atheniensium, apud quos Pausaniae aetate multa etiamtum manebant publica fortissimorum militum sepulcra, qui pro patria pugnantes mortem oppetiissent (7).

(1) *Legionis Octavae Augustae.*
(2) in Danub. t. 2. p. 94. n. 4.
(3) *Geminae Piae Felicis.*
(4) lib. 2. c. 9.
(5) B. C. l. 1. p. 377. A. *qui in acie occubuissent, ibi sepelirentur, ubi essent, ne reliquorum militum animos aspectus percelleret.*
(6) Svet. in Aug. c. 12. n. 2. Meurs. de fun. c. 40.
(7) lib. 1. c. 29. v. Maff. M. V. p. 405.

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CCVIII. (Murat. p. 799. n. 6. Lup. dissert. 5.)

M · BLOSSIO
Q · F · ANI · (1) PVDENTI
7 · (2) LEG · V · MACEDONIC ·
DONIS · MILITARIBVS
DONATO · AB
IMP · VESPASIANO · AVG ·
TORQVIB · ARMILLIS
PHALER · CORONA · AVREA
VIX · AN · XLIX · SANCTISSIME
ET · PROPE · DIEM · CONSVMMATIONIS
PRIMIPILI · SVI · DEBITVM
NATVRAE · PERSOLVIT
M · BLOSSIVS · OLYMPICVS
PATRONO · OPTVMO
FECIT · ITEM · SIBI · ET · LIBERTIS
ET · LIBERTABVS · SVIS · POSTERIS
QVE · EORVM
LONG · P · XXX · LAT · P · XVII ·

Legebant quidam *M. Blossio Quirina Fani*. mendose: nam in marmore, quod erat in Museo Kircheriano, punctum inter F et ANI. ipse ego et digito et oculis deprehendi.

Mortuus videtur Blossius ante ipsum Vespasianum, quum hic Divus ex more non appelletur, ut animadvertit Lupius (3).

De Primipilo dixi ad inscr. LXXXXVII. Fabretti (4) sententia fuit, eundem in antiqua militia Primipilum atque Aquiliferum. at ejus et argumenta et auctoritates elevavit Bimardius (5), opposuitque insignem hunc Livii locum (6): *Q. Victorius Primipili Centurio et C. Atinius Tribunus militum, quartae hic, ille secundae legionis, rem in asperis proeliis saepe tentatam, signa adempta signiferis in hostes jecerunt*. ceterum aquilam, quam signifer praeferebat, ipsius Primipili propriam fuisse, ille Iuvenalis versus declarat (7),

(1) *Aniensi tribu*.
(2) 7. *Centurioni*.
(3) dissert. 5. p. 79.
(4) de Col. Traj. c. 7. p. 188.
(5) diss. 2. t. 1. Thes. Murator. p. 99.
(6) lib. 34. c. 25. n. 46. adde Svet. in Aug. c. 10. n. 10.
(7) Sat. 14. v. 197.

Vt locupletem aquilam tibi sexagesimus annus
Afferat.

unde etiam Blossii laudandi non levis exsistit caussa, qui annos natus quadraginta novem, honorem et commoda Primipili jam adepturus erat. *Consummasse* autem dicebantur, qui stipendia confecissent (1).

CCVIIII. (Fabr. p. 266. n. 106.)

FL · (2) AVG · LIB · HELPIDI
CAENIDIANAE · QVAE
CVM · VIXIT · DEA · ET · SANCTISSIMA
DICTA · EST · CALLISTVS · AVG · LIB ·
HYGINIANVS · CONIVGI · CARIS
SIMAE · CVM · QVA · VIXIT · BENE · AN
NIS · L · ET · VLPIA · CALLISTE · FILIA · MATRI · PI
ENTISSIMAE · LIBERTIS · LIBERTABVS · POS
TERISQVE · EORVM · H · M · H · N · S ·

Servam Caenidis agnoscito, quae liberta fuerat Antoniae Claudii matris. hanc Vespasianus libertate donavit ipsius Caenidis gratia, quam ipse post uxoris excessum revocaverat in contubernium, habebatque etiam imperator pene justae uxoris loco (3): quippe illi plurimum Dione teste (4) debebat. idcirco Helpis et *Flavia* dicta est et *Caenidiana*.

At quum monumentum hoc libertis quoque et libertabus et posteris eorum factum dicatur, cur adjectum tamen est, *Hoc Monumentum Heredem Non Sequitur?* praesertim quum vel ipsi liberti eo inferri non possent, nisi haeredes instituti fuissent (5). nodum hunc sic expedias. Callistus et filia Vlpia quum aliud forsitan sepulcrum alio loco sibi exstruendum curarent, hoc Helpidi et libertis ejus dicavere, ut eorum esset et posterorum suorum tantum: jure haeredibus adempto, si quos ipsi aliquando instituturi essent extraneos: brevius dicam: sepulcrum Helpidis *Familiare*, non *Hereditarium* esse voluerunt (6).

(1) Svet. in Cajo c. 44. n. 2.
(2) *Flaviae*.
(3) Svet. in Vesp. c. 3. n. 4.
(4) Xiph. l. 66. p. 1087. C.
(5) l. 6. D. de relig. et sumpt. fun.
(6) ibid. l. 5.

CCX. (Maff. M. V. p. 320. n. 2.)

D · M ·
SERVILIAE · POLLAE · F ·
QVAE · VIXIT · ANN · XII · D · XVII ·
FECIT
L · SERVILIVS · AGATHYRSVS
PATER · ET · SIBI · ET · POPILIAE
BERONICAE · CONIVGI · ET · SVIS
LIB · LIBERTABVSQ · POSTERISQ ·
EORVM · HVIC · MVNIMENTO
INTERCEDET · LEX · NE · DONATIO
FIAT · QVOD · SI · QVIS · ADMISERIT
INFERET · AERARIO · P · R · HS · XXX · N · (1)

Munimentum vel etiam *Monumentum*, ut habent Pandectae Florentini (2), ipsum sepulcri ambitum sive maceriam aliquando designat. lex autem, ne donatio fieret, aut ipsa erat lex, quam Servilius subscripserat, aut senatus consultum indicare voluit, quo cavebatur, ut ait Vlpianus, ne usus sepulcrorum permutationibus polluerentur (3). alienatione item violari sepulcra, rescripsit Gordianus tertius Aug. (4).

Multam autem in eos, qui sepulcra donarent, alienarent, quia non eandem in omnibus epitaphiis dictam esse video, sed modo majorem ea, quam hic legimus, modo minorem; idcirco ea duplum pretii aut quadruplum fere indicari crediderim, quo sepulcrum auctori steterit: quemadmodum furem dupli, foeneratorem quadrupli condemnari scripsit Cato (5): nec tamen nisi tamquam conditionem appositam esse (6), qua accepta haeres teneretur. pecuniam porro vel in aerarium P· R· vel in fiscum Principis vel in arcam pontificum inferre jubebatur: qua de re fusius a Guthero actum est (7): quidam vero Vestalibus dare jussus, aut populo (8).

CCXI. (Fabr. p. 154. n. 238.)

D · M · S ·
ANNIAE · GALITTAE · VXORI
SANCTISSIMAE · ET · INCOMPARABILI
T · STATILIVS · CALOCERVS . ET · SIBI · ET · SVIS
POSTERISQ · EORVM · LOCO · SIBI · CONCESSO
A · PATRONIS · SVIS · CVIVS · MONIMENTI · MACERIA · IN
CIRCVITV · CLVSA · CONTINET · IN · LONG · P ·
CXL · IN · LAT · P · LV ·

(1) *Populi Romani sestertium* 30000. *nummum*.
(2) v. inscr. 162.
(3) l. 12. D. de rel. et sumpt. fun. §. 1.
(4) l. 1. C. de sep. viol.
(5) de R. R. in praef.
(6) l. 2. D. de iis quae poen. causs.
(7) de jur. man. l. 3. c. 6.
(8) Grut. p. 861. n. 13.

Non maceria modo, sed etiam porticu sepulcra aliquando cingebantur, ut indicavit Macer (1): *Itaque*, inquit, *si amplum quid aedificari testator jusserit, veluti in circuitu porticationes, eos sumptus funeris caussa non esse.*

CCXII. (Fabr. p. 42. n. 235.)

FAMILIAE · ET
LIBERTOR ·
T · SEPTVMI · SABINI
IANVARIVS · AVG · ET · ATILIA · EVSTA
SIA · MACERIAM · TEMPESTATE
LAPSAM · RESTITVERVNT · SINE · INIV
RIA · PRIORVM · ET · SIBI · ET · SVIS · FECERVNT
POSTERIS · Q · EORVM

Sepulcri maceriam vis tempestatis sive turbo aliquis prostraverat. hanc Ianuarius et Atilia sic restituerunt, ut nec sepultorum cineres loco moverent, et sibi tamen et suis posterisque eorum monumentum pararent.

De servorum uxoribus, quae ingenuae essent, dixi ad inscr. CLXXXXI. ex his fuisse Atiliam, verisimile est; aut certe liberta fuit. Ianuarium autem Augusti servum non libertum fuisse, hinc collige, quod libertis quidem numquam veteres non adscribant LIB aut L at servis, praeter domini nomen, saepe aliud nihil: qua de re multis egit Hagembuchius (2).

Sed fuere etiam, qui putarent, multos e servis, quos Caesares aut viri primarii manumisissent, in servitute tamen apud eos mansisse, nec libertatem auro aut honestiore aliquo inter servos munere potiorem existimasse (3). igitur, quum liberti essent, pro servis autem se gererent, nec servos se nec libertos dicere voluerunt, ne aut servitutem defugere, aut libertatem repudiare viderentur.

CCXIII. (Pratill. V. App. p. 63. ex Grut. p. 1045. n. 2.)

MEMORIAE · AETERNAE
LIBER · ET · SERV · FAM · CLAVD · (4)
TI · CLAVDIVS · TI · LIB ·
HERIDANVS
DD · (5) KAL · SEPTEM ·
P · CORNELIO · DOLABEL · C · IVNIO · SILANO · COS · (6)
IN · FR · P · XII · IN · AGR · P · XXVI ·

Familiae nomine hic quoque non gens Claudia intelligenda est, sed ipsi liberti

(1) l. 37. D. de rel. et sumpt. fun.
(2) Epist. epigr. p. 157. etc.
(3) Bonad. dissert. 9. n. 7. Hagemb. epist. epigr. p. 164.
(4) *Libertorum et Servorum Familiae Claudiae.*
(5) DD. *Dedicavit.*
(6) Anno V. C. Varr. 763.

et servi Claudiorum, e quibus *Familia* Claudia constabat. nempe de ingenuis sermo quum esset, *Familias* Romani appellabant ipsas tantum domos, quae plures una e gente prodiissent, hasque, haud nomine, sed cognomine distinguebant. sic quum Claudia gens duplex esset, altera patricia, altera plebeja, e patricia gente Claudiorum esse dicebantur familiae *Pulcrorum*, *Neronum*, *Centhonum*; e plebeja *Marcellorum*, *Ciceronum* (1), *Quadrigariorum* (2) qui omnes Claudii erant, sed singuli ex alia domo. hos autem libertos servosque ad Nerones pertinuisse, indicat auctor monumenti, qui libertus Ti. Claudii dicitur, ejus scilicet, qui imperium post Augustum obtinuit aut patris ejus: nam et Nerones eo praenomine usi: et consulatus, qui adscriptus est, horum temporibus respondet.

Claudiam gentem patriciam omnium sincerissimam fuisse legimus: quippe in ejus nomen quum ex Aenobarborum familia, quae in Domitia gente censebatur, L. Domitius, cui postea Neroni nomen fuit, a Claudio Aug. adscitus esset, *adnotabant periti*, inquit Tacitus (3), *nullam antehac adoptionem inter patricios Claudios reperiri, eosque ab Atta Clauso continuos duravisse.*

Monumentum autem *dedicatum* nihil hic aliud est, quam absolutum apertumque omnibus, qui illuc visendi caussa venissent: de qua significatione plura dixi ad inscr. XXXVIII. reperta autem inscriptio est via Appia haud procul Basilii busto, cujus meminit Tullius (4), prope urbem.

De Publio hoc Cornelio Cos. egi ad inscr. LXXX. Silanorum saepe mentio fit apud veteres scriptores, e quibus Svetonius Claudiorum eos affines fuisse tradidit (5).

CCXIII. (Fabr. p. 149. n. 193.)

C · CAECILIVS · FELIX
ET · C · CAECILIVS · VRBICVS
LOCVM · ITA · VTI · EST · CONCAMERATVM
PARIETIBVS · ET · PILA · COMPREHENSIS · LONGVM
P · VI · LATVM · P · VIIS · (6) CONSECRAVERVNT · SIBI · ET
C · CAECILIO · RVFINO · ET · C · CAECILIO · MATERNO · ET
LIBERTIS · LIBERTABVSQVE · POSTERISQVE · EORVM
EXCEPTA · SECVNDINA · LIBERTA · IMPIA
ADVERSVS · CAECILIVM · FELICEM · PATRONVM · SVVM
H · M · H · N · S ·

Formam sepulcri Caeciliani hanc puto fuisse, ut aediculam imitaretur parietibus a tergo clausam, in fronte apertam, quae tamen cameras haberet duas, pilamque in medio, quae et fornices sustineret, et Felicis loculum a loculo Vrbici divideret: sub utroque autem reliqua columbaria essent ad ceterorum urnas collocandas.

Consecrasse sibi locum dicuntur Caecilii, quod eum ad sui sepulturam destinassent: qui locus, ubi cineres illati essent, sacer erat futurus.

De libertis, quos patroni nominatim exceperunt, ne in monumentum suum infer-

(1) Liv. l. 3. c. 12. n. 31.
(2) Vell. l. 2. c. 9.
(3) Ann. l. 12. c. 25.
(4) ad Attic. l. 7. epist. 9.
(5) in Claud. c. 29. n. 3.
(6) *Pedes septem et semis.*

rentur, dixi ad inscr. CLXXXXVII. ac de formula, quae jus sepulturae adimit haeredibus, ad inscr. CCVIIII.

CCXV. (Murat. p. 181. n. 6.)

LOC ·
CVLTORVM · HERC · RESP ·
SVB · QVADRIGA
IN · F · P · XXX ·
IN · AGR · P · XXV ·
HVIC · LOCO
Q · OCTAVIVS · COMMVN ·
T · FVNDILIVS · QVARTIO
IN · F · P · XIIII · IN · AGR · P · XXI ·
DONAVERVNT

Ecce tibi novum Herculis appositum *Respicientis*, quo Fortuna appellabatur, ut attigi ad inscr. XXVII. hoc titulo Reatini ornarunt Herculem, vel quod ejus Dei statua reflexo capite respicere videretur: vel quod ipsum Herculem urbi suae propitium putarent: nam *Respicere* aliquando est opem ferre, ut apud Tullium (1): *Nisi idem Deus, qui nos Parthico bello liberavit, respexerit rempublicam*. additum est *Sub Quadriga*, ut constaret, cujus Herculis Cultores in monumento conderentur. sic et Romae loca quaedam indicabant, *Sub Veteribus*, *Sub Novis* (2), fori nempe tabernis.

Quadrigas autem, sive currus equis tractos quaternis, easque sive fictiles (3) sive marmoreas aut ex aere factas, saepe veteres ornatus gratia in templorum fastigiis, in frontibus basilicarum, in ipsis fornicibus triumphalibus collocarunt: quorum imagines prisci nummi et marmora referunt. quadrigam hujusmodi in praefectura Reatina fuisse, hinc discimus, sub eaque statuam Herculi Respicienti dicatam.

§. III.

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CCXVI. (Montfauc. t. 5. p. 126.)

C · POBLICIO · L · F · BIBVLO · AED · PL · (4) HONORIS
VIRTVTISQVE · CAVSA · SENATVS
CONSVLTO · POPVLIQVE · IVSSV · LOCVS
MONVMENTO · QVO · IPSE · POSTERIQVE
EIVS · INFERRENTVR · PVBLICE · DATVS · EST

(1) ad Attic. lib. 7. ep. 1. n. 266. (4) *Aedili Plebis*.
(2) Turneb. ad Cic. de Orat. lib. 2. c. 66. (3) Plin. H. N. l. 28. c. 2. n. 4.

Praeter virgines Vestales (1), quidam etiam e claris viris, ut Poblicius et posteri ejus, honoris virtutisque caussa in ipsa urbe sepulti sunt, quum ceteri omnes lege XII. Tabularum extra urbem et uri et sepeliri deberent. ex illis Poblicolam Plutarchus (2), Cicero etiam Tubertum nominat (3). gentem Claudiam locum sibi ad sepulturam sub Capitolio publice accepisse, scribit Svetonius (4): quo item loco Poblicii hujus Bibuli sepulcrum est intra urbis pomoerium. et *Cincia locus Romae*, inquit Festus, *ubi Cinciorum monumentum fuit*. hunc eundem honorem Cicero habendum censuit Ser. Sulpicio, quod in maximo reipub. munere vitam amisisset (5). *Vtique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Cos. seu quo alio in loco videatur, pedes triginta quoquo versus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur. quod sepulcrum, ipsius, liberorum posterorumque ejus sit: uti quod optimo jure sepulcrum publice datum est.*

Illud autem ex veteri formula, *Senatusconsulto Populique jussu:* quippe senatus *decernere*, populus *jubere* dicebatur (6). in antiquo etiam nummo apud Vaillantium (7), qui equestrem statuam refert, Augusto statutam, adscriptum est POPVLI IVSSV.

CCXVII. (Maff. Gall. Ant. epist. 6.)

IVLIA
M · FIL · TESSILIA
DOMICILIVM
SIBI · ET · SVIS

Domicilium, id est sepulcrum sibi suisque paraverat Iulia. hoc Tibullus quoque *Domum marmoream* appellavit (8). in epitaphiis autem ex opinione eorum, qui se revicturos nescirent, etiam *Domus Aeterna* dicitur.

CCXVIII. (Maff. M. V. p. 151. n. 1.)

L · M · (9)
FLAVIORVM
Q · Q · V · P · L · (10)

Suburbanum Flaviorum memorat Svetonius (11), ubi fortasse monumentum etiam fuit. sed Romae pro monumento templum Flaviae gentis excitavit Domitianus (12), quo et reliquias ejus intulit Phyllis nutrix, cineribusque Iuliae filiae Titi commiscuit (13).

(1) Serv. ad Aen. l. 11. v. 206.
(2) in Poblic. p. 109. C.
(3) de leg. lib. 2. c. 23. n. 58.
(4) in Tiber. c. 1. n. 3.
(5) Philipp. 9. c. 7. n. 17.
(6) Cic. in Verr. Act. 2. l. 2. c. 67. n. 161. etc.
(7) Impp. t. 2. p. 34.
(8) lib. 3. el. 2. v. 22.
(9) *Locus Monumenti*.
(10) *Quaquaversus Pedes* 50.
(11) in Vesp. c. 5. n. 2.
(12) idem in Domit. c. 5. n. 2.
(13) idem ibid. c. 17. n. 6.

CCXVIIII. (Fabr. p. 42. n. 232.)

EX · DOMO
CAESARVM · ET
LIVIAE
LIBERTORVM · ET · SERVORVM

Locus nempe monumenti eorum, qui sunt ex domo Caesarum et Liviae Aug. libertorum et servorum. inscriptionem hanc Maffejus (1) *obscuram et detruncatam funerarii tituli formulam* immerito appellat: nec obscura aliis sententia visa est, et integra profecto inscriptio, quam et Gorius edidit in libro, qui inscribitur *Monumentum sive Columbarium libertorum et servorum Liviae Augustae et Caesarum* (2).

CCXX. (Vignol. Inscr. Sel. p. 273.)

D · M ·
QVI · TVOS · CAROS
H A B E S
PARCE

Multos, opinor, cives sive bello sive peste absumptos unum habebat sepulcrum. hi cives quemlibet rogantes inducuntur, ut sibi parcat, nec tumulum violare audeat. non aliter infelix ille Polydorus apud Virgilium (3):

Parce pias scelerare manus, non me tibi Troja
Externum tulit,

CCXXI. (Fabr. p. 21. n. 91.)

NE · TANGITO
O · MORTALIS
REVERERE
MANES · DEOS

Hanc quoque inscriptionem Fabretto invidit Maffejus (4), *fidenter,* inquit, *rejicio, et pro recentibus commentis habeo, neque enim ejusmodi lemmata faciunt ad rem, neque antiquis aptantur moribus.* atqui non video, quid apposite magis in miserae plebis aut peregrinorum sepulcro incidi posset, quo scilicet cadavera nec numero nec honore inferrentur. admonere autem de loci religione, ne sepulcra violarentur, id ne contra morem consuetudinemque antiquorum, quum tot in epitaphiis loci religiosi in longum latumque pedes adscriptos esse videamus? Sponius tamen titulum hunc Romae ex urna marmorea a se exscriptum affirmat (5), in qua fortasse commixti multorum cineres, quorum nomina ignorabantur.

(1) Art. C. L. l. 3. c. 3. p. 217.
(2) Florent. 1727. p. 60.
(3) Aen. l. 3. v. 41.
(4) Art. C. L. l. 3. c. 4. p. 440.
(5) Misc. Er. Ant. p. 23.

CAPVT IIII.

Specimen inscriptionum historicarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus rerum publice gestarum, operum publicorum, locorum publicorum privatorumque, item eorum, quae legata, donata, vendita aut empta sunt, memoria posteris proditur

Quamquam multos singulis aetatibus scriptores floruisse constat, qui temporum suorum historias condiderint, et plerasque res immortalitati commendarint; tamen non modo ex eorum libris amisimus plurimos, sed etiam in iis ipsis, quos a majoribus accepimus, multa passim desiderari videmus, quae, nisi marmoreis in monumentis exstarent, jamdiu aevi vetustas ex animis hominum delevisset. neque vero ea solum praetermissa saepe sunt, quae privata aut exigua haberi possent, sed ea quoque interdum, quae et dignitate Principum et magnitudine rerum illustria essent. norunt haec qui antiquitatum dediti studiis, multas omnis generis inscriptiones accuratius perlegerunt. quare ex eorum numero vir doctus auctor olim mihi erat, ut Spanhemii opus illud egregium de re nummaria aemulatus, libros hosce meos ita distinguerem ornaremque, ut titulus eorum esse posset, *De praestantia et usu inscriptionum*. cujus quidem consilium nunquam ego aspernatus sum: ingenio potius diffidi meo; nec tantam rem profiteri ausus, aliquid tamen vel hoc ipso labore me conferre existimavi, quo alius uti posset: siquidem ejus operis perfectionem Spanhemio non impar aggrederetur.

Enimvero si ceterarum inscriptionum magnum omnium usum, magnas esse utilitates fatemur; quanto eas rectius atque utilius a veteribus inventas dabimus, quae maxime vel historiarum interitum vel scriptorum negligentiam compensare aliquando possent? quas illi potissime quum perennibus in tabulis consignatas post se reliquerint, nihil profecto seris nepotibus vel auctoritate certius vel scriptione emendatius, tamquam majorum haereditas, transmitti potuit. itaque Tullii eas verbis verissime appellare liceat *testes temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, nuncias vetustatis*.

Hasce igitur inscriptiones, quum neque a religione aut pietate, neque ab honore aut commendatione nomen habere possent, jure quodam proprio *Historicas* appellandas putavi: quod ad posterorum maxime cognitionem propositae, subjectas res prisco historiae more narrare videantur. ex his Fasti primum sibi vindicant locum et qui consulares dicuntur et qui triumphales. sed eos hic dare non possum, nisi quales ex veterum reliquiis restituit Piranesius, sciteque concinnavit: quos tamen integros describere opus mihi non fuit, qui specimen eorum tantummodo proferre deberem.

Sequetur pars altera multo copiosior, et stili hujus nostri amatoribus longe hac aetate opportunior, quae operum publicorum titulos continebit. horum autem, quia in-

scriptionum ceterarum naturam et varietatem imitantur, tres erunt articuli, in quos et simplicis et ornatae et singularis dictionis exempla distribuam.

At parte tertia Indices comprehendam locorum publicorum privatorumque; quarta vero Indices eorum, quae cui legata, donata sint, aut a quoquam vendita aut empta: quo quidem nomine quamquam inscriptiones quaelibet aliquando appellatae sunt, hae tamen aptius denominari mihi videntur; quippe quae non res gestas exponant, sed locorum fines indicent, aut jus dominorum et quid in cujusque mancipio sit, paucis designent. porro quartum hoc esse inscriptionum genus et a ceteris diversum, stili ipsius ratio, et quae stilo res subsunt, maxime declarant. quamquam tirones exempla ea, quae jam subjiciam, legentes, plura forsitan hoc capite consociata existimabunt, quam res ferre videretur. quare eos ego praemonitos volo, judicio ne stent suo, deque iis exemplis, quae minus commode hoc capite censeri putant, ut antea diligenter inquirant, ullum ne sit genus aliud, cui recte tribui posse videantur.

PARS I.

FASTI

§. I.

FASTI CONSVLARES

CCXXII. (Piranes. Lapid. Capitol. p. 1.)

ROMVLVS · SILVIVS · REX · ROMAM I ·
CONDIDIT · ANNO · PRIMO OLYMPIADIS
VII · EX · A · D · XI · KAL · MAIAS
ISQVE · DIES · NATALIS · VRBIS
PARILIA · APPELLATVS · EST
BELLVM · PRIMVM · SABINVM IIII ·
TITVS · TATIVS · SABINVS · A · ROMVLO VIII ·
SILVIO · REGE · IN REGNI CONSORTIVM
ADSCITVS · ISQVE · POSTEA · QVAM
CVM · ROMVLO · REGNASSET · ANNOS
V · OCCISVS · EST
BELLVM · CAMERINVM XVI ·
BELLVM · VEIENS · ET · FIDENAS XXI ·
ROMVLVS · SILVIVS REX · E · MEDIO XXXVII.
SVBLATVS · DIVORVM · NVMERO
ADSCRIPTVS · ET · QVIRINVS
APPELLATVS · EST
INTERREGNVM XXXIIX.
NVMA · POMPILIVS · POMP · F · SABINVS XXXIX ·
REX · SECVNDVS · POPVLI · IVSSV · ET
PATRVM · AVCTORITATE · CREATVS · EST
NVMA · POMPILIVS · POMP · F · SABINVS LXXXI.
REX · MORTVVS · EST
TVLLVS · HOSTILIVS · HOSTI · F · HOSTI LXXXII.
N · REX · TERTIVS · POPVLI · IVSSV
ET · PATRVM · AVCTORITATE
CREATVS · EST
BELLVM · ALBANVM LXXXV ·
TVLLVS · HOSTILIVS · HOSTI · F · HOSTI XCIII.
N · REX · FVLMINE · ICTVS
INCENDIO · ABSVMPTVS · EST
ANCVS · MARCIVS · NVMAE · F · NVMAE · N · XCIIII.
REX · QVARTVS POPVLI IVSSV · ET
PATRVM · AVCTORITATE · CREATVS · EST

BELLVM · LATINVM XCVII ·
ANCVS · MARCIVS · NVMAE · F · NVMAE CXXXVII·
N · REX · MORTVVS · EST
L · TARQVINIVS · DAMARATI · F · PRISCVS CXXXVIII·
REX · QVINCTVS · POPVLI · IVSSV · ET
PATRVM · AVCTORITATE · CREATVS · EST
BELLVM · ETRVSCVM · PRIMVM CLVII ·
L · TARQVINIVS · DAMARATI · F · PRISCVS CLXXIV.
REX · OCCISVS · EST
SER · TVLLIVS · REX · SEXTVS · PRIMVS CLXXV.
POPVLI · INIVSSV · ET · PATRVM
AVCTORITATE · REGNVM · INIIT
LVSTRVM · QVATER · FECIT
EODEM · ANNO · CONSVLES · PRIMVM · CREARI · COEPTI
L · IVNIVS · M · F · BRVTVS ·
POSTEA · QVAM · SIBI · CONLEGAM · SVBROGASSET
IN · PROELIO · OCCISVS · EST · IN · EIVS
LOCVM · FACTVS · EST
SP · LVCRETIVS · TRICIPITINVS
IN · MAG · MORT · EST · IN · E · LOC · F · E · (1)
M · HORATIVS · PVLVILLVS
CCXLV ·
P · VALERIVS · VOLVSI · F · POPLICOLA · II ·
BELLVM · ETRVSCVM · TERTIVM
P · VALERIVS · VOLVSI · F · POPLICOLA · III ·
SP · LARTIVS · FLAVVS ·
M · VALERIVS · VOLVSI · F ·
P · VALERIVS · VOLVSI · F · POPLICOLA · IIII·
CCL ·
P · POSTVMIVS · Q · F · TVBERTVS · II ·
OPITER · VERGINIVS · TRICOSTVS ·
POSTVMVS · COMINIVS · AVRVNCVS ·
SER · SVLPICIVS · P · F · CAMERINVS ·
P · VETVRIVS · GEMINVS · CICVRINVS ·
T · LARTIVS · FLAVVS · II ·
T · LARTIVS · FLAVVS · PRIMVS ·
SP · CASSIVS · VISCELLINVS · PRIMVS ·
A · SEMPRONIVS · ATRATINVS ·
A · POSTVMIVS · P · F · ALBVS · REGILLENSIS ·
A · POSTVMIVS · P · F · ALBVS · REGILLENSIS ·
T · AEBVTIVS · T · F · ELVA ·
AP · CLAVDIVS · INREGILLENSIS · SABINVS ·
A · VERGINIVS · A · F · TRICOSTVS · CAELIMONTANVS ·

BELLVM · ETRVSCVM · SECVNDVM CLXXVIIII·
SER · TVLLIVS · REX · OCCISVS · EST CCXIIX.
L · TARQVINIVS · L · F · DAMARATI · N · CCXIX.
REX · SEPTIMVS · POPVLI · INIVSSV
ET · SINE · PATRVM · AVCTORITATE
REGNVM · INIIT · QVI · POSTEA
SVPERBVS · APPELLATVS · EST
BELLVM · VOLSCVM CCXXIV ·
L · TARQVINIVS · L · F · DAMARATI · N · CCXLIV ·
SVPERBVS · REX · VRBE · ET · REGNO
EXACTVS · KAL · MART · QVI · DIES
REGIFVGIVM · APPELLATVS · EST
L · TARQVINIVS · EGERI · F · ARVNTIS · N · COLLATINVS
COACTVS · A · CONLEGA · ABDICAVIT · IN
EIVS · LOCVM · FACTVS · EST
P · VALERIVS · VOLVSI · F ·
QVI · IN · HOC · HONORE · POPLICOLA
APPELLATVS · EST
T · LVCRETIVS · T · F · TRICIPITINVS · LVST · F · V ·
M · HORATIVS · PVLVILLVS · II ·
T · HERMINIVS · AQVILINVS
P · POSTVMIVS · Q · F · TVBERTVS
T · LVCRETIVS · T · F · TRICIPITINVS · II ·
AGRIPPA · MENENIVS · C · F · LANATVS
SP · CASSIVS · VISCELLINVS
T · LARTIVS · FLAVVS
M' · TVLLIVS · LONGVS · IN · MAG · MORT · EST
T · AEBVTIVS · T · F · ELVA
Q · CLOELIVS · SICVLVS
DICT ·
SED · SEDANDAE · ET · REI · GERVND · CAVSSA · L · F · VI ·
MAG · EQ ·
M · MINVCIVS · AVGVRINVS
T · VERGINIVS · TRICOSTVS · CAELIMONTANVS
DICT ·
REI · GERVNDAE · CAVSSA
MAG · EQ ·
P · SERVILIVS · P · F · PRISCVS
T · VETVRIVS · GEMINVS · CICVRINVS

(1) V. l. 3. part. 1. c. 9. §. 4. de litt. sing. Inscr. hist.

M' · VALERIVS · VOLVSI · F · QVI · IN · HOC
HONORE · MAXIMVS · APPELLATVS · EST
DICT ·
SEDITIONIS · SEDANDAE · ET · REI · GERVND · CAVSSA
Q · SERVILIVS · P · F · PRISCVS · MAG · EQ ·

CCLX ·

SP · CASSIVS · VISCELLINVS · II · POSTVMVS · COMINIVS · AVRVNCVS · II · L · F · VII ·
TRIBVNI · PLEBIS · PRIMVM · CREARI · COEPTI
T · GEGANIVS · MACERINVS · P · MINVCIVS · AVGVRINVS
A · SEMPRONIVS · ATRATINVS · II · M · MINVCIVS · AVGVRINVS · II ·
Q · SVLPICIVS · CAMERINVS · CORNVTVS · SP · LARTIVS · FLAVVS · II ·
C · IVLIVS · L · F · IVLVS · P · PINARIVS · MAMERCINVS · RVFVS
SP · NAVTIVS · RVTILVS · SEX · FVRIVS · MEDVLLINVS · FVSVS
C · AQVILLIVS · TVSCVS · T · SICINIVS · SABINVS
SP · CASSIVS · VISCELLINVS · III · PROCVLVS · VERGINIVS · TRICOSTVS · RVTILVS
Q · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · SER · CORNELIVS · L · F · MALVGINENSIS
L · AEMILIVS · MAM · F · MAMERCVS · K · FABIVS · K · F · VIBVLANVS

CCLXX ·

M · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · L · VALERIVS · VOLVSI · F · POTITVS · VOLVSVS
C · IVLIVS · C · F · L · N · IVLVS · Q · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · II ·
K · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · II · SP · FVRIVS · FVSVS
CN · MANLIVS · P · F · CINCINNATVS · IN · PROEL · OCCIS · EST · M · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · II ·
K · FABIVS · K · F · VIBVLANVS · III · T · VERGINIVS · · · F · OPET · N · TRICOSTVS · RVTILVS
L · AEMILIVS · MAM · F · MAMERCVS · II · C · SERVILIVS · STRVCTVS · AHALA
IN · MAG · MORT · EST · IN · EIVS · LOC · F · E ·
C · CORNELIVS · LENTVL · ESQVILINVS
C · HORATIVS · M · F · M · N · PVLVILLVS · T · MENENIVS · AGRIPPAE · F · C · N · LANATVS
A · VERGINIVS · TRICOSTVS · RVTILVS SP · SERVILIVS · STRVCTVS
P · VALERIVS · P · F · VOLVSI · N · POPLICOLA · C · NAVTIVS · SP · F · SP · N · RVTILVS
L · FVRIVS · MEDVLLINVS · A · MANLIVS · CN · F · P · N · VVLSO · LVSTRVM · F · VIII ·

CCXXC ·

L · AEMILIVS · MAM · F · MAMERCVS · III · VOPISCVS · IVLIVS · IVLVS
L · PINARIVS · RVFVS · MAMERCINVS · P · FVRIVS · FVSVS
T · QVINCTIVS · BARBATVS · CAPITOLINVS · AP · CLAVDIVS · AP · F · M · N · INREGILLENSIS · SABIN ·
L · VALERIVS · VOLVSI · F · POTITVS · VOLVSVS · II · TI · AEMILIVS · L · F · MAM · N · MAMERCINVS
A · VERGINIVS · A · F · A · N · TRICOSTVS · CAELIMONTANVS · T · NVMICIVS · PRISCVS
T · QVINCTIVS · BARBATVS · CAPITOLINVS · II · Q · SERVILIVS · Q · F · P · N · PRISCVS · STRVCTVS
TI · AEMILIVS · L · F · MAM · N · MAMERCINVS · II · Q · FABIVS · M · F · K · N · VIBVLANVS
SP · POSTVMIVS · A · F · P · N · ALBVS · REGILLENSIS · Q · SERVILIVS · Q · F · P · N · PRISCVS · STRVCTVS · II ·
Q · FABIVS · M · F · K · N · VIBVLANVS · II · T · QVINCTIVS · BARBAT · CAPITOLINVS · III · L · F · IX ·
A · POSTVMIVS · A · F · P · N · ALBVS · REGILLENSIS · SP · FVRIVS · MEDVLLINVS · FVSVS

CCXC ·

P · SERVILIVS · SP · F · P · N · PRISCVS · L · AEBVTIVS · ELVA · IN · MAG · MORT · E ·
L · LVCRETIVS · T · F · T · N · TRICIPITINVS · T · VETVRIVS · T · F · P · N · GEMINVS · CICVRINVS
SP · VOLVMNIVS · M · F · M · N · AMINTINVS · GALLVS · SER · SVLPICIVS · SER · F · P · N · CAMERINVS
P · VALERIVS · P · F · VOLVSI · N · POPLICOLA · II · C · CLAVDIVS · AP · F · M · N · INREGILLENSIS · SABINVS
IN · MAG · MORTVVS · EST · IN · EIVS · L · F · E ·

L · QVINCTIVS · L · F · L · N · CINCINNATVS
Q · FABIVS · M · F · K · N · VIBVLANVS · III ·
C · NAVTIVS · SP · F · SP · N · RVTILVS · II ·

L · QVINCTIVS · L · F · L · N · CINCINNATVS ·

L · TARQVITIVS · L · F · FLACCVS ·
C · HORATIVS · M · F · M · N · PVLVILLVS · II ·
M · VALERIVS · M' · F · VOLVSI · N · MAXVMVS ·
T · ROMILIVS · T · F · T · N · ROCVS · VATICANVS ·
P · TARPEIVS · M · F · M · N · MONTAN · CAPITOLINVS ·
CCC ·
SEX · QVINCTILIVS · SEX · F · P · N ·
P · SESTIVS · Q · F · VIBI · N · CAPITOLINVS · VATICANVS ·
AP · CLAVDIVS · AP · F · M · N · CRASS · INREGILLEN · SABINVS · II ·

L · CORNELIVS · SER · F · L · N · MALVGINENSIS · VRITIN · L · F · X ·
. . . . . CARVENTANVS
IN · MAG · MORTVVS · EST · IN · EIVS · L · F · EST
L · MINVCIVS · P · F · M · N · ESQVILIN · AVGVRINVS
DICT ·
REI · GERVNDAE · CAVSSA
MAG · EQ ·
Q · MINVCIVS · P · F · M · N · ESQVILINVS
SP · VERGINIVS · A · F · A · N · TRICOSTVS · CAELIMONTANVS
C · VETVRIVS · P · F · CICVRINVS
A · ATERNIVS · VARVS · FONTINALIS
P · CVRIATIVS · FISTVS · TRIGEMINVS
T · MENENIVS · AGRIPP · F · AGRIPP · N · LANATVS
T · GENVCIVS · L · F · L · N · AVGVRINVS

ABDICARVNT · VT · DECEMVIRI · CONSVLARI · IMPERIO · FIERENT
DECEMVIRI · CONSVLARI · IMPERIO · LEGIBVS · SCRIBVNDIS · FACTI · EOD · ANNO

AP · CLAVD · AP · F · M · N · CRASS · INREG · SAB · QVI · COS · FVER ·
T · GENVCIVS · L · F · L · N · AVGVRINVS · QVI · COS · FVER ·
SP · VETVRIVS · SP · F · P · N · CRASSVS · CICVRINVS ·
C · IVLIVS · C · F · L · N · IVLVS ·
A · MANLIVS · CN · F · P · N · VVLSO ·

SER · SVLPICIVS · SER · F · SER · N · CAMERINVS · CORNVTVS
P · SESTIVS · Q · F · VIBI · N · CAPITOLINVS · VATICANVS
P · CVRIATIVS · FISTVS · TRIGEMINVS
T · ROMILIVS · T · F · T · N · ROCVS · VATICANVS
SP · POSTVMIVS · A · F · P · N · ALBVS · REGILLENSIS

Sic cetera, quae Piranesius produxit ad annum V· C· Capitolinum DCCLXVI·

Quis Fastos Capitolinos confecerit, ignotum adhuc. quidam Verrio Flacco tribuebant, quod de eo scripserat Svetonius (1), *Statuam habet Praeneste in inferiore fori parte contra hemicyclum, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos* (*a*) *publicarat*. putabant enim pro *Praeneste* legendum *Pedestrem*, aut *Pura veste*, aut *Pro Vestae*. sed haec nunc ridemus, postquam Praeneste Fastorum Verris insignes reliquiae repertae sunt, et ipsius hemicycli certa vestigia deprehensa. constat etiam ex inventis marmoribus, fastos a Verrio ordinatos Kalendarium potissimum fuisse, idque multo fusius digestum, quam quae capite primo attulimus. ceterum ab eodem et Fastos hisce Capitolinis persimiles jussu Augusti fortasse retractatos descriptosque, suspicari quis possit, non modo ob Verrii famam in litteris et apud Augustum gratiam, vel quod hujusmodi scriptione delectatus videatur; sed etiam, quia Praeneste quaedam praeterea lapidum fragmenta prodiere, quae Capitolinis similia habeantur. judicio tamen supersedendum est tantisper, ea dum vulgentur, quorum jam editio adornatur (*b*).

At *quisquis est*, inquit Pighius (2), *auctor ille Fastorum Capitolinorum, anti-*

(1) de Illust. Gramm. c. 17. n. 4.
(*a*) Foggininus ex Codd. Vatic. legendum putat *marmore perite incisos*.
(*b*) Haec Fastorum editio facta tandem est Romae an. 1779. cum hac inscriptione: Fastorum anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae ex marmorearum tabularum fragmentis, Praeneste nuper effossis, collectae et illustratae: accedunt Verrii Flacci operum fragmenta omnia quae exstant, ac Fasti Romani singulorum mensium ex hactenus repertis Calendariis marmoreis inter se collatis expressi cura et studio P. F. F. (*Petri Francisci Fogginii*).
(2) Ann. t. 1. p. 12.

quitatis ac historiae veteris peritissimus, quem operis elegantia saeculi omnino florentis fuisse demonstrat: Eratosthenis calculum cum multis aliis, ut approbatissimum, sequi videtur, sicut ejus ex fragmentis, quae meis hisce annalibus inserere proposui, colligere possumus.

Multa in hisce Fastis Pighius (*a*) supplevit, sed omnia ad normam eorum, quae in antiquis tabulis leguntur, aut certe ex Livii penu. haec nepotes felicius, quantum ego opinione auguror, restituent, quum aetas in apricum proferet Fastos alios, etiam municipales: nam in his etiam, ut ex Gruteri fragmento prope Nolam reperto colligere licet (1), singulis annis ante Duumviros et Aediles Municipii, Consules Romani describebantur. sed alii fortasse vel in ipsa urbe latent multo copiosiores ornatioresque, quam Capitolini isti sint, quos ego Flaviis Augustis antiquiores non puto. neque enim ea in his adulatio apparet, qua fastos ante Vespasianum foedatos fuisse, scripsit Tacitus (2), qui Vespasiano iterum et Tito Cos. senatus consultum factum tradit, ut *sorte ducti Fastos adulatione temporum foedatos exonerarent.*

§ II.

FASTI TRIVMPHALES

CCXXIII. (Piranes. Lapid. Capitol. p. 39.)

ROMVLVS · SILVIVS · REX · ANNO · POST · ROMAM CONDITAM · QVARTO · TRIVMPHVM · EGIT · PRIMVS DE · CENNINENSIBVS · CRVSTVMINEIS · ET ANTEMNATIBVS · ISQVE · PRIMVS · SPOLIA · OPIMA IOVI · RETTVLIT · DVCE · HOSTIVM · ACRONE CENNINENSIVM · REGE · INTERFECTO	ANCVS · MARCIVS · NVMAE · F · NVMAE · N · REX · II · DE · SABINEIS · II · ANN · CXX · · · · ·
ROMVLVS · SILVIVS · REX · II · DE · CAMERINEIS	ANNO · XVI · KAL · SEXTIL ·
ROMVLVS · SILVIVS · REX · III · DE VEIENTIBVS · ET · FIDENATIBVS	A · · · · · IDIB · OCTOBR ·
TVLL · HOSTILIVS · HOSTI · F · HOSTI N · REX · DE · ALBANEIS	A · · · · · · · · · ·
TVLL · HOSTILIVS · HOSTI · F · HOSTI N · REX · II · DE · FIDENATIBVS	A · XC · · · · · ·
TVLL · HOSTILIVS · HOSTI · F · HOSTI N · REX · III · DE · SABINEIS	A · · · · · · · · · ·
ANCVS · MARCIVS · NVMAE · F · NVMAE N · REX · DE · VEIENTIBVS	ANN · CXV · · · · · ·
L · TARQVINIVS · DAMARATI · F · PRISCVS · REX · DE · LATINEIS	A · · · · · · · · · ·
L · TARQVINIVS · DAMARATI · F · PRISCVS · REX · II · DE · ETRVSCEIS	A · · · · · · · · · ·
L · TARQVINIVS · DAMARATI · F · PRISCVS · REX · III · DE · SABINEIS	A · CXX · · · IDIB · SEXT ·
SER · TVLLIVS · REX · DE · ETRVSCIS	A · CXXCII · VI · K · DEC ·
SER · TVLLIVS · REX · II · DE · ETRVSC·	A · CXXCVI · VIII · K · IVN ·
SER · TVLLIVS · REX · III · DE · ETRVSCEIS	A · CXXC · · · IIII · NON · · ·
L · TARQVINIVS · L · F · DAMARATI N · SVPERBVS · REX · DE · VOLSCEIS	A · · · · · · · · · ·
L · TARQVINIVS · L · F · DAMARATI N · SVPERBVS · REX · II · DE · SABINEIS	A · · · · · · · · · ·

(*a*) Hanc Fastorum Consularium, ut et sequentium Triumphalium, partem deprompsit cl. Auctor ex Pighio in Graev. Thes. T. XI. p. 178. et 219: sed quum Io. Baptista Piranesius, eruditorum hominum consensu, utrosque Fastos melius digesserit, emendarit, ex ipsis lapidibus descripserit et diversa characterum forma ea quae in marmorum fragmentis leguntur ab iis distinxerit, quae ex antiquis scriptoribus passim ab eruditis suppleta sunt; ex eodem sumendam esse duxi. Id etiam lectores moneo, me in postrema horum Fastorum parte usum fuisse Barptolemaei Borghesii dissertatione, nuperrime Mediolani edita, qua ille Fastorum Consularium fragmentum recens repertum docte illustravit.

(1) Grut. p. 1087. n. 1. v. et p. 299. c. 2.

(2) Tac. Hist. l. 4. c. 40.

P · VALERIVS · VOLVSI · F · N · POPLICOLA · COS · I · DE · VEIENTIBVS TARQVINIENSIBVSQVE	A · CCXLIV · KAL · MART ·
M · VALERIVS · VOLVSI · F · COS · DE · SABINEIS	A · CCXLVIII · · · · · ·
P · POSTVMIVS · Q · F · TVBERTVS COS · DE · SABINEIS	A · CCXLVIII · · · · · ·
P · VALERIVS · VOLVSI · F · POPLICOLA II · COS · IV · DE · SABINEIS · ET VEIENTIBVS	A · CCXLIX · ···NON · MAI ·
P · POSTVMIVS · Q · F · TVBERTVS · COS · II · OVANS · PRIMVS · DE · SABINEIS	ANN · CCL · III · NON · APR ·
AGRIPPA · MENENIVS · C · F · LANATVS · COS · DE · SABINEIS	ANN · CCL · PRID · NON · APR ·
SP · CASSIVS · VISCELLINVS · COS · DE · SABINEIS	ANN · CCLI · · · · · ·
A · POSTVMIVS · P · F · ALBVS · REGILLENSIS · DICTAT. · PRIMVS DE · LATINEIS	A · CCLVII · · · · · ·
M' · VALERIVS · VOLVSI · F · MAXIMVS DICT · DE · SABINEIS	A · CCLIX · · · · · ·
T · SICINIVS · SABINVS · COS · DE · VOLSCEIS	A · CCLXVI · · · · · ·
C · AQVILLIVS · TVSCVS · COS · OVANS · DE · HERNICEIS	A · CCLXVI · · · · · ·
SP · CASSIVS · VISCELLINVS · II · COS · III · DE · VOLSCEIS · HERNICEISQVE	A · CCLXVII · · · · IVN ·
P · VALERIVS · P · F · VOLVSI · N · POPLICOLA · COS · DE · VEIENTIBVS SABINEISQVE	A · CCLXXIIX · K · MAI ·
A · MANLIVS · CN · F · P · N · VVLSO	A · CCLXXIX ·
CINCINNATVS · COS · OVANS · DE VEIENTIBVS	IDIB · MART ·
T · QVINCTIVS · BARB · CAPITOLINVS COS · II · DE · ANTIATIBVS	A · CCXXCV · · · · · ·
L · LVCRETIVS · T · F · T · N · TRICIPITINVS · COS · DE · AEQVEIS	A · CCXCI · · · · · ·
T · VETVRIVS · T · F · P · N · GEMINVS CICVRINVS · COS · OVANS · DE · VOLSCEIS	A · CCXCI · · · · · ·
Q · FABIVS · M · F · K · N · VIBVLANVS COS · III · DE · AEQVEIS · ET · VOLSCEIS	A · CCXCIII · ···NON · MAI ·
L · CORNELIVS · SER · F · L · N · MALVGINENSIS · VRITINVS · COS · DE · VOLSCEIS · ANTIATIBVS	A · CCXCIV · IV · ID · MAI ·
L · QVINCTIVS · L · F · L · N · CINCINNATVS DICT · DE · AEQVEIS	A · CCXCV · IDIB · SEPT ·
L · VALERIVS · P · F · P · N · POPLICOLA POTITVS · COS · DE · AEQVEIS	A · CCCIV · IDIB · SEXTIL ·
M · HORATIVS · M · F · M · N · BARBATVS COS · DE · SABINEIS	A · CCCIV · VII · K · SEPT ·
M · GEGANIVS · M · F · MACERINVS COS · II · DE · VOLSCEIS	A · CCCX · NONIS · SEPT ·
MAM · AEMILIVS · M · F · MAMERCINVS DICT · DE · VEIENT · FALISCEIS ET · FIDENATIBVS	A · CCCXVI · IDIB · SEPT ·
A · POSTVMIVS · TVBERTVS · DICT · DE · AEQVEIS · ET · VOLSCEIS	A · CCCXXII · · · · · ·
A · CORNELIVS · COSSVS · COS · DE VEIENTIBVS · ISQVE · SPOLIA · OPIMA RETTVLIT · DVCE · HOSTIVM · LARTE TOLVMNIO · REGE · AD · FIDENAS INTERFECTO	A · CCCXXV · · · · · ·

Sic cetera, quae Piranesius produxit ad annum V· C· Capitolinum DCCXLIIII·

Triumphorum, quos Fasti memorant, non idem profecto apparatus omnium aut magnificentia fuit: nec comparandae regum aut primorum consulum transvectiones cum praeclara illa Pompeii Caesarisve pompa. justi tamen triumphi honorem Romani omnium maximum et honestissimum semper putaverunt (1). itaque et Fastos triumphorum perantiquos esse arbitror, atque ab ipso urbis prope exordio inchoatos: quamquam qui ad nos usque lapidibus insculpti pervenerunt, Augusti, opinor, temporibus compti expolitique sunt. de his loqui videtur Livius, ubi ait (2), *Paginas in annalibus magistratuum Fastisque percurrere licet, consulum dictatorumque, quorum nec virtutis nec fortunae ullo die populum Romanum poenituit*. idem etiam spectavit, ni fallor, Horatius, ubi de Augusti virtutibus cecinit *per titulos memoresque Fastos* aeternandis (3).

(1) Cic. in Pis. c. 24. n. 56. etc. (2) lib. 9. c. 11. n. 18. (3) lib. 4. od. 14.

Minus autem Piranesio in his, quam in superioribus reconcinnandis adlaborandum fuit: quippe magna eorum pars vetustatem pertulit. horum ego Romae non unum olim exemplar fuisse puto. nam quum cetera fragmenta lapidum in comitio prope forum reperta sint, ubi et Fasti magistratuum inventi (1); non exiguum etiam marmor, Fastorum triumphalium partem referens, in Esquiliis egestum est (2), quod in Museo Kircheriano adservatur.

PARS II.

INSCRIPTIONES OPERVM PVBLICORVM

§. I.

EXEMPLA DICTIONIS SIMPLICIS

CCXXIIII. (Grut. p. 152. n. 7.)

SENATVS
POPVLVS · QVE
ROMANVS
CLIVOM
MARTIS
PECVNIA · PVBLICA
IN · PLANITIAM
REDIGENDVM
CVRAVIT

Operum publicorum tituli praeferre plerumque solent magistratuum nomina, qui ex senatus consulto sive de senatus sententia ea faciunda curarunt, ac perfecta probaverunt. sed quia interdum aliis sub magistratibus absolvebantur, quam quibus inchoata fuerant; ne inter eos de titulo controversiae orirentur, idcirco, ni fallor, senatus ea populique nomine inscribebantur.

Clivus Martis extra portam Capenam fuit ad dextram, ubi et lapis cum hoc titulo inventus est. ibi Nardinus ejusdem Dei templum fuisse putat (3): quo certe a porta, unde illud prospiciebatur, semita antiquitus saxo quadrato ab Ogulniis Aedilibus strata (4), Ovidii autem aetate etiam *Via Tecta* sive fornicata ducebat (5). ibidem vota se soluturam, marito reduce, spondet Arethusa apud Propertium (6):

Armaque quum tulero portae votiva Capenae,
Subscribam, salvo grata puella viro.

(1) Grut. p. 289. etc.
(2) idem p. 298. n. 3.
(3) Rom. l. 3. c. 2.
(4) Liv. l. 10. c. 16. n. 23.
(5) Fast. l. 6. v. 191.
(6) lib. 4. el. 3. in fin.

haec vero satis declarant, templum illud Marti sacrum nec procul a porta Capena fuisse, nec propter viam Appiam. quae si ita sunt, bina Marti templa extra eam portam fuisse, fatendum est, alterum ad dextram non longe a porta ultra clivum, alterum ad laevam post primum lapidem viae Appiae. in Fabrettina enim inscriptione, quam infra afferemus (1), Templum Martis fuisse dicitur *Via Appia Intra Milliarium I. Et II. Ab Vrbe Euntibus Parte Laeva Inter Adfines Vibium Calocaerum Et Populum*. atque hic fortasse *Villa* etiam *Martis* fuit, apud quam Terentium comoedum via Appia hortulos viginti jugerum habuisse, scripsit Svetonius (2).

Planitiam scribit et Caesar (3) et Vitruvius (4) pro *Planitie:* quod Fulvius Vrsinus animadvertit (5).

CCXXV· (Grut. p. 172. n. 4.)

SENATVS · POPVLVSQVE · ROMANVS
INCENDIO · CONSVMPTVM · RESTITVIT

Manet adhuc in clivo Capitolino Ionica porticus antiquae aedis, in cujus epistylio inscriptio haec eminet. eam majores nostri ad Concordiae templum pertinere putaverunt. sed opinionem eorum multis argumentis labefactavit Nardinus (6): qui deinde (7), judicium quoque interponens suum, Concordia deturbata, templum illud Fortunae reddidit, quocumque ea nomine ibi coleretur: nam de appellatione incertum ferebat. ibidem nimirum Deae illi templum fuisse, ex Praenestina inscriptione didicit, cujus initium est (8),

TV · QVAE · TARPEIO · COLERIS · VICINA · TONANTI
VOTORVM · VINDEX · SEMPER · FORTVNA · MEORVM

nam Iovis quidem Tonantis aedem fuisse eam ipsam, cujus reliquiae quaedam in clivo Capitolino manent huic templo proximae, plerique omnes fatentur. jam quod Zosimus scripserit (9), Fortunae templum Maxentio Principe arsisse, de hoc idem incendio inscriptionem loqui existimavit, in eaque templum ideo a senatu tantum populoque restitutum dici, quod Constantinus Aug. ejurata veterum superstitione, nomen dein suum Deorum templis inscribi noluerit. exquisite id vero atque ingeniose prolatum est. ceterum neque inscriptio neque ipsa porticus Constantinianae aetatis vestigia refert. Zosimus vero, quum Fortunae aedes in urbe plures essent, nullis plane indiciis, quaenam ex illis conflagraverit, in historia sua designavit: tum ne de illo quidem Constantini Aug. consilio jussuque nos quispiam edocuit: quin contraria his tradidisse Sex. Victor videtur, cujus ea sunt verba (10): *Adhuc cuncta opera, quae* (Maxentius) *magnifice exstruxerat, Vrbis Fanum atque Basilicam, Flavii meritis patres sacravere.* neque in panegyrico Nazarius (11), qui Constantini celebrans opera, Circum maximum et *celeberrima quaeque urbis*, atque adeo profana sacraque, *enitescere* dixit, de nomine ejus praetermisso, quum id modestiae vertere posset, verbum ullum habet.

(1) n. 329.
(2) in vit. Terent. n. 19.
(3) B. C. l. 1. c. 20. n. 43.
(4) l. 7. c. 3.
(5) in not. ad Caes. Comm. l. c.
(6) lib. 5. c. 6.
(7) ibid. c. 11.
(8) Grut. p. 72. n. 5.
(9) l. 2. p. 675. B.
(10) de Caesar. in Const. c. 40.
(11) Paneg. 6. c. 35.

CCXXVI. (Fabr. p. 704. n. 252.)

RESPVBLICA · POPVLVSQ ·
CORFINIENSIS
SACELLVM · LVCCEIVM · VETVS
TATE · DILAPSVM · ADIECTIS · BA
SILICIS · SVA · PECVNIA · RESTITVIT
DECRETO · DECVRIONVM

Respublicas Romani nominabant civitates eas, quibus sui juris et magistratus municipalis libertatem reliquerant: quemadmodum multis olim exemplis a Spanhemio declaratum est (1).

Sacellum Luccejum a Lucceja gente appellatum existimo, quod ea primum condidisset. *Sacella* vero, inquit Festus, *dicuntur loca Diis sacrata sine tecto:* addit Trebatius (2), *cum ara*. disces hinc cur dixerit Arethusa apud Propertium (3),

Flore sacella tego, verbenis compita velo?

itemque statues, non bene templorum cellas nunc *sacella* appellari. scitetur autem hic aliquis, quid *Basilicae* sint, quas Corfinienses (urbs olim Pelignorum Corfinium fuit (4)) adjecisse sacello dicuntur? Basilicas hic esse porticus puto ad sacelli ipsius latera vel e regione exstructas, quales etiam circa caveam theatri Nicaeensium, teste Plinio (5), exstruendae erant, quas item *Basilicas* vocat; qualesve Plinius ipse olim contra templum in praediis suis aedificavit, ut paganis colonisque suffugium esset aut imbris aut solis: *videor*, inquit (6), *munifice simul religioseque facturus, si aedem quampulcherrimam exstruxero, addidero porticus aedi, illam ad usum Deae* (Cereris) *has ad hominum*. Basilicas dixere Corfinienses, delectati vocabulo splendidiore; vel quia latiores eas altioresque fecissent, quam ceterae in urbe sua porticus essent. illud tamen non omittam, templorum cellas sive aediculas ab Hieronymo *Basilicas* esse appellatas (7).

CCXXVII. (Ferrar. diss. 14. p. 268.)

TI · CAESAR · AVG · F ·
AVGVSTVS
DRVSVS · CAESAR · AVG · F ·
PORTAM · F · C · (8)

Prodiit inscriptio haec e ruderibus Laudis Pompejae. hinc liquet, portam urbis ibi aedificatam a Tiberio et filio Druso ante annum Varr. DCCLXXVI. hoc enim anno Drusus exstinctus est (9). de ejus aedificii forma nihil mihi in promptu est: sed urbium portas saepe geminas fuisse, antiqua monumenta declarant. ac Romae quidem indicia manent in porta, cui nunc *Majori* nomen est: manebant in Portuensi, antequam dirueretur; manent adhuc interius in Ostiensi (10). gemina item est antiqua Veronae porta

(1) Orb. Rom. Exerc. 2. c. 13.
(2) apud Gell. l. 6. c. 12.
(3) l. 4. eleg. 3. v. 57.
(4) Plin. H. N. l. 3. c. 12. n. 17.
(5) Plin. jun. l. 10. epist. 48.
(6) id. l. 9. epist. 39.
(7) epist. 3. ad Heliodor. n. 12.
(8) *Faciundam Curaverunt*.
(9) Tac. Ann. l. 4. c. 8.
(10) Nardin. l. 1. c. 9.

Gallieniana: geminam exhibet apud Gessnerum (1) nummus Emeritae Aug. geminam ibidem nummus Casilini (2). Trigeminam Pompeii habuere (3). aliam vide, si vacat, in Vaillantii nummis Impp. Graecis (4) cum inscriptione ΙΕΡΑC ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩC, quae urbs in Epiro est. quin et a tribus portis Trigeminam Romae appellatam crediderim, quae prope Ostiensem fuit: nam ab Horatiis fratribus dictam ne credam, admonet me antiquitas eorum: nondum enim tam late patebat urbs, nec ea tum porta usquam erat.

Ejus autem constructionis haec fuit ratio, ut in turba alius ingredientibus aditus, alius egredientibus exitus pateret; atque ut urbium portae non magnitudine solum, sed ipsa etiam forma ab aedium ac templorum ostiis januisque distinguerentur. has veteres sanctas ducebant, ut est in Iustiniani Institutionibus (5): *Sanctae quoque res, veluti muri et portae civitatis*. ideireo in nummo Maffeii (6) leges, *Verona, Nova Porta Rite Condita,* auspiciis nempe captis, et sacrificio peracto, ut apparet ex ipsius nummi effigie sacrificantium.

CCXXVIII· (Fabr. p. 241. n. 650.)

P · MAGIVS · P · F ·
Q . MINVCIVS · L · F · CeS · (7)
BASILICAM · FAC ·
CVRAVIT · DE · SEN · SENT · (8)

Inscriptionem hanc Cataeii in Bruttiis exstare, scripsit Fabrettus: sed eone marmor ab urbe delatum fuerit, an ibidem incisum, et ad Basilicam ejus oppidi pertinere putandum sit, omnino nescio. fuere sane et in oppidis plerisque Basilicae, in quibus repositum interdiu corpus Augusti, narrat Svetonius (9), quum illud Romam noctibus propter anni tempus deportaretur: et earum quasdam a Censoribus Romanis conditas fuisse, facile adducor, ut credam. sed par istud Censorum in Pighii fastis frustra quaesivi; nec *Magiam* gentem habent nummi Thesauri Morelliani. nolim tamen inscriptionem tamquam commentitiam rejicias. *Magios* plures apud Gruterum invenies (10), et Censores hi si urbanos habes, vel ex ignotis vel ex suffectis (*a*) esse potuerunt: ipsius autem inscriptionis color antiquus plane est ac minime fucatus, ut Romana esse videatur.

Verum quia legitur singulari numero *Curavit,* ideireo non placet Maffejo (11). atqui hanc σύνταξιν Horatius adamavit, in cujus carminibus exempla Bentlejus (12) indicavit sexdecim. ex his est, quod subjicio (13):

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas.

de Basilicis multa Vitruvius (14): earum structuram imitantur pleraque in urbe templa (15). fuerunt autem Romae una et viginti (16): in quibus *Magiam Minucianam*

(1) tab. 35. n. 36. etc.
(2) tab. 5. n. 20.
(3) Winck. M. I. p. 2. p. 138.
(4) in Hadr. et in append.
(5) de divis. rer. §. 10.
(6) Anfit. l. 1. c. 11.
(7) *Censor uterque.*
(8) *Senatus Sententia.*
(9) in Aug. c. 100. n. 1.
(10) p. 427. n. 5. etc.
(*a*) Atqui censores non sufficiebantur. v. Liv. l. 9. c. 24. n. 34.
(11) Art. C. L. l. 3. c. 4. p. 460.
(12) ad lib. 1. od. 24. v. 8.
(13) lib. 3. od. 3. v. 9.
(14) Arch. l. 5. c. 1. et Galian. ibid.
(15) Rondinin. de S. Clement. l. 2. c. 1. n. 3.
(16) Pancir. de reb. dep. et inv. p. 9.

censeas licet, si Romae haec erat, uti fuit Iulia Aquiliana (1). in his potissimum causae centumvirales actae (2), et negotiatorum conventus celebrati (3). eodem et Candidati ob eorum locorum frequentiam ventitare solebant (4). denique et congiaria ibidem ab Imperatoribus aliquando data (5).

CCXXVIII· (Grut. p. 187. n. 4. Marin. Frat. Arv. p. 15.)

P · LENTVLVS · CN · F · SCIPIO
T · QVINCTIVS · CRISPINVS · VALERIANVS CoS · (6) (*a*)
EX · S · C ·
FACIVNDVM · COERAVERE · EIDEMQ ·
PROBAVERE

Ita inscriptum in fornice, ut Gruterus tradit, inter Aventinum et Tiberim, ad Scholam Graecam, aquae fortasse deducendae caussa facto. pertinebat autem ad magistratus, quae redemptoribus facienda locaverant, de iis cognoscere, ac, si quae receperant, praestitissent, comprobare (7): idque in eorum gratiam adscribebatur, factum esse; ne, si opus vitium faceret, redemptorum id periculo esse videretur. ea de caussa suos magistratibus architectos fuisse arbitror, quos certe Rullus decemviris suis constituisse dicitur: *Deinde*, inquit Tullius (8), *ornat apparitoribus, scribis librariis, praeconibus, architectis*.

CCXXX· (Grut. p. 168. n. 1.)

L · NVMISTRONIVS · L · F · DECIAN ·
C · LVCIVS · M · F ·
M · QVINTIVS · L · F · MESS · (9)
AEDILES · PORTAS · TVRREIS
MVRVM · EX · S · C ·
FACIVND · COERARVNT
EIDEMQ · PROBARVNT

Fundis in fornice portae ad septentrionem haec adhuc leges. id oppidum diu Praefecturam fuisse, etiam post Augustum, ut a Frontino indicatur (10), diserte jam ostendit Mazochius (11). quare constat, in praefecturis quoque, ut in municipiis, et decuriones aliquando fuisse et magistratus. nam inscriptio haec Aediles nobis exhibet, Decuriones autem Fundanos memorat Svetonius (12). sed Aediles hi jurisdictionem non habuere, quam in municipiis habebant Duumviri et Quatuorviri, quemadmodum a Norisio demonstratum esse, dixi ad inscr. xxxvnl· in praefecturas enim etiam sub Augusto quotannis vel a populo Romano vel a praetore urbano Praefectus juri dicundo

(1) Vitruv. l. c.
(2) Plin. l. 6. ep. 33.
(3) Vitruv. l. c.
(4) Cic. pro Mur. c. 34. n. 70.
(5) v. inscr. 414. et 419.
(6) Suffecti ex Kal. Iul. Anno Varr. 760.
(*a*) Marinius Frat. Arv. p. 15. negat, hos fuisse consules suffectos ann. Varr. 760, ut temere statuit Panvinius; sed putat, eos consules processisse ann. Varr. 745.
(7) Liv. l. 4. c. 11. n. 22. etc.
(8) de l. Agrar. or. 2. c. 13. n. 32.
(9) *Messianus*.
(10) in libell. de Colon.
(11) Tab. Heracl. part. 3. p. 467.
(12) in Cajo c. 23. n. 4. v. inscr. 311.

mittebatur. hunc enim designare Horatius voluit, quum scripsit (1),

Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.

enimvero quum Romae senatus consultum de eo oppido muniendo factum esset, decuriones Fundani eam curam Aedilibus dederunt. horum primus fortasse a Numistrone Lucanorum oppido nomen acceperat (2).

CCXXXI· (Fabr. p. 241. n. 654.)

M · MVTTIENVS
L · F · C · VIBIVS · L · F ·
II · VIR · I · D · (3)
STATVAS · EX · D · D · (4)
REFICIVNDAS
C · (5)

Omnes Italiae partes, scripsit Tullius, Romanorum ducum donis ac monumentis exornatas fuisse (6). ipsam autem statuariam Plinius artem familiarem Italiae ac vetustam appellat (7). quapropter in singulis fere municipiis statuas veteres fuisse puto permultas non modo Deorum, sed etiam Heroum et clarorum virorum, quas ob vetustatem reficere opus esset: ut Canusii, ubi lapis repertus est, fuisse intelligis.

Statuae porro a veteribus, non Deorum modo, sed etiam hominum, quum e marmore aut ex aere, tum ex argento quoque et auro (8), atque ex electro factae: item ex ebore magnae ac mirabiles (9): ut quae Germanico decreta est a senatu (10), et quam Titus Aug. Britannico dedicavit equestrem (11), quaeque in foro Trajani fuit, Nicomedis Bithyniae regis (12). sed ceterae quidem diutius aetatem perferebant; at eboreae, si aut sicciore aut humidiore solo statutae essent, saepe diffindebantur: nisi quod Graeci ostenderant, quae humido loco starent, oleo unctas; quae sicco, aqua perfusas perdiu servari (13).

CCXXXII· (Grut. p. 168. n. 6.)

M · GAVIVS · T · F ·
Q · VISELLIVS · Q · F ·
GALLVS
DVOVIR · QVINQ ·
CREPIDINES · CIRC ·
FORVM · S · P · F ·

De Duoviris Quinquennalibus egi superius ad inscr. XXXXIII· manet vero adhuc

(1) lib. 1. Sat. 5. v. 34.
(2) Liv. l. 27. c. 1. n. 2.
(3) *Iuri Dicundo*.
(4) *Decreto Decurionum*.
(5) *Curaverunt*.
(6) Act. 2. in Verr. l. 1. c. 21. n. 55.
(7) H. N. l. 34. c. 7. n. 16.
(8) Svet. in Domit. c. 13. n. 5.
(9) Pausan. l. 5. c. 12.
(10) Tacit. Ann. l. 2. c. 83.
(11) Svet. in Tit. c. 2. n. 5.
(12) Pausan. l. c.
(13) idem ibid. c. 11.

Calatiae inscriptio haec ad puteum vel cisternam veterem (1): unde discas licet, *crepidines* hic esse marginem sive loricam, *forum* autem ipsum os putei. enimvero apud Columellam video etiam torcularium solia, quae putei marginati speciem referant, *fora* appellari. *Torcularia*, inquit (2), *et fora diligenter emundata lotaque, et, si res ita exegerit, picata.*

CCXXXIII. (Acad. Paris. t. 27. p. 171.)

L · MARVLLIVS · L · MARVLLI · ARABI
FILIVS · QVIR · (3) AETERNVS · II · VIR
AQVAS · EARVMQVE · DVCTVM
D · S · D · (4)

Vesunnae inscriptio haec reperta est, qua Petrocoriorum in Aquitania urbs fuit (5). Duumviri pater Arabus cognomine: nam et *Arabes* et *Arabos* dixere Latini, ut Virgilius (6) *Hyrcanisve Arabisve*. ipse autem Duumvir cognomine *Aeternus*, ut quidam *Perpetui* dicti sunt.

CCXXXIIII. (Vit. Ant. Ben. t. 1. p. 264.)

P · VEIDIVS · P · F · POLLIO
CAESAREVM · CAESARI · AVGVSTO
ET · COLONIAI · BENEVENTANAE

Hic ille est Pollio, quo Augustus amico usus est, sic tamen, ut ejus olim iram in ipso convivio acrius castigaret: quemadmodum a Seneca (7) traditum est. hunc Curiam Augusti honori et Coloniae Beneventanae ornamento aeque ac commodo exstructam, Romano quidem, sed novo nomine *Caesareum* nuncupasse, scripsit Norisius (8). quod deinde nomen acceperunt probaruntque alii: ut Romae Fratres Arvales (9) (*a*), et qui in Hispania Caesaréum Cajo Aug. dedicarunt (10): idem autem omnino fuisse Augusteum Pisanum, cum eodem Norisio recte judicaveris.

Sed Vita, qui de hac inscriptione subtilius et copiosius disseruit, plus aliquid se vidisse putavit, cui Pollio illud etiam in eo opere spectasse visus est, ut Augusto et Coloniae tamquam Deae divinos honores tribueret. certe ut Romae et Augusto templa in provinciis dicabantur (11), sic Curia, opinor quae sacra esse debebat, loco per augures constituto, dicari Augusto et Coloniae potuit: quo pacto Histria Italiae regio fanum habuit, ut videre licet apud Maffejum (12). quum autem non Romae et Augusto, sed ipsi Augusto et Coloniae novo more Curia illa consecraretur; ideo in titulo omissum a Pollione verbum mihi videtur, ne si adscripsisset *Fecit*, consilium celaret suum,

(1) Calog. N. R. t. 10. p. 129.
(2) lib. 11. c. 2.
(3) *Quirina tribu*.
(4) *De Suo Dedit*.
(5) Cellar. l. 2. c. 2. sect. 1. n. 42.
(6) Aen. l. 7. v. 605.
(7) de ira l. 3. c. 40.
(8) Ceu. Pis. diss. 1. c. 4.
(9) Inscr. Vatic. nup. repert.

(*a*) Marinius Frat. Arv. p. 384. probat, Caesaréum, cujus mentio est in Arvalibus Inscript. n. 32. 42. 43., fuisse templum, in quo imagines Caesarum omnium, qui Divi appellati fuerant, continerentur, quibus singulis Fratres Arvales vervecem sacrificare solebant: Caesaréum vero, quod Pollio honori Augusti et Coloniae Beneventanae exstruxit, non curiam, sed reapse templum itidem fuisse.

(10) Murat. p. 134. n. 1. v. Phil. Leg. ad Caj. p. 1013.
(11) Svet. in Aug. c. 52. n. 1.
(12) M. V. p. 88. n. 2.

si vero addidisset *Dedicavit*, in offensionem apud Augustum incurreret, qui in urbe eo honore, ut ait Svetonius (1), pertinacissime abstinuerat.

CCXXXV· (Maff. Gall. Ant. ep. 14.)

CN · PLAETORIVS · MACRINVS
COLONIS · ET · INCOLIS
EX · EA · PEQVNIA · QVAE · EI · IN
STATVAS · CONLATA · EST

Macrinus, inquit Maffejus (2), *qui pecunia honoribus suis deputata colonis Romanis et popularibus loci aedificium aliquod dedit, in Castri Novi templo haud longe a Monspelio visitur*. praeclara porro hujus vel modestiae exempla vel liberalitatis Augustus dederat, qui argenteas statuas olim sibi positas conflaverat omnes, ex quibus aureas cortinas Apollini dedicaret (3), item ex summa strenarum, quas illi omnes ordines quotannis conferrent, pretiosissima Deorum simulacra mercatus, vicatim dedicaverat (4).

Hunc, quod nulli decorent tituli, non ideo nullis honoribus functum arbitrere: qui fortasse Plaetorii illius affinis fuit, quem Spartianus (5) Hadriani Aug. amicitia floruisse testatur. quidam e claris viris nomen suum posteritati pro omnibus magistratibus futurum putabant. ex his Plinius, quum signum ex aere Corinthio pulcherrimum Comi in patria sua dedicare vellet, ita Severo suo scripsit (6): *suscipe hanc curam, et jam nunc jube basim fieri ex quo voles marmore, quae nomen meum honoresque capiat, si hos quoque putabis addendos:* quibus e verbis intelligere potes, quam ille parum de honorum suorum recensione laboraret; ut ut idem aliis in titulis singulos recensuerit (7).

CCXXXVI· (Ann. Lett. d'Ital. t. 2. p. 453.)

VMMIDIA · C · F ·
QVADRATILLA
AMPHITHEATRVM · ET
TEMPLVM · CASINATIBVS
SVA · PECVNIA · FECIT

Ecce tibi Vmmidia Quadratilla C. Vmmidii Quadrati filia, de quo dicendum erit ad inscr. CCCXII· hos ut ab Casino oriundos credamus, multa, quae eo loci dicuntur esse, Vmmidiorum monumenta persuadent. hanc Quadratillam Plinius in epistola ad Geminium (8) paullo minus octogesimo aetatis anno decessisse scribit: deque ejusdem studiis haec addit: *Habebat illa pantomimos, fovebatque effusius, quam principi feminae conveniret . . . . . audii ipsam, quum mihi commendaret nepotis sui studia, solere se ut feminam in illo otio sexus laxare animum lusu calculorum, solere*

(1) ibid. n. 2.
(2) l. c. p. 73.
(3) Svet. in Aug. c. 52. n. 2.
(4) ibid. c. 57. n. 4.
(5) in Hadr. c. 4.
(6) lib. 3. epist. 6.
(7) v. Grut. p. 454. n. 3. 5.
(8) l. 7. ep. 24.

spectare pantomimos suos, sed quum factura esset alterutrum, semper se nepoti suo praecepisse, abiret studeretque. quibus igitur voluptatibus ipsa Romae frueretur, iis aut similibus municipes suos carere noluit; amphitheatrumque Casini ac templum sua pecunia fecit. id ego templum in ipsa arena medium fuisse puto sub divo hypaethraque parvum atque humile sacris ante ludos faciendis exstructum: ut in Romano quoque fuisse indicant Acta Ignatii sanctissimi Martyris (1), qui feris objectus dicitur παρα τω ναφ. aram certe in medio amphitheatro fuisse, Prudentius (2) diserte scripsit.

In Plinii libris legitur *Numidia* aut *Commidia* aut *Ammidia* aut *Valmidia:* unus antiquae editionis liber, uti adnotarunt Cortius et Longolius, habet *Vmmidiam*, quod omnino a Plinio est, non a librariis. sic et in Taciti antiquis Codicibus Florentino, Vrbinate, Vaticanis aliquot *Vmmidium*, non *Numidium Quadratum* se invenisse testatur Norisius (3), et ex ejusdem inscriptione Casinate legendum ostendit: quam emendationem probavit recepitque Brotierus (4). adde his Donii inscriptionem (5), in qua, ex Vmmidiae, ut arbitror, grege prodit *C. Vmmidius Actius Anicetus Pantomimus*. itaque Varronis quoque locus corrigendus capite tertio libri tertii de re rustica: libri enim, qui editi sunt, sic habent, *Non Philippus, quum ad Inmidium hospitem Casini divertisset* .... nempe *Vmmidium* legi oportere, nemo jam ambigat.

Haec vero legens vix oculis crederet suis Maffejus, si viveret. ille enim animum inducere non poterat, ut Amphitheatrum fuisse usquam putaret, praeterquam Romae, Nemausi, Capuae et Veronae (6): magnas enim ibidem esse reliquias: aliis in urbibus nullas: et quae Polae sunt, theatri esse: quae autem amphitheatra a scriptoribus aliquando memorantur, ea temporaria fuisse dicebat: quemadmodum illud, quod Fidenis lignea compage Atilius exstruxerat (7): quo tamen e genere nec Placentinum fuisse quis putet, quod Tacitus (8) *pulcherrimum opus* appellat, et *situm extra muros* scribit; nec alia quaedam per Italiam minora, quibus nempe Placentinum amphitheatrum idem ille praeferre videtur: addit enim municipalis vulgi, quum tantum opus bello Vitelliano conflagrasset, hanc fuisse suspicionem, ignis alimenta e vicinis coloniis fraude inlata, *quod nulla in Italia moles tam capax foret*.

Ceterum quidam, Maffeii manibus perversam gratiam gratificati, a Quadratilla etiam ligneum amphitheatrum factum tradiderunt: credo, quia vestigia ejus, quae tamen manent, Casini exstare nulla audierant. enim vero quae et quanta ex operibus publicis, quae ipsa urbs habuit, lignea fuisse ac temporaria dicenda erunt, siquidem de eorum structura, nisi ex ipsis ruderibus, nihil definire audeamus? nonne ipsae interdum inscriptiones plus aliquid loquuntur, quam muri et parietinae? ut quae Amiterni prodiit, *bigam in amphitheatro* positam docens (9): quis enim hujusmodi monumentum in temporario amphitheatro constitutum esse putaverit?

Reliquis igitur amphitheatris sive marmoreis sive lateritiis adde hoc quoque, quod Casini fuit: adde quod Sutrii nuper detectum est, antiquissimum, ut quidam putant, Etruscorum opus: quo Guazzesii sententia confirmari videatur, Etruscis suis istud etiam memorandum plane in architectura inventum tribuentis (10).

(1) Ruinart. Act. S. Ign. n. 5.
(2) lib. 1. contra Symm. v. 399.
(3) de Epoch. Syrom. diss. 3. p. 183.
(4) ad l. 12. Ann. Tac. c. 45.
(5) Class. 8. n. 72.
(6) Anfit. l. 1. c. 12.
(7) Tac. Ann. l. 4. c. 62.
(8) Hist. l. 2. c. 21.
(9) Giovenaz. Aveja p. 19.
(10) Acad. Cort. vol. 2. diss. 4.

CCXXXVII. (Montfauc. t. 3. p. 178.)

MELIA · ANNIANA · IN · MEMORIAM · Q · LAEPICI · Q · F · SERG · (1) BASSI · MARITI · SVI
EMPORIVM · STERNI · ET · ARCVM · FIERI · ET · STATVAS · SVPERPONI · TEST · (2) IVSSIT · EX · HS · DCDXX · P · R · (3)

Emporium veteres dixere Forum nundinarium, quale fuit Romae ad Tiberim extra portam Trigeminam porticu cinctum: quod M. Aemilius Lepidus et L. Aemilius Paullus ex pecunia pecuariorum, quos damnaverant, in aedilitate sua faciundum curaverunt (4). hoc vero Iaderae fuit in Dalmatia, quod ut sterneretur, utque arcus cum statuis fieret, legavit Melia sestertia nongenta et viginti, sive sestertiorum nummorum nongenta viginti millia, quae scutatorum nummorum viginti et tria millia aequant.

Extremas litteras P. R. lege *Permissu Reipublicae*, ut alibi *Permissu Decurionum*. nam quum publico in loco ea moles exstructa esset, adscribendum erat, locum publice datum esse. at Res Publica, inquies, scribitur duabus litteris R. P. ita sane, ubi locus non desit alteri litterae: sed ea in Iaderensi monumento, quum duobus omnino versibus inscriptio tota constaret, propter zophori angustias inscribi non potuit. simile est, quod Maffejus animadvertit in titulo Musei Veronensis (5), in quo Trophimus quidam *Restitutor R. Ver. hoc est*, inquit, *Restitutor Reipublicae Veronensis nuncupatur. cur autem lapicida litteram* P. *praetermiserit, quum Respublica per* R. P. *perpetuo in monumentis omnibus designetur, apparet statim ipsum lapidem intuenti: spatium siquidem defuit, ejusque angustia alteri litterae locum non dedit* (6).

§. II.

EXEMPLA DICTIONIS ORNATAE

CCXXXVIII. (Maff. M. V. p. 95. n. 1.)

IMP · CAESAR · DIVI · F · AVG ·
PARENS · COLONIAE · MVRVM
ET · TVRRIS · DEDIT
T · IVLIVS · OPTATVS · TVRRIS · VETVSTATE
CONSVMPTAS · IMPENSA · SVA · RESTITVIT

Colonia heic inscripta, ait Maffejus, *non Verona sed Iadera est, ubi ingens marmor jacebat, haud tamen* uno lapide *diversissimas tres continens inscriptiones, ut Gruterus putavit.* addit deinde, ut obiter Muratorium perstringat, CONSVMPTAS *Augusteae maximae ac pulcherrimae praeferunt litterae, ut in consimilibus aliis.* REDEMPTAE *exscripsi olim Ravennae, ubi Novus Thesaurus* (7) Redemtae *modo exhibet, quod nuper aliquibus fraudi fuit. in eadem collectione maxima hoc ipsum*

(1) *Sergia tribu.*
(2) *Testamento.*
(3) *Permissu Reipublicae.*
(4) Liv. l. 35. c. 10. n. 10.
(5) p. 86. n. 3.
(6) in praef. sigl. Graec. p. 18.
(7) Murat. p. 1308. n. 12.

Augusti epigramma tamquam e schedis *erutum affertur* (1), *quum Gruterus optime ac iterato dedisset: sed schedae illae* TILIUS ARMIS ADDITIS *et assutis praeclarissimum titulum misere contaminaverant.*

At litteras inscriptionis ultimas quo pacto Maffejus *Augusteas* appellet, vix intelligo. nam si turres, quas dederat Augustus, vetustate *Consumptae* jam fuerant, quum eas Optatus restituit, ipsius Augusti aetate integrum titulum positum esse, incredibile est. quare primos quidem tres versus, Augusti jussu, ingenti illi marmori insculptos fuisse puto: quartum autem et quintum minutioribus litteris tum denique adjectos, quum Optatus turres refecit: quod alibi Maffejus ipse agnoscere videtur (2).

Vt Romae senatus cum populo Romano consentiens consalutaverat Augustum *Patriae Patrem* (3): ita et Coloniae *Patrem suum* appellasse mihi videntur. ea de caussa, quemadmodum in monumentis urbis adscribebatur *Pater Patriae*, sic in Coloniarum titulis appositum est *Pater* sive *Parens Coloniae*. confirmat opinionem meam altera inscriptio, quam infra (4) subjiciam; in ea enim Augustus *Pater Patriae Et Municipii* appellatur. ceterum qui consequuti sunt Imperatores appellationem hujusmodi non admiscruut.

De muro autem et turribus Iaderae ab Augusto exstructis nihil leges in ejus monumento, quod Ancyranum vocant. ea enim potissimum desiderantur, quae ad opera publica provinciarum, resque ibidem gestas pertinebant. sed cum plerasque urbes aut aere alieno laborantes levasse, aut terrae motu subversas denuo condidisse, scripsit Svetonius (5).

Crassitudinem muri ita faciendam censebat Vitruvius (6), uti armati homines supra obviam venientes, alius alium, sine impeditione praeterire possent. idem de turribus, *Intervalla*, inquit, *turrium ita sunt facienda, ut ne longius sit alia ab alia, sagittae emissione: uti si qua oppugnetur, tum a turribus, quae erunt dextra ac sinistra, scorpionibus reliquisque telorum missionibus hostes rejiciantur.* demum de figura earum, *Turres*, ait, *rotundae aut polygoniae sunt faciendae: quadratas enim machinae celerius dissipant, quod angulos arietes tundendo frangunt: in rotundationibus autem, uti cuneos, ad centrum adigendo laedere non possunt.*

CCXXXVIII. (Montfauc. t. 3. p. 176.)

IMP · T · CAESAR · DIVI · F · VESPASIANVS · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAXIMVS · TRIBVNIC · POTESTATE · X · IMPERATOR · XVII · PATER · PATRIAE · CENSOR · COS · VIII ·
AQVAS · CVRTIAM · ET · CAERVLEAM · PERDVCTAS · A · DIVO · CLAVDIO · ET · POSTEA
A · DIVO · VESPASIANO · PATRE · SVO · VRBI · RESTITVTAS
CVM · A · CAPITE · AQVARVM · A · SOLO · VETVSTATE · DILAPSAE · ESSENT
NOVA · FORMA · REDVCENDAS · SVA · IMPENSA · CVRAVIT

Exstant adhuc gemini ad urbem arcus insigni magnitudine (horum alterum hodie *Portam Majorem* appellant) per quos aqua Claudia et Anio Nova binis ductibus in urbem influebant. in horum fronte tres eminent inscriptiones: prima Claudii Caesaris est, qui opus a Cajo inchoatum perfecit (7), et *Aquas Claudiam Ex Fontibus, Qui*

(1) Murat. p. 441. n. 2.
(2) Art. Cr. L. l. 3. c. 2. p. 165.
(3) Svet. in Aug. c. 58. n. 2.
(4) Inscr. 244.
(5) in Aug. c. 47. n. 3.
(6) lib. 1. c. 5.
(7) Svet. in Claud. c. 20. n. 1. Grut. p. 176. n. 1.

Vocabantur Caeruleus et Curtius, A Milliario XXXXV· *Item Anienem Novam A Milliario* LXII· *sua Impensa In Vrbem Perducendas Curavit:* altera Vespasiani, qui *Aquas Curtiam Et Caeruleam Perductas A Divo Claudio, Et Postea Intermissas Dilapsasque Per Annos Novem, Sua Impensa Vrbi Restituit.* tertia est, quam hic habes, Titi, versibus omnino quatuor, quos paginae hae nostrae capere integros non potuerunt.

Mirum autem Poleno visum est (1), quum aquaeductus iste a Cajo inchoatus fuerit, id est ante Titum vix annos XXXXIIII· aquas tamen spatio tam brevi bis a solo dilapsas dici, earumque ductum bis refici oportuisse. quare non modo difficultatem in ipsis ductibus tuendis agnoscit maximam, sed etiam existimat, plura a titulorum scriptore inscriptionibus adjecta adsentandi studio, quam quae veritas postulabat. ceterum animadvertas velim, vitium in ductu ipso aut in arcubus non fuisse, sed in origine et fonte, aquis, ut fit, alio abeuntibus: *a capite* enim et *a solo* dilapsae dicuntur; quas ut iterum Titus in veterem Claudii ductum derivaret, *nova forma* opus fuit.

Aquae Frontini aetate novem, Vietoris autem viginti, aut plures in urbem influebant. ductus earum quatuordecim fuisse, scripsit Procopius (2). jam vero de Claudia haec habet Frontinus (3): *Claudia concipitur via Sublacensi ad milliarium* XXXVIII· *diverticulo sinistrorsus intra passus* CCC· *ex fontibus duobus amplissimis et speciosis, Caerulo (qui a similitudine appellatus est) et Curtio. accipit et eum fontem, qui vocatur Albudinus, tantae bonitatis, ut Marciae quoque adjutorio, quotiens opus est, ita sufficiat, ut adjectione sui nihil ex qualitate ejus mutet. Augustae fons, quia Marciam sibi sufficere apparebat, in Claudiam derivatus est, manente nihilominus praesidiario in Marciam, ut ita demum Claudiam aquam adjuvaret Augusta, si eam ductus Marciae non caperet. Claudiae ductus habet longitudinem passuum* XXXXVI· *millium* CCCCVI· *ex eo rivo subterraneo passuum* XXXVI· *millium* CCXXX· *opere supra terram passuum* X· *millium* CLXXVI· *ex eo, opere arcuato in superiori parte pluribus locis passuum* III· *millium* LXXVI· *et prope urbem a* VII· *milliario substructione rivorum per passus* DCVIII· *opere arcuato passuum* VI· *millium* CCCCLXXXXI·

Discrepat, ut vides, Frontinus a Claudio: nam hic Claudiam suam a milliario XXXXV· se perduxisse dicit, Frontinus contra ejus ductus longitudinem fuisse tradit passuum XXXXVI· millium CCCCVI· puto autem vel mendum esse in Frontini loco, uti etiam est in enumeratione partium, quibus ille ductus constabat: vel ipsum ductum nova Titi forma auctum esse passibus MCCCCVI· quae est opinio Poleni. scripsit certe Frontinus post Titum, eamque longitudinem descripsisse putandus est, quam ipse, quum aquarum curator esset, deprehendit.

CCXXXX· (Grut. p. 190. n. 4.)

M · CALPVRNIVS · M · F · PISO · FRVGI · PR · EX · S · C ·
FACIVNDVM · CVRAVIT · IDEMQVE · PROBAVIT
IMP · CAESAR · DIVI · NERVAE · F · NERVA
TRAIANVS · AVGVSTVS · GERMANICVS
DACICVS · PONTIF · MAXIM · TRIB · POTEST · $\overline{XII}$ ·
IMP · $\overline{VI}$ · COS · $\overline{V}$ · P · P · OPERIBVS · AMPLIATIS · RESTITVIT

(1) ad Front. art. 14. p. 55. (2) v. Fabr. de Aq. et Aquaed. diss. 1. p. 56. n. 106. (3) art. 14. p. 52.

Quid Piso ille Frugi in praetura fecerit, quidve Trajanus ampliatis operibus restituerit, plane ignoramus. lapidem enim, qui jamdiu in Capitolio est, unde avulsum eo majores intulerint, nemo memoriae prodidit. nummi quidem sunt duo in Thesauro Morelliano, quos ad M. hunc Pisonem spectare censet Havercampius, qui et praeturam ab eo gestam putat Iulii Caesaris aetate: nihil tamen exhibent nummi illi, unde inscriptio haec nostra illustretur. operis autem publici, qualecumque id fuerit, curam olim Praetori datam, idemque a Praetore probatum esse, ne mirere: si censores creati non essent, praetores horum munere fungebantur. itaque eosdem etiam de sartis tectis cognovisse constat (1).

CCXXXXI. (Grut. p. 1019. n. 8. Fabr. de C. Tr. c. 9. p. 291)

X ·
IMP · CAES ·
DIVI · NERVAE
FILIVS · NERVA
TRAIANVS · AVG ·
GERMANICVS
DACICVS
PONT · MAX ·
TRIB · POT · XIIII ·
IMP · VI · COS · V · P · P ·
XVIIII · SILICE
SVA · PECVNIA
STRAVIT
LIII ·

DDD · NNN · FFF · LLL · (2)
THEODOSIO · ARCADIO
ET · HONORIO · PPP · FFF · (3)
SEMPER · AVGGG · (4)
BONO · REIPVB ·
NATIS

Palus Pomptina, post Circejos, non jam mari, ut antea, sed planitie circumdatos aliud miraculum, utor Plinii verbis (5), accessit Italiae: ab anno scilicet quadrin-

(1) Cic. in Verr. l. 1. c. 50. n. 130.
(2) *Dominis Nostris Flaviis*.
(3) *Piis Felicibus*.
(4) *Augustis*.
(5) H. N. l. 3. c. 5. n. 9.

gentesimo quadragesimo urbis conditae; quae caussa fuit, cur haud multo post Appius Claudius Censor (1) viam ab urbe Capuam usque muniendam curaret. rursum tamen iter illud per agrum Pomptinum aquarum inundatione infestum esse coepit. exsiccatae quidem paludes a M. Cornelio Cethego (2), quum consulatum gereret, anno Varr. DLXXXXIII· sed non diu ager ille ab alluvione immunis fuit. nam C. Caesaris aetate aquae ibidem denuo stagnabant. quas nempe ille emittere destinarat (3). eam deinde provinciam suscepit Augustus, quod sane Horatii versus designant (4), opera illius in Italia quaedam enumerantis:

. . . . . sterilisve palus prius aptaque remis
Vicinas urbes alit, et grave sentit aratrum:

at ne ille quidem effecit, ut aquarum alluvionem in posterum coërceret: Vespasiani namque temporibus de Aethiopide herba scribens Plinius (5), cujus conjectu amnes ac stagna siccari ferebantur, adjecit subridens, *siccentur hodie Aethiopide Pomptinae paludes, tantumque agri suburbanae reddatur Italiae*. tum Quintilianus eadem aetate, quum de genere deliberativo ageret, in quo saepe conjecturae locus sit, inter alia exempla hoc posuit, *an siccari palus Pomptina possit* (6). ob eam rem Appia via in eo tractu saepe depressior erat, quam ut stagnantes aquas superaret. itaque, quum jam viam ab urbe ad paludes usque Vespasianus aliique (7) restituendam curassent; Trajanus demum, par operi tanto, viam in ipsis paludibus a Foro Appii Tarracinam usque ita stravit, ut substructione plurimum attolleret, ne jam aquis obrui posset: ob quas antea viatores a Foro Appii ad Feroniam, qua fossa antiquitus ducta fuerat, lintre iter faciebant (8).

Viae hujus longitudo fuere millia passuum novendecim, quod deinde spatium *Decennovium* appellavere. apparet id nomen in Theodorici inscriptione (9) et in epistolis Cassiodorii (10). ceterum quia Trajani inscriptio, quae non uno in lapide legitur eodem exemplo, numerum tantum XVIII· expressum refert, haud crediderim nomen illud ejusdem aetatis esse, sed legendum potius *Novendecim Millia Passuum Silice Sua Pecunia Stravit:* quippe in milliariis columnis haud raro spatia eodem modo notata sunt.

Qui autem numerus initio eminet, quique infra apparet ante Theodosii et filiorum nomina (quos item Appiam restituisse credibile est), eos sic interpretare, ut primus decimum milliarium viae Appiae Trajanae designet, idest, a Foro Appii, alter quinquagesimum tertium ab ipsa urbe: quemadmodum alia hujusmodi intervalla alii numeri ostendunt in iis columnis, quae nuper ad paludes operae fodiendo invenerunt: dum scilicet, quae temporum felicitas est, Pii VI· Optimi Principis consilio et providentia ager Pomptinus cultoribus restituitur, et quae modo solum omne tenebant aquae, Cajetano Rapino tanti operis machinatore, in Fossam Piam deductae, jam in mare decurrunt.

(1) an. Varr. 442. Liv. l. 9. c. 20. n. 29.
(2) Liv. epit. l. 46.
(3) Suet. in Iul. c. 44. n. 5.
(4) Art. Poët. v. 65.
(5) H. N. l. 26. c. 4. n. 9.
(6) Inst. l. 3. c. 8. n. 16.
(7) v. Fabr. p. 414. n. 363. Chaup. V. H. t. 3. p. 391.
(8) Horat. l. 1. Sat. 5. v. 11. Strabo l. 5. p. 253.
(9) Grut. p. 152. n. 8.
(10) l. 2. ep. 32. 33.

CCXXXXII. (Mart. Th. Cal. lib. 2. c. 5. p. 542. Grut. p. 165. n. 9.)

IMP · CAESAR · DIVI · HADRIANI · FIL ·
DIVI · TRAIANI · PARTHICI · NEPOS · DIVI · NERVAE · PRONEPOS
T · AELIVS · HADRIANVS · ANTONINVS · AVG · PIVS · PONT · MAX ·
TRIB · POT · II · COS · II · DESIGNAT · III · P · P ·
OPVS · PILARVM · VI · MARIS · CONLAPSVM
A · DIVO · PATRE · SVO · PROMISSVM
RESTITVIT

Vt supra inscriptionem honorariam attuli (1), a Puteolanis Antonino Pio positam, quod opus pilarum viginti novem ad tutelam portus cum sumptu fornicum reliquo ex aerario suo largitus esset; ita hic historicam habes, qua ipse Antoninus de opere suo posteros edocet. exstat autem haec etiam Puteolis, prope portam, qua itur Neapolim. nihil hic addo de pilis Puteolani portus, de quibus egi superius.

At illud hinc discas, opus pilarum ab Hadriano primum absolutum; deinde quum vi maris collapsum esset, ab Antonino restitutum esse. neque enim hic *Opus promissum* est Opus pollicitum, nec adhuc factum: id quippe restituere Antoninus non poterat: sed opus porro missum atque in mare productum. sic et Columella dixit, *Ramos vel ferro compescunt, vel longius promittunt* (2): sic et Hirtius: *Quo tutior altitudine esset, hoc audacius longiusque tela promitteret* (3). sic denique apud Paterculum, quod indicavit Martorellius, leges *Aquam Iuliam Promissam* (4).

Adnotavit idem, in veteribus monumentis, ubi aquarum impetus, aut ignis violentia, aut terrae motus exprimendi essent, vehementiora quaedam adhibita esse vocabula; collegitque has formulas: *Thermas Herculis Vi Terrae Motus Eversas Restituit A Fundamentis: Speleum Vi Ignis Absumptum: Pontem Restituit Bellorum Iniuria, Et Amnis Violentia Disruptum: Propter Incursionem Ingruentium Procellarum:* et similia: libro autem tertio plura his ad utilitatem tuam et commodum proferentur.

(1) Inscr. 93.
(2) lib. 5. c. 6.
(3) de B. Gall. l. 8. c. 9.
(4) lib. 2. c. 81.

CCXXXXIII. (Maff. M. V. p. 427. n. 13.)

IMP · CAESAR
DIVI · SEVERI · PII · FILIVS
DIVI · MARCI · ANTONINI
NEPOS · DIVI · ANTONINI
PRONEPOS · DIVI
HADRIANI · ABNEPOS
DIVI · TRAIANI
PARTHICI · ET · DIVI · NERVAE
ADNEPOS
M · AVRELIVS · ANTONINVS
PIVS · FELIX · AVG ·
PARTHICVS · MAX ·
BRITANNICVS · MAX ·
GERMANICVS · MAX ·
PONTIFEX · MAX ·
TRIB · POT · XVII · IMP · IIII · COS · IIII ·
RESTITVIT

Non ipse primus Caracalla in Antoninorum nomen invasit, sed pater Severus, qui in veteri inscriptione *Marci Antonini Filius* et *Commodi Frater* dicitur (1): idemque Bassianum et Getam filios *Antoninos* appellavit, ut in Marci familiam transisse videretur (2). itaque quidam, ut assentarentur, statuae Commodi subscripsere, DIVO COMMODO · FRATRI · IMP · CAES · L · SEPTIMI · PII · PERTINACIS · AVG · (3) sic Leptitanus ille non modo Romanus repente factus, sed etiam tot Imperatoribus populi Romani prognatus.

Enimvero nimia Bassiani ostentatio et intoleranda, qui multorum Imperatorum titulos ita sibi sumpsit, ut tamquam vulgares novo augeret, perinde quasi superiores Principes rerum gestarum gloria superasset. sed haec etiam a patre didicerat, atque ab his, quos inter majores suos numerabat, a M. inquam Aurelio et L. Vero, qui item *Parthici Maximi* dicti fuerant (4). eos forte titulos quum praetor Fanstinus in senatu coram Caracalla recitaret, Helvius Pertinax Imperatoris Pertinacis filius et ridens et stomachans dixisse fertur, *Adde et Geticus Maximus*, nempe ut fratricidam notaret, quamquam et Getas ille devicerat (5): quod Helvio dictum morte stetit. Augustorum jam, qui Caracallam consequuti sunt, neminem ajunt (6) in nummis ad victorias prodendas *Imperatorem* veteri more appellatum (*a*), at appellationem ejusmodi ceteris in monumentis paullo serius neglectam penitus atque omissam, fatendum est; quum in statuae basi Aureliano Aug. adscriptum legamus IMP · III · (7)

(1) Casaub. in Spart. Sev. c. 10.
(2) Spart. in Sev. c. 10.
(3) Grut. p. 261. n. 5.
(4) Spanh. diss. 12. p. 503. et inscr. 37.
(5) Spart. in Carac. c. 10. in Geta c. 6.
(6) Tillem. in Carac. art. 14.
(*a*) At Postumus in nummis appellatus est IMP· V· et IMP· X· V. Eckhel. Doctr. N. V. T. 8. p. 346.
(7) Grut. p. 276. n. 4.

De gradibus cognationis ita Cajus jurisconsultus (1): *Quarto gradu sunt supra abavus, abavia; infra abnepos, abneptis . . . . . quinto gradu sunt supra atavus, atavia; infra adnepos, adneptis . . . . . sexto gradu sunt supra tritavus, tritavia; infra trinepos, trineptis.* Antoninus tamen, qui Nervae trinepos dicendus fuisset, et Trajani et Nervae *Adnepos* appellatur, quod *Trinepos* forsitan minus probaretur.

Quid hic restituisse Antoninus dicatur, pontem ne, an viam, ut aliae de eo inscriptiones testantur, omissum a Maffejo est: idque unum adscripsit, inscriptionem Malacae in Hispania repertam.

CCXXXXIIII· (Panvin. Comm. R. P. Rom. p. 74. Grut. p. 149. n. 5.)

HONORI
IMP · CAESARIS · DIVI · F ·
AVGVSTI · PONT · MAXIMI
PATR · PATRIAE · ET · MVNICIP ·
MAGISTRI · AVGVSTALES
C · EGNATIVS · M · L · GLYCO
C · EGNATIVS · C · L · MVSICVS
C · IVLIVS · CAESAR · L · ISOCHRYSVS
Q · FLORINIVS · Q · L · PRINCEPS
VIAM · AVGVSTAM · AB · VIA
ANNIA · EXTRA · PORTAM · AD
CERERIS · SILICE · STERNENDAM
CVRARVNT · PECVNIA · SVA
PRO · LVDIS

Faleriis inscriptio haec reperta est: Falerios enim Faliscorum urbem ibi fuisse vult Fontaninius (2) ubi nunc oppidum, quod Civitatem Castellanam vocitamus. legere quidam HONORI · SACRVM: quod Panvinius vel non vidit vel repudiavit. porro a Graecis ea, ut reor, consuetudo manaverat, quibus familiare fuit opera quaelibet publica et Diis et claris viris dedicare: cujus consuetudinis Graecum hoc exemplum habeto (3).

Αρτεμιδι Εφεσια Και Αυτοκρατορι Καισαρι Σεβαστω Και Τιβεριω Και Τω Δημω Των Εφεσιων Γαϊος Σεξτιλιος Ποπλιου Υιος Ουστουρια Πολλιων Συν Οφελλια Αυλου Θυγατρι Βασση Τη Εαυτου Γυναικι Και Γαϊω Οφιλιω Προκυλω Εαυτου Υιω Και Τοις Λοιποις Τεκνοις Την Γεφυραν Εκ Των Ιδιων Ανεθηκεν.

Recte autem honori Augusti opus suum curatores viarum dedicarunt, quum et via ipsa *Augusta* ab eo dicta esset, et ludi etiam forsitan *Augustales*, ad quos ut finitimi frequentes convenirent, viam opportune muniverant. Curatores appellavi, qui *Magistri Augustales* dicuntur: neque enim Seviri esse potuerunt, de quibus egi ad inscr.

(1) l. 1. D. de grad. et adfin.
(2) de Ant. Hort. l. 1. c. 4. n. 4.
(3) Wheler. Itin. l. 3. p. 251. *Dianae Ephesiae et Imp. Caesari Augusto et Tiberio et Populo Ephesiorum C. Sextilius P. F. Veturia Pollio cum Ofellia A. F. Bassa uxore et C. Ofilio Proculo F. ceterisque liberis pontem de sua pecunia dedicavit.*

vmI· quippe qui sub Tiberio primum instituti sunt: Curatores autem viarum aliquando *Magistri viarum* dicti sunt (1), hic a via Augusta *Magistri Augustales*.

Via porro in Italia, quae Augusta appellata sit, haec mihi una in antiquis monumentis se obtulit: de Annia, quater mentio fit apud Gruterum. de utraque vero Bergierus postquam de Clodia dixisset, quae Flaminiae juncta erat, *sequuntur*, inquit (2), *hinc Viae Annia, Augusta, Cimina, Amerina, Sempronia et Postumia, quae diversis locis Flaminiae inseruntur et cohaerent*. sed de his Faliscorum aliquem inquirere diligentius par est, ac de templo etiam Cereris, qui viae Augustae finis fuisse videtur, certi aliquid in lucem proferre.

CCXXXXV· (Fabr. p. 685. n. 80.)

IN · HONOREM
TI · CLAVDII
CAESARIS · AVGVSTI
GERMANICI
SEX · PAETICIVS · Q · F ·
TERTIVS · ET
C · PAETICIVS · SEX · F ·
FIRMVS
HORILOGIVM · CVM · SEDIBVS
PAGANIS · LAEBACTIBVS
DEDERVNT

Horilogium hoc Paeticiorum sive horologium e solariis ne fuerit, an ex aquariis, non liquet. nam praeter clepsydras illas forenses atque castrenses, aquaria etiam horologia invecta jam fuerant (3), quae primus ostenderat Ctesibius Alexandrinus. horum comparationes et machinas descripsit Vitruvius (4). enimvero ex his fuisse puto, quod Varro habuit in villa ad oppidum Casinum: *Intrinsecus*, inquit (5), *sub tholo stella lucifer interdiu, noctu hesperus ita circumeunt ad infimum hemisphaerium, ac moventur, ut indicent quot sint horae:* nec aliud fortasse fuit, quod in Trimalchionis triclinio prostare scripsit Petronius (6): de servo autem *ad horologium administrandum*, quo certe ad solarium opus non erat, mentio fit in titulo, quem Muratorius bis edidit (7).

Post Ctesibii inventum non diu defuisse puto, qui prope artificio hoc nostro horologia conficerent sine aqua, ponderum ope aut laminarum spiris. indicio mihi est insignis Plinii locus (8) de Pompeii triumpho tertio: tot enim inter fercula regiae gazae, translatum ab eo narrat *Museum ex margaritis, in cujus fastigio horologium erat*. adde Plinio Capitolinum, qui in auctione rerum Commodi, quam fecit Pertinax, numerat (9) *vehicula iter metientia, horasque monstrantia*.

Inscriptionem Fabrettus ex Valerii Antiquitatibus Belunensibus desumpsit. pagani

(1) Pratill. V. App. p. 14.
(2) l. 3. c. 22. n. 9.
(3) v. Cic. l. 2. de N. D. c. 34. n. 87.
(4) lib. 9. c. 9.
(5) de R. R. lib. 3. c. 5.
(6) Satyr. c. 26.
(7) p. 472. n. 5. et p. 2012. n. 3.
(8) H. N. l. 37. c. 2. n. 6.
(9) in Pertin. c. 8.

hi Laebaetes vicum, opinor, agri Belunensis incolebant in finibus Venetiae Raetiam versus (*a*). de his nihil Cellarius.

CCXXXXVI· (Giovenaz. Mss. Grut. p. 180. n. 2.)

C · OPPIVS · VERVS · M · TVRPILIVS
PRISCVS · F · IIII · VIR · I · D ·
AQVAM · CAELESTEM · DILABENTEM · MON
EX · TIBVS · COLLECTAM · INTERCISO · AGGERE S·C·
PER · FORMAM · CVR· SVA · (1) FACTAM · IN · PISCI
NIS · REPVRGATIS · LONGO · TEMPORE · CES
SANTIBVS · P · P · (2) PERDVXERVNT

Inscriptionem, quae ab aliis mendosa prodiit, solerti manu descriptam hic habes, uti adhuc ad ipsas veteres piscinas Corae prostat. alter e Quatuorviris M. Turpilius Priscus *Filius* dicitur, quod pater ejus eadem appellatione salutaretur. pluvialem aquam Horatius quoque *Caelestem* nuncupat (3). hanc, quum montibus, relicta veteri fossa, sine lege diffluceret, aperto aggere, quo fortasse urbs vallabatur, nova forma derivarunt in piscinas limarias, quae jam aruerant, atque ex his, limo deposito, ad salientes et lacus oppidi perduxerunt.

Adscripsere autem *Ex S. C.* ut indicarent, opus illud senatu etiam auctore a Coranis susceptum esse. nimirum leges etiam sumptuarias vel ante Augustos fuisse puto in municipiorum gratiam latas, ne operum publicorum magnificentia rerumpubliearum facultates exhaurirentur. sub Augustis certe ipsi potestatem faciebant, nec municipia, nisi eorum indulgentia, opus ullum aggrediebantur. quod quum aliis exemplis, tum epistola Plinii (4) confirmatur, quam de Prusensium balineo ad Trajanum misit: nisi quod ipsi interdum Augusti rem ad senatum referri malebant.

CCXXXXVII· (Maff. M. V. p. 422. n. 4.)

L · ATTIVS · QVIR · (5) VETTO · FLAMEN · II · VIR
M · FLAVI · CANAM · (6) · SVO · ET · L · ATTI
VINDICIS · F · (7) ET · ATTIAE · AVTVMNINAE · F · (8)
ET · ANTONIAE · PROCVLAE · NEPTIS
NOMINE · PORTICVS · LAPIDEAS · MARMO
RATAS · SOLO · SVO · LVDIS · SCENICIS
IMPENSA · SVA · FACTIS · EPVLO · DATO
D · D · (9)

Inscriptio Gruteriana *Lintrarios Canamenses* memorat (10). id municipium ad

(*a*) Hunc vicum nunc *Lavazzo* appellari, ibique plures veteres lapides effossos fuisse, narrat Doglionius Notiz. Bellun. p. 50.
(1) *Cura Sua*.
(2) *Pecunia Publica*.
(3) Epist. 1. l. 2. v. 155.
(4) lib. 10. ep. 34.
(5) *Quirina tribu*.
(6) *Municipii Flavii Canamensis*.
(7) *Filii*.
(8) *Filiae*.
(9) *Dedicavit*.
(10) Grut. p. 345. n. 4.

Conventum Iuridicum Hispalensem pertinuisse videtur (*a*), ibi enim repertus lapis. porro in Baetica, ut ait Plinius (1), Iuridici Conventus quatuor, municipia octo fuere, totidem coloniae. universae autem Hispaniae Vespasianus Aug., jactatus procellis reipublicae, Latii jus tribuit (2).

Porticus fecerat L. Attius solo suo, non publice dato, easque lapideas, et crusta marmoris opertas. eas, opere absoluto, ut ex more dedicaret publicaretque, ludos scenicos et epulum civibus dedit: idque testatum esse voluit suo et filiorum et neptis nomine se fecisse.

Flamen idem, sed nulla Dei sive Divi appellatione, dicitur, quum flamines, de quibus egi ad inscr. LXXV· quia singuli singulis Diis consecrati erant, ab eorum etiam nominibus appellarentur. at eum ego Flaminem Flavialem fuisse puto, Divi nempe Vespasiani aut Titi, a quibus municipium quoque Flavium dicebatur: id vero cognomen omissum esse, quod unus tantum in toto oppido flamen esset. sic Tullius etiam de flamine Lanuvino loquutus est, qui Iunonalis fuisse fertur (3): nec aliter appellatus flamen provinciae Narbonensis, de quo dixi ad inscr. LXXXIII·

CCXXXXVIII· (Giovenaz. Mss. v. inscr. 82.)

T · POMPVLLIVS · L · F · LAPPA
II · VIR · QVINQ · TRIB · MIL · A · POPVLO
PRAEF · FABR · EX · TESTAMENTO · ATRIVM
AVCTIONARIVM · FIERI · ET · MERCVRIVM
AVGVSTVM · SACRVM · PONI · IVSSIT
ARBITRATV · EPAPHRAE · LIBERTI

Atrium, inquit Varro (4), *appellatum ab Atriatibus Tusceis. illinc enim exemplum sumptum*. Atriis certe Graecos usos non esse, scripsit Vitruvius (5): a quo varia eorum genera apud Latinos edisceres possis (6). enimvero uti Romae praeter atria templorum aut domorum, atrium in Capitolio publicum fuit (7), item alia alibi auctionibus adtributa; sic apud Coranos suos atrium auctionarium fieri T. Pompullius testamento jussit. publico enim loco auctiones fieri debebant. *Censoribus*, ait Tullius (8), *vectigalia locare, nisi in conspectu populi Romani, non licet*. idemque contra decemviros agrarios, quibus vendendi potestas, quo ipsis loco videretur, Rulli lege permittebatur, *At hoc*, inquit, *etiam nequissimi homines, consumptis patrimoniis, faciunt, ut in atriis auctionariis potius, quam in triviis aut in compitis auctionentur*.

Nihil autem eo loco quadrabat magis (9), quam Deus mercatorum: quem Pompullius *Augustum Sacrum* appellat, quod statuam ejus augusto augurio statui, et sacerdotum manu rite consecrari vellet.

(*a*) Id vero testatur Plin. H. N. l. 3. c. 1. n. 3. oppida Hispalensis conventus, Celti, Arva, Canama etc.
(1) id. ibid.
(2) id. ibid. c. 4. n. 4.
(3) pro Mil. c. 10. n. 27.
(4) l. 4. L. L. c. 33. p. 38.
(5) l. 6. c. 10.
(6) l. 6. c. 4.
(7) Liv. l. 24. c. 3. n. 10.
(8) de L. Agr. or. 1. c. 3. n. 7.
(9) Vitruv. l. 1. c. 7.

CCXXXXVIIII. (Grut. p. 51. n. 3.)

M · MINDIVS · M · F ·
GAL · (1) MAXIMINVS
STATVAM · MERCVRII
OB · HONOREM · QVINQ · (2)
POSVIT
CVIVS · DEDICATIONE · DEDIT
POPVLO · VIRITIM · DENARIOS · SING ·
L · D · D · D · (3)

Compsae, quod Ptolemaeo oppidum Lucaniae est, at Paterculo Hirpinorum (4), monumentum Mindius quinquennalitatis suae, sive municipalis censurae statuit, et in dedicatione sportulam oppidanis dedit singulis singulos denarios. de statuae loco nihil additum; in ipsa enim basi titulus legebatur. eam vero ibi positam esse crediderim, ubi maxime Quinquennales munere fungebantur suo, in foro nempe aut in curia: nam ea libentius loca veteres decorabant, in quibus cum dignitate versarentur. sic Aediles forum, in quo ludos ederent, sic collegiorum Magistri scholas suas, in quibus operari sacris et sodalium consilium advocare solerent, statuis, clypeis, imaginibus saepe ornabant. quin apud Graecos vel ipsa gymnasia, in quibus philosophi docebant, simulacris insigniri deorum, mos fuit: itaque Athenis Speusippus, qui post Platonem in Academia philosophatus est, in eo ipso gymnasio, quod Plato aedificarat, simulacra Gratiarum, ut a Laërtio accepimus, dedicavit (5).

Iam hic idem Mindius, quod a decurionibus statuam sibi impetrare non potuisset, ita fortasse Mercurio posuit, ut in Dei effigie vultum ipse suum exprimendum curaret. norunt eum morem statuarii, nec mirantur, quod iidem Dii non uno semper vultu antiquitus sculpti sint. ita etiam carorum simulacra veteres sibi fieri aliquando volnerunt, ut Livia Aug. quae e filiis Germanici infantibus adhuc raptis effigiem alterius insigni festivitate jam puerascentis, habitu Cupidinis, in aede Capitolinae Veneris dedicavit (6). ante Liviam autem celeber Romae fuerat Arellius, qui fere dilectarum feminarum imagine Deas pinxerat (7). de Priscilla Abascantii leges apud Statium (8):

. . . . . *mox in varias mutata novaris*
Effigies: hoc aere Ceres, hoc lucida Gnossis,
Illo Maja tholo, Venus hoc non improba saxo,
Accipiunt vultus, haud indignata, decoros
Numina.

(1) *Galeria tribu.*
(2) *Quinquennalitatis.*
(3) *Locus Datus Decr. Decur.*
(4) lib. 2. c. 68.
(5) Laërt. in Speus. l. 4. init.
(6) Svet. in Cajo c. 7. n. 1.
(7) Plin. H. N. l. 35. c. 10. n. 37.
(8) l. 5. Silv. 1. v. 231.

§· III·

EXEMPLA DICTIONIS SINGVLARIS

CCL· (Grut. p. 128. n. 2.)

EX · AVCTORITATE
IMP · CAESARIS
TITI · VESPASIANI · AVG ·
IN · LOCO · QVI
DESIGNATVS · ERAT · PER
FLAVIVM · SABINVM
OPERVM · PVBLICORVM
CVRATOREM · TEMPLVM
EXTRVXSERVNT
NEGOTIATORES · FRVMENTARI

Aedes Cereris in urbe binae saltem erant ante principatum Flaviorum, quippe quas memoret Dionysius Halicarnasseus (1). tertiam eidem Deae a Negotiatoribus frumentariis exstructam, verisimile est.

Qui autem locum templo designarat Flavius Sabinus, is fuisse videtur, qui patruelis erat Titi et Domitiani, quicum et consulatum gessit anno Varr. DCCCXXXV· natus Flavio Sabino Vespasiani fratre praefecto urbis (2). patruelem igitur suum Titus Curatorem fecerat operum publicorum, honoris caussa; nam eo munere viri primarii fungebantur, quos inter Vitellius fuit, is qui imperium obtinuit, post proconsulatum Africae cum honorem adeptus (3). curam autem operum publicorum numerat Svetonius inter nova officia, quae Augustus, quo plures partem administrandae reipublicae caperent, excogitavit (4): quae antea Censorum fuerat.

Iamvero, loco a Sabino adsignato, templum Tito probante exstructum Negotiatorum frumentariorum impensa. hi erant, qui, ut ait Callistratus (5), annonam urbis adjuvabant. his Claudius Aug. quia ob arctiorem annonam medio quondam foro a turba conviciis ac simul fragminibus panis instratus fuerat, certa primus lucra proposuisse dicitur (6), si et hiberno tempore commeatus inveherent, suscepto in se damno, si cui quid per tempestatem accidisset. eisdem deinde immunitas quoque a muneribus publicis data (7).

De murorum exstructione adnotavit post Scamozzium Belgradus in epistola ad Gorium (8), veteres in magnis molibus alios laterum modulos, aliam crassitudinis legem sequutos: quippe inveniri lateres, qui ad XXMI· digitos in longum producti quum sint, non ultra tamen duos digitos crassi reperiantur. id vero non una de caussa factum esse:

(1) l. 1. p. 26. et lib. 6. p. 414.
(2) Tac. Hist. l. 3. c. 74.
(3) Svet. in Vit. c. 5. n. 1.
(4) in Aug. c. 37. n. 1.
(5) l. 5. D. de jur. immun. §. 3.
(6) Svet. in Claud. c. 18. n. 5.
(7) Callistr. D. ibid.
(8) Symb. Flor. t. 4. p. 129.

nam primum quo crassiores lateres conflas, eo minus in fornace coqui. deinde qui minus graciles sint, aegrius intimum humorem elabi sinere: demum non modo singulorum laterum nexus decrescente crassitie corroborari, sed etiam nexuum numerum crescere: unde nova in exstructione firmitatis incrementa ducantur.

CCLI· (Maff. M. V. p. 240. n. 4.)

IMP · CAES · (1) DIVI · TRAIANI
PARTHICI · F · DIVI · NERVAE · NEP ·
TRAIAN · HADRIAN · AVG · PONT ·
MAXIMO · TRIB · POTEST · $\overline{XVI}$ · COS · $\overline{III}$ · P · P ·
AQVA · INDVCTA · COLON · DACIC · SARMIZ ·
PER · CN · PAPIRIVM · AELIANVM · LEGAT · EIVS
PR · PR · (2)

Aqua Inducta Coloniae Dacicae Sarmiz legit Marsilius (3), adnotatque *Gethusam* dici in lapide Gruteriano (4). at inscr. xxxvII· omnibus litteris scriptum est *Sarmizegetusa*, de qua urbe aliquid ad eum locum dixi. sita erat ad flumen Sargetiam in Dacia. *majestatem Coloniae*, inquit Cellarius (5), *cui non facile par in provinciis fuit, ruinarum pretiosa fragmina copiose adhuc ostenderunt.*

Ptolemaeus proxime post Sarmizegetusam posuit Υδατα, *qui locus*, ait Cellarius, *in Peutingeriana* xmI· *millibus a metropoli in ortum versus abest: illustri monumento locus ille signatus est, superque scriptum* Ad Aquas. inde rivum a Papirio in Coloniam deductum esse, verisimile est.

CCLII· (Murat. p. 520. n. 6.)

EX · S · C ·
SCHOLA · AVG · COLLEG · FABROR ·
TIGNARIOR · IMPENDIS · IPSORVM · AB · IN
CHOATO · EXSTRVCTA · SOLO · DATO · AB · T · FV
RIO · PRIMIGENIO · QVI · ET · DEDIC · EIVS · H-S ·
$\overline{X}$ · $\overline{N}$ · (6) DED ·
EX · CVIVS · SVMM · REDIT · (7) OMNIBVS · ANNIS
XII · KAL · AVGVST ·
DIE · NATALIS · SVI · EPVLENTVR

Fabros tignarios, inquit Cajus jurisconsultus, *dicimus non eos dumtaxat, qui tigna dolant, sed omnes, qui aedificant* (8). hi, venia a senatu data, *scholam* Tollentini, sive collegii curiam, ut dixi ad inscr. cxI· sibi a fundamentis aedificarunt sum-

(1) *Imperatore Caesare.*
(2) *Pro Praetore.*
(3) Danub. t. 2. p. 132. n. 5.
(4) p. 257. n. 1.
(5) l. 2. c. 8. sect. 4. n. 91.
(6) *Sestertium decem millia nummum.*
(7) *Summae Reditu.*
(8) l. 235. D. de verb. et rer. signif.

ptu suo. locum qui dederat Furius, idem quo die schola dedicata est, atque in honorem Principis *Augusta* appellata, dedit Collegio Fabrûm sestertia decem sive scutatos nummos ducentos quinquaginta. ut ex ejus pecuniae usuris sollemne convivium quotannis concelebrarent: quod tamen, nisi collegae perpauci fuerint, aut in symbolam condixerint, lautissimum esse non potuit: quum usuris centesimis sumptus in id fieri major non posset scutatis nummis triginta.

Die natali suo saepius dixere veteres, quam *die natalis sui:* habent tamen Vlpianus et Martianus jurisconsulti (1). enimvero Furius, non levis sibi honor ut haberetur, poscebat, quum natalem suum epulo celebrari juberet: quippe quem summis potissimum viris tribuere solebant. de Augusto Svetonius (2): *Equites Romani natalem ejus sponte atque consensu biduo semper celebrarunt.* at Seneca, *Quid ni ego*, inquit (3), *magnorum virorum et imagines habeam incitamenta animi, et natales celebrem?* adde his maxime Iuvenalem (4):

Quale coronati Thrasea Helvidiusque bibebant
Brutorum et Cassi natalibus.

CCLIII· (Grut. p. 162. n. 3.)

MVNICIPIA
PROVINCIAE
LVSITANIAE · STIPE
CONLATA · QVAE · OPVS
PONTIS · PERFECERVNT
ICAEDITANI
LANCIENSES · OPPIDANI
TALORI
INTERANNIENSES
COLARNI
LANCIENSES · TRASCVDANI
ARAVI
MEIDVBRIGENSES
ARABRIGENSES
BANIENSES
PAESVRES

Prostat inscriptio haec ad veterem pontem Trajani aetate impositum Tago, quem quidam Coloniae Norbensis fuisse dicunt. *id vero ex ponte cognoscimus*, inquit Cellarius (5), *Lusitaniam longe inter amnes illos Durium Tagumque in orientem patuisse.* idem tamen perdifficile esse ait singulis municipiis locum certum debitumque ordinare.

(1) l. 3. D. de minor. 25. ann. l. 23. D. de ann. legat.
(2) in Aug. c. 57. n. 1.
(3) epist. 64.
(4) Sat. 5. v. 36. v. et Svet. in Dom. c. 10. n. 5.
(5) l. 2. c. 1. sect. 1. n. 10.

Porro quum sub Flaviis teste Plinio (1) in tota Lusitania municipium civium Romanorum unum tantum reperiretur Olisipo, hic vero alia undecim commemorentur; existimavit Spanhemius (2), haec a Trajano gentili, seu qui Hispanus ortu esset, beneficium accepisse, ac fortasse ob sumptus in ponte illo exstruendo factos singulis civitatem datam.

CCLIIII· (Martor. Th. Cal. in additam. p. 36. Pratill. Cons. Camp. p. 48.)

SIGNA · TRANSLATA · EX · ABDITIS
LOCIS · AD · CELEBRITATEM
THERMARVM · SEVERIANARVM
AVDENTIVS · SAEMILANVS · V · C · (3) CONS ·
CAMP · (4) CONSTITVIT · DEDICARIQVE . PRAECEPIT
CVRANTE · T · ANNONIO · CHRYSANTO · V · P · (5)

Inscriptionem hanc ediderat Fabrettus, sed mendosam. Martorellius ex ipso lapide descripsit; quem ipse in museum regium Neapolitanum inferendum curavit. idem ad Capuam repertum prodidit; edocuitque, loca illa abdita, unde Saemilanus signa transtulit, Herculaneum esse atque urbes finitimas, quae Vesuvii incendio perierant: quas item indicari puto in Beneventano hoc titulo apud Vitam (6), *Satrius Crescens* V· C· *Cur.* R· P· *Bn. Ex Locis Abditis Vsui Adque Splendori Thermarum Dedit*. at non placet, quod ille addidit, signa ea *ad Severi Imp. usum ejusque thermarum celebritatem Romam deportata*. quorsum enim inscriptione opus erat ad Capuam, siquidem signa Romae constituta jam fuerant? rem nempe sequebatur inscriptio, quam ostendebat. nec vero ea signa Alexandri Severi thermis adtribuenda erant, quae *Alexandrinae* dictae sunt (7), sed Septimii Severi, cujus fuere *Severianae* (8).

Alias ego thermas, quam Romanas, significari existimo: eaque signa in thermas omnino translata puto, quas Septimius Severus prope Capuam aedificasset. de his quidem tacent historici: sed Severum in maritimis Campaniae oris agitasse, ac jus dixisse, tradidit Herodianus (9): itaque delectatum eum Campano coelo, aliquid ibi etiam condidisse, credibile est. ut autem Beneventi fuere thermae, sic apud Capuam quoque exstructas esse, cur miremur, quum ea urbs vel amphitheatrum haberet, et omnium in eo tractu nobilissima esset.

Iamvero, quia statuariorum ea aetate vel mediocrium magna erat penuria, eas, opinor, thermas nullis Severus signis ornaverat. his porro ne diutius carerent, id Saemilanus jamtum aggressus est, quod hisce temporibus Neapolitani se primos fecisse existimabant, ut in subversarum urbium solo ad sedem earum cuniculos ageret, egestisque ruderibus ornamenta illa thermarum conquireret effoderetque.

Sed illud non video, quo pacto *saxum*, ut ait Martorellius, *Alexandri Severi tempestatem certam praeferat:* nam thermas quidem jam aedificatas et de Severi nomine Severianas dictas declarat, sed nihil de tempore nos addocet, quo signa illata fuerint: sive illas Septimius Severus, sive Alexander Severus condiderit. quin illud potius

(1) H. N. lib. 4. c. 22. n. 35.
(2) ad Const. Anton. Imp. exercit. 1. n. 2.
(3) *Vir Clarissimus*.
(4) *Consularis Campaniae*.
(5) *Viro Perfectissimo*.
(6) Ant. Ben. p. 26. n. 9.
(7) Vict. Reg. IX· et Lampr. in Alex. c. 25.
(8) Spart. in Sev. c. 19.
(9) lib. 3. c. 13.

indicare mihi videtur, ideo statuis decoratas fuisse, ut quae jam desertae essent, rursus civium hospitumque frequentia celebrarentur.

Fabretti exemplum (1) quum non probaret Hagenbuchius, pro *Audentius Saemilanus* legendum putavit (2) *Gaudentius Aemilianus:* quod et Muratorio placuit. sed hic in eo etiam erravit, quod eundem pro Aemiliano accepit, qui consul fuit anno v· c· Varr. DCCCCLXXXXVII· quum ille non Consul, sed Consularis Campaniae dicatur, quo tum nomine administrationem Italiae ac jurisdictionem a senatu aut ab Imperatore demandatam, non gestum consulatum significare solebant.

De Thermis, ne indictae abeant, id adnotare juvat, quotiescumque eae memorantur, quas Augusti Romae potissimum condidere, non balnea solum publica indicari, quae ibi supra octingenta numerat Victor, Plinius vero (3) ad infinitum auxisse numerum affirmat; sed aedificia plane admiranda, atque, ut Ammianus ait (4), in modum provinciarum exstructa. in quibus praeter lavacra et laconica, nihil eorum defuisse videtur, quae voluptatem explere atque animum relaxare posse putarentur. ibi enim spatiari, ibi natare, ibi ludere, ibi etiam litteris operam dare fas fuit. habuerunt nempe thermae xysta, porticus, areas, platanones, piscinas, theatridia, cellas, bibliothecas: in his praeterea qua tabulae pictae, qua statuae erant ac signa omnis generis.

Thermae fuerunt Romae diversis temporibus plusquam viginti: quarum magnificentissimae habitae (5), quas Antoninus Caracalla fecit: tum quae a Diocletiano inchoatae ab eodemque dictae, tantas adhuc murorum ac fornicum moles ostentant.

CCLV· (Calog. N. R. t. 15. p. 13.)

N · (6) POPIDIVS · N · F · (7) CELSINVS
AEDEM · ISIDIS · TERRAEMOTV
CONLAPSAM
A · FVNDAMENTO · P · S · (8) RESTITVIT
HVNC
DECVRIONES · OB · LIBERALITATEM
CVM · ESSET · ANNORVM · SEXS · (9)
ORDINI · SVO · GRATIS · ADLEGERVNT

Prodiit inscriptio haec e veteribus Pompejorum ruinis, ad ipsam Isidis, quam memorat, aedem reperta: quae, ut opinor, Nerone Principe collapsa erat, anno urbis Varr. DCCCXVI· ad eum enim annum scripsit Tacitus (10): *Motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompeii magna ex parte proruit.* idemque et Seneca (11), qui motum hunc fuisse dicit nonis Februariis Regulo et Virginio cos. restituit aedem, nescius impendentis mali, Celsinus; qui tamen extremum patriae casum fortasse non vidit. sub Tito enim exstitit exitialia illa Vesevi conflagratio, qua Herculanum Pompeiique periere (12): quo tempore prope octogenarium senem eum esse necesse erat.

Adscriptum est, Decurionem esse factum, quum esset annorum sexaginta, et fa-

(1) p. 280. n. 173.
(2) Epist. epigr. p. 77.
(3) H. N. l. 36. c. 15. n. 24.
(4) Hist. l. 16. n. 6.
(5) Spart. in Sev. c. 21. et in Carac. c. 9.
(6) *Numerius*.
(7) *Numerii Filius*.
(8) *Pecunia sua*.
(9) *Annor.* 60.
(10) Ann. l. 15. c. 22.
(11) Nat. Quaest. l. 6. c. 1.
(12) Xiph. l. 66. p. 1094. etc.

ctum gratis: quia, ut ait Callistratus (1), neque minores vigintiquinque annis decuriones adlegi nisi ex caussa poterant, neque ii, qui annum quinquagesimum et quintum excesserant. plerique autem nisi pecunia non impetrabant, ut in decurionum ordinem adlegerentur: quod etiam de sacerdotiis dixi ad inscr. XIII· laudi nempe Celsinus vertebat sibi, quod et consuetudine et lege solutus eum honorem adeptus esset.

CCLVI. (Maff. Gall. Ant. epist. 4.)

LOCA · $\overline{N}$ · Ↄ · IN · CIRC ·
SEX · IVL · IANVARIVS
AEDIL · DAT

Docet inscriptio, inquit Maffejus, *in circo vel noviter exstructo vel instaurato vel ampliato loca numero quingenta Ianuarium Aedilem Lugdunensibus impensa sua constituisse*. Circum autem Lugduni fuisse in colonia opulentissima, quam Strabo ευανδρειν μαλιστα dixit (2), res nemini mira videri debet.

PARS III.

INDICES LOCORVM PVBLICORVM PRIVATORVMQVE

§· I·

INDICES LOCORVM PVBLICORVM

CCLVII· (Murat. p. 441. n. 5.)

IVSSV · IMP · CAESARIS
AVGVSTI · CIRCA · EVM
RIVOM · QVI · AQVAE
DVCENDAE · CAVSA
FACTVS · EST · OCTONOS
PED · AGER · DEXTRA
SINISTRAQVE · VACVVS
RELICTVS · EST

Ductum, quo aqua Venafrum perducebatur, ibi nempe repertus titulus est, absolutum puto ante annum Varr. DCCXXXXIII· quo anno factum est S· C· in eam ipsam rem, quam Augustus Venafranis injunxerat. in eo enim de omnibus aquarum ductibus

(1) l. 11. D. de decur. et eor. fil. (2) lib. 4. p. 192.

senatus censuit (1), *Placere circa fontes et fornices et muros utraque ex parte vacuos quinos denos pedes patere. et circa rivos, qui sub terra essent, et specus intra urbem et extra urbem, si continentia aedificia, utraque ex parte quinos pedes vacuos relinqui, ita ut neque monumentum in his locis neque aedificium post hoc tempus ponere, neque conserere arbores liceret. si quae nunc essent arbores intra id spatium, excciderentur, praeterquam si quae villae continentes et inclusae aedificiis essent.* haec autem biennio post, lege lata a T. Quinctio Crispino Cos. jussu populi confirmata sunt (2). porro adnotavit Frontinus, arbores potissimum rivis nocere, quarum radicibus concamerationes et latera solvantur.

CCLVIII. (Fabr. p. 634. n. 77. Grut. p. 200. n. 1.)

ID · QVOD · INTRA
CIPPOS · AD · CAMP · VERSVS
SOLI · EST · CAESAR · AVGVST·
REDEMPTVM · A · PRIVATO
PVBLICAVIT

Quod soli fuit ad campum Martium versus intra cippos sive terminos statutos, quum privatum dominum haberet, id, quo latius pateret campus, et mausoleo, ut reor, suo bustoque locum aperiret, emit Augustus, et publicum esse voluit: id enim est *publicare*. ut autem hic *Ad Campum Versus*, sic *In Italiam Versus* leges in Sulpicii epistola ad Tullium (3).

CCLVIIII. (Fabr. p. 726. n. 445. v. inscr. 360.)

TI · CLAVDIVS
DRVSI · F · CAISAR
AVG · GERMANICVS
PONT · MAX · TRIB · POT ·
VIIII · IMP · XVI · COS · IIII ·
CENSOR · P · P ·
AVCTIS · POPVLI · ROMANI
FINIBVS · POMERIVM
AMPLIAƎIT · TERMINAƎITQ·(4)

Inscriptionis hujus non pauca olim exstabant circum urbem exempla: quippe cippis pomerii ambitus teste Varrone (5) describebatur. alterum certe exemplum totidem verbis vidi in Museo Kircheriano, ad radices Caelioli repertum, nisi quod ad lapidis latus incisus erat numerus XV. quo scilicet significabatur, cippum illum decimum quintum fuisse ex iis, qui ad designandos novi pomerii fines a Claudio Aug. statuti fuerant.

(1) Front. de Aqu. art. 127.
(2) id. ibid. art. 129.
(3) Famil. l. 4. epist. 12.
(4) Ǝ pro V cons.
(5) de L. L. lib. 4. c. 32.

Auxit autem Claudius fines populi Romani expeditione Britannica, de qua Svetonius (1): *sine ullo proelio aut sanguine intra paucissimos dies parte insulae in deditionem recepta, sexto quam profectus erat mense, Romam rediit, triumphavitque maximo apparatu.* eodem pertinet inscriptio Barberiniana, cujus deperditam partem felicius, quam ceteri, sic supplevit Fabrettus (2): *Ti. Claudio* etc. *Senatus Populusque Romanus, Quod Reges Britanniai Perduelles Absque Vlla Iactura Suorum Captivos Habuerit, Gentesque Barbaras Vltra Oceanum Primus, Indicto Bello, Imperio Adiecerit.*

Iam vero de Claudio Aug. Tacitus (3): *Pomerium urbis auxit Caesar more prisco, quo iis, qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur.* quo respicit etiam Imperatoria lex, quae Vespasiani gratia lata fuit (4): *Vtique Ei Fines Pomerii Proferre, Promovere, Cum Ex Republica Censebit Esse, Liceat, Ita Vti Licuit Ti. Claudio Caesari Aug. Germanico.* ceterum apud antiquos pomerium proferre, inquit Seneca (5), numquam provinciali, sed Italico agro acquisito mos fuit: *nec duces Romani,* addit Tacitus (6), *quamquam magnis nationibus subactis usurpaverant: nisi L. Sulla et Divus Augustus.* post hos licuit ampliare pomerium omnibus Principibus, qui, ut ait Vopiscus (7), agri barbarici aliqua parte Romanam rempublicam locupletassent. quod Nero etiam fecit et Trajanus.

Sed de ipso pomerio quaerendum hic, quid esset. quidam enim, quia Livius ex disciplina Etruscorum tradiderat (8), locum esse *circa murum, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato consecrabant;* ideirco pomerium ibi solum esse putaverunt, ubi murus esset: in urbis autem incremento semper quantum moenia processissent, tantum terminos illos prolatos esse, id vero apud Romanos secus fuisse existimo: ac prolata quidem moenia arbitror, quotiescumque pomerium ampliandum foret, nempe ut *murus esset post id,* unde et nomen ipsum ducere Livius videtur: at non item prolatum pomerium, quotiescumque moenia processissent. nam Aventinus certe, quum intra urbis moenia esset, ut a Nardino (9) multis argumentis confirmatum est; diu tamen extra pomerium fuit, non ante Claudium teste Gellio (10) receptus, et intra pomerii fines observatus. Aurelianus etiam, quia fines imperii non propagaverat, imo, dimissa Dacia, imminuerat; *muros urbis Romae,* inquit Vopiscus (11), *dilatavit, nec tamen pomerio addidit.* sic enim legendum cum locum ostendit Salmasius, et expungenda verba, quae sequuntur *eo tempore, sed postea.*

Melius igitur apud Gellium ex libris Augurum de Auspiciis sic pomerium definitur: *Locus intra agrum effatum per totius urbis circuitum pone muros regionibus certis determinatus, qui facit finem urbani auspicii.* est autem *ager effatus* qui certis verbis ac precibus ab augure definitus sit: quem *terminare* is dicebatur, qui ad ejus fines cippos sive terminos statuebat.

(1) in Claud. c. 17. n. 1.
(2) p. 728. n. 446.
(3) Annal. l. 12. c. 23.
(4) Grav. de Rom. Imp. n. 24.
(5) de Brev. Vit. c. 14.
(6) Annal. l. c.
(7) in Aurel. c. 21.
(8) lib. 1. c. 27. n. 44.
(9) lib. 1. c. 5.
(10) N. A. l. 13. c. 14.
(11) in Aurel. c. 21.

CCLX. (Grut. p. 198. n. 4.)

EX · AVCTORITATE
IMP · CAESARIS · DIVI
NERVAE · FIL · NERVAE
TRAIANI · AVG · GERM ·
PONTIFICIS · MAXIMI
TRIBVNIT · POTEST · V ·
COS · III · P · P ·
TI · IVLIVS · FEROX · CVRATOR
ALVEI · ET · RIPARVM · TIBERIS
ET · CLOACARVM · VRBIS · TER
MINAVIT · RIPAM · R · R · (1) PROXIMO
CIPPO . P · CCCLXXXVI · S ·

De Augusto Svetonius (2): *Ad coërcendas inundationes alveum Tiberis laxavit ac repurgavit, completum olim ruderibus, et aedificiorum prolapsionibus coarctatum:* quae mihi verba ex antiqua aliqua inscriptione desumpta videntur. idem et curam alvei Tiberis ab eo excogitatam tradit (3). exinde Curatores alvei et riparum Tiberis esse coeperunt, quibus et Cloacarum cura addita, per quarum meatus corrivati septem amnes (4), in Tiberim confluebant.

Iamvero sub Trajano etiam, ut Plinius narrat (5), alveum Tiberis excessit, et demissioribus ripis alte superfusus est: quamquam fossa, quam providentissimus Imperator fecerat, exhaustus, pressit valles et campis innatavit. itaque auctore Trajano Ti. Ferox Curator alveum iterum repurgasse ripasque laxasse mihi videtur: quas deinde, ne aedificiis occuparentur, terminavit. hic autem cippus indicabat, ad fluminis ripam pertinere spatium omne, quod patebat inter alveum et lineam ab ipso cippo deorsum ductam recta regione ad proximum: quae linea longa erat pedes trecentos octoginta sex et semis, sive pedis partem dimidiam. duas illas litteras R· R· legunt quidam *Ruderibus Rejectis:* sed mihi arridet magis *Recta Regione,* quod et explicationem juvat, et omnibus praeterea litteris perscriptum est in marmore Gruteriano (6): *A Privato In Publicum Restituit In Partem Dexteram* Recta Regione *Ad Proximum Cippum Ped.* CLXXXII· *Et In Partem Sinistram* Recta Regione *Ad Proximum Cippum Ped.* CLXXVIII·

CCLXI. (Maff. M. V. p. 108. n. 1.)

SEX · ATILIVS · M · F · SARANVS · PROCOS ·
EX · SENATI · CONSVLTO
INTER · ATESTINOS · ET · VEICETINOS
FINES · TERMINOSQVE · STATVI · IVSIT

Sex. Atilius consul fuerat cum P. Furio Philo anno Varr. DCXVIII· quum Proconsul

(1) *Recta Regione*.
(2) in Aug. c. 30. n. 2.
(3) ibid. c. 37. n. 1.
(4) Plin. H. N. l. 36. c. 15. n. 24.
(5) lib. 8. epist. 17.
(6) p. 200. n. 3.

a senatu missus, ortam inter Atestinos et Vicetinos de finibus controversiam terminis statutis diremit.

Quod autem *Senati, Veicetinos, Iusit* scriptum vides, monumenti vetustatem agnoscas: sic enim priscis Romanis placuit. audi Quintilianum (1): *Quid de aliis dicam, quum* Senatus, Senatus, Senatui, *an* Senatus, Senati, Senatꝰ *faciat, incertum sit.* et de orthographia (2): *Diutius duravit, ut E I jungendis eadem ratione, qua Graeci ει uterentur.* et infra: *Atqui paullum superiores etiam illud, quod nos gemina S dicimus* IVSSI, *una dixerunt* IVSI. de his plura libro secundo, ubi de scriptura agendum erit (3). similem autem scribendi rationem exhibet aenea tabula percelebris Quinti et Marci Minutiorum Ruforum, qui annos post Atilium octodecim *De Controversieis Inter Genuateis Et Veiturios In Re Praesente Cognoverunt, Et Coram Inter Eos Controversias Composeiverunt* (4).

CCLXII. (Grut. p. 200. n. 6.)

T · QVINCTIVS · CRISPINVS
VALERIANVS
C · CALPETANVS · STATIVS · RVFVS
C · PONTIVS · PELIGNVS
C · PETRONIVS · VMBRINVS
M · CRASSVS · FRVGI
CVRATORES
LOCOR · PVBLICOR · IVDICAND ·
EX · S · C · CAVSA · COGNITA
EX · PRIVATO · IN · PVBLIC · RESTITVER ·

Ecce tibi quinqueviros Curatores locorum publicorum judicandorum. hos aliquando et *Arbitros finium regundorum* appellavere (5): quos in privatis controversiis praetor, in publicis senatus dabat. horum primus is est, ni fallor, qui consulatum gessit ex calendis Iuliis anni Varr. DCCLX· (*a*) septem ante annos, quam Augustus excederet. porro arbitri isti acriores fuisse videntur, quam Augustus monstraverat, de quo Svetonius (6): *Loca in urbe publica juris ambigui possessoribus adjudicavit.*

CCLXIII. (Grut. p. 200. n. 4.)

L · CALPVRNIVS · PISO
M · SALVIVS
PR · AER ·
AREAM · EX · S · C · A · PRIVATIS
PVBLICA · PECVNIA · REDEMPTAM
TERMINAVER ·

(1) Inst. l. 1. c. 6.
(2) ibid. c. 7.
(3) Part. 3. c. 9.
(4) Grut. p. 204. Brisson. de Form. l. 5. n. 124.
(5) Grav. de jur. nat. gent. n. 38.
(*a*) Vide, quae supra adnotavi ad Inscript. n. 229. p. 213.
(6) in Aug. c. 32. n. 4.

Inscriptionem, in qua Praetores Aerarii nominantur, nam PR· praetorem fere, non praefectum signant, Claudio Aug. antiquiorem esse, recte dixeris. nempe Augustus auctor fuit (1), ut cura aerarii a quaestoribus urbanis ad praetorios praetoresve transiret. eandem vero Claudius collegio quaestorum reddidit (2): ad quam denique Nero praetura perfunctos et experientia probatos delegit (3), qui *Praefecti Aerario* dicti, quos etiam sub Trajano Plinius (4), sub Aureliano Vopiscus (5) fuisse indicant: de quibus scripsit egregie Frid. Franckensteinius (6).

Aream dixere veteres locum in urbe sine aedificio (7). areamque hujusmodi, praeter quorundam domos, templa potissimum habuere (8): quam nunc quidam *Forum* temere appellant; quum de hoc Varro ita scribat (9): *Quo conferrent suas controversias, et quae vendere vellent, et quo quaeque ferrent,* Forum *appellaverunt.*

CCLXIIII· (Oder. Syll. Inscr. p. 308. n. 4.)

CN · SENTIVS · SATVRNINVS
C · CLODIVS · LICINVS — COS ·
TERMINAVERVNT · LOCVM
PVBLICVM · AB · PRIVATO

Consul fuit Saturninus cum Cajo Aug. anno Varr. DCCLXXXXIIII· sed hic abiit consulatu VII· idus Ianuarias (10). ergo C. Licinus consul suffectus fuit: ac decem omnino dierum consul, siquidem in Caii locum statim collega Saturnino datus est. nam IX· calendas Februarias ejusdem anni, quo die Cajus occisus est (11), consul jam erat cum Saturnino Pomponius Secundus (12). sed huic potius ante calendas Iulias demortuo successit Licinus, et Saturnini adhuc collega fuit (*a*).

Terminare hic est terminis statutis secernere ac discriminare locum publicum a privato. nempe simplex verbum usurpatur pro composito *Disterminaverunt:* illud insolens (*b*), hoc non rarum apud scriptores: ut apud Paullum jurisconsultum de praediis urbanis (13): *ea communibus parietibus plerumque disterminantur.*

Quod autem cippus post Aventinum citraque Doliolum repertus sit, non ideo locum publicum pro pomerio acceperim. nondum enim Claudius spatium illud intra pomerium receperat.

CCLXV· (Grut. p. 26. n. 3.)

LOCVS · ADSIGNATVS · AEDI · OPIS · ET · SATVRNI
L · MVNATIO · VERO · ET · C · TERENTIO · FELICE
CVRAT · OPERVM · PVBL ·

(1) Suet. in Aug. c. 36. n. 1.
(2) id. in Claud. c. 24. n. 5.
(3) Tacit. Ann. l. 13. c. 28.
(4) lib. 4. epist. 12.
(5) in Aurel. c. 12.
(6) in Graev. Syntag. var. dissert.
(7) l. 211. D. de verb. sign.
(8) Ruf. et Vict. Reg. 1. Grut. p. 207.
(9) l. 4. L. L. c. 32.
(10) Suet. in Cajo c. 17. n. 1.
(11) id. ibid. c. 58. n. 1.
(12) Ioseph. B. I. l. 2. c. 10.
(*a*) Cajet. Marinius in Giorn. di Pisa T. V. p. 297. et in Iscriz. Alb. p. 23. probavit multis de caussis hunc lapidem minime posse pertinere ad ann. Varr. DCCLXXXIIII· sed potius ad alium annum ante Chr. natum, quo memorati consules suffecti processerint.
(*b*) Minime hoc insolens apud scriptores: nam haec habet *Liv. l.* 42. *c.* 1. Senatui placuit, L. Postumium consulem, ad agrum publicum a privato terminandum, in Campaniam ire.
(13) l. 4. D. fin. regund.

Vtitur hoc exemplo Falconierus (1), ut ostendat, auctoritate publica opus fuisse, non modo ubi templa Imperatori in provinciis statuenda essent, quod ex Tacito (2) patere dicit, sed etiam ubi in urbe ipsa aedes Deorum construendae essent (3).

CCLXVI· (Fabr. p. 674. n. 14.)

LAPIDES · PROFANEI · INTVS · SACRVM

Holstenii, ait Maffejus (4), *Profanos Lapides ne moremur*. ab Holstenio scilicet, qui se lapidem prope Tibur invenisse testatur, accepit Fabrettus. at cur ille titulum hunc nihili faciat, non intelligo. mitto auctoritatem Holstenii, qui in antiquitatibus plurimum vidit: morem hunc distinguendi sacrum a profano satis nos edocuit Plinius (5), Clitumnum fontem et fonti proximum templum Romano suo describens. nam quum de ponte loquutus esset, quo ibi flumen transmittebatur, addidit, *Is terminus sacri profanique*.

§· II·

INDICES LOCORVM PRIVATORVM

CCLXVII· (Don. Cl. 2. n. 108.)

C · SESTI · C · F · MVRVS
TOTVS · PROPRIVS · EST
ET · LOCVS · VBEI · IS · MVRVS · STAT

Romae titulus repertus post Quirinalem ad S. Mariae Montanae, ibique muri etiam Sestiani satis ampla vestigia detecta. porro *murus* dixere veteres non moenia solum, sed parietes quoque privatos, qui extimi essent, ut Tacitus de urbanis aedificiis post urbem a Nerone incensam: *Nec communione*, inquit, *parietum, sed propriis quaeque* muris *ambirentur* (6).

CCLXVIII· (Fabr. p. 671. n. 4.)

AB · ANGVLO
QVI · RIPAM
CONTINGIT
VSQVE · AD · VIAM
FLAMINIAM
CALPVRNIAE
M · F · MESSALAE
PRIVATA

(1) Inscr. Athlet. p. 49.
(2) Ann. l. 4. c. 55.
(3) v. inscr. 250.
(4) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 455.
(5) lib. 8. epist. 8.
(6) Ann. l. 15. c. 43.

Privata Calpurniae dicuntur fundi sive praedia, quae communia eum aliis non habebat. erant autem ad Tiberim, in cujus ripa lapis inventus prope vineam Cellesiorum. Calpurniam non *Messalam* cognominatam esse, sed Messalae uxorem fuisse crediderim. viri enim agnomen illud fuit, Corvini nempe, qui Messanam vicit, qui, ut ait Seneca (1), *primus ex familia Valeriorum urbis captae in se translato nomine,* Messana *appellatus est: paullatimque vulgo permutante litteras, Messala dictus*. quae vero mulier Barbati Messalae filia fuit, et Claudii Aug. uxor (2), *Messalina* dicta est, quare idem hic *Calpurniae Messalae,* quod alibi *Metellae Crassi, Agrippinae Germanici,* quibus verbis addendum est *Vxori,* ut dixi ad inscr. LII·

CCLXVIIII· (Fabr. p. 245. n. 671.)

HI · TERMINI · XIX · POSITI · SVNT
AB · SCRIBONIANO · ET · PISONE · FRVGI
EX · DEPALATIONE · T · FLAVI · VESPASIANI
ARBITRI

Vespasianus, quum nondum Principem ageret, postulatus arbiter, extra portam Nomentanam, nam ibi lapis prodiit, agrum depalaverat, id est palis defixis limitaverat, hac Scriboniano parte, illa Pisoni adsignata. ubi pali erant, lapidei deinde a dominis statuti sunt termini decem et novem.

CCLXX· (Grut. p. 201. n. 3.)

PER · HANC
VIAM · FVNDO
C · MARCI · C · L ·
PHILERONIS
ITER · ACTVS
DEBETVR

Fundum habebat Philero in Sabinis, ut inventi lapidis locus testatur. hunc, quia vicinorum praediis cingebatur, per alienum agrum adire illi jus erat. hujus igitur juris exstare memoriam voluit.

Est autem *Iter,* uti Vlpianus exposuit (3), jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi. *Actus* jus agendi vel jumentum vel vehiculum. *Via* porro est jus eundi et agendi et ambulandi: nam *Iter* et *Actum* in se *Via* continet. *semita* unius pedis latitudinem habet, *Iter* duorum, *Actus* quatuor, *Via* octo. *Via* enim, ut ait Festus, duos *actus* capit propter euntium et venientium vehiculorum occursum. *callis* latitudine minor, quam *semita,* dimidio; et ab Isidoro *semita* dicitur hominis, *callis* pecorum vel ferarum.

Plura de his, si placet, invenies apud Terrassonium (4), e cujus haec libris ex-

(1) de Brev. vit. c. 13.
(2) Svet. in Claud. c. 26. n. 3.
(3) l. 1. D. de serv. praed. rust.
(4) Hist. Iurispr. Rom. p. 2. §. 10. pag. 164. etc.

cerpsi. addo, precario iter aliquando esse concessum, quod Maffejana inscriptio declarat (1).

CCLXXI. (Grut. p. 200. n. 8.)

INTER · DVOS
PARIETES
AMBITVS · PRIVATI ·
FLAVI · SABINI

Requirebat Vitruvius ab architecto, ut (2) *Iura quoque nota habeat ea, quae necessaria sunt aedificiis communibus parietum ad ambitum*. ad aedium autem ambitum pertinere putabat Scaevola (3), quantum parietis communis tegendi caussa tectum projiceretur. id spatium XII· Tabulae pedum duorum cum semisse concedere videntur: quod, ut animadvertit Brissonius, *Pes Sestertius* appellatur (4). sed hoc loco ambitus Sabini totus fuisse indicatur, nullus vicinorum.

Quia vero titulus hic in Quirinali repertus est ad Malum Punicum, idcireo putavit Nardinus (5), id sibi argumento esse posse, ut Domum Flaviorum eo loci fuisse statueret: nimirum sive hic Sabinus sit, qui Titi et Domitiani patruus fuit, sive qui patruelis; in avita eum domo mansisse, credibile est, quum Flavii Principes in Palatium migrassent.

CCLXXII. (Don. Cl. 2. n. 125. Murat. p. 357. n. 1. Grut. p. 1079. n. 11.)

INSVL · L · SATRI · FELIC ·
ALEXANDRO · AVG · III ·
ET · DIONYSIO · COS ·

Insula L. Satrii aedes ne erant locatitiae, quae illi Romae pro fundo essent? *dominos insularum* bis memorat Svetonius (6), reditus *ex Insulis fundisque* Martialis (7). *Insularios* inscriptio Fabretti et aliae (8). porro *Insulae* in urbe fuisse perhibentur quadraginta sex millia sexcentae duae, quum *Domus* essent mille septingentae octoginta, sive ut est in exemplari Vaticano (9), MDCCXC· jam vero convenit, *Domos* appellatas aedes, quas senatores ceteriique viri primarii habitarent, amplitudine fere ac forma ornatuque spectabiles: *Insulas* contra, quae pauperiorum essent, et pluribus familiis locarentur: quod Terrassonius quoque amplexus est (10).

Notam addidit Satrius anni Varr. DCCCCLXXXII· sed haeret Muratorius in collega Alexandri. nam fasti habent Cassium Dionem II· et *Dio* item est apud Gruterum (11) (*a*). nihil autem expeditius, siquidem Dionysium consulem suffectum eremus.

Ceterum non praetermittam hoc loco, quod explanationem funditus evertere possit, inscriptionem nempe in tegula impressam fuisse. haec et in aliis fortasse fuit, ut tegu-

(1) Mus. Ver. p. 169. n. 2.
(2) lib. 1. c. 1.
(3) Cic. Topic. c. 4. n. 24.
(4) Select. I. C. Ant. l. 1. c. 2.
(5) lib. 4. c. 7.
(6) in Iul. c. 41. n. 6. in Tib. c. 48. n. 1.
(7) lib. 4. epigr. 37.
(8) p. 249. n. 23. Grut. p. 624. n. 10. etc.
(9) Murat. Inscript. p. 2134.
(10) Hist. Iurisp. part. 2. §. 10. p. 160.
(11) p. 1079. n. 11.
(*a*) At reapse apud Grutер. loc. cit. non *Dione*, sed *Dionysio* legitur.

lae ipsae, muri, opinor, quo insula cingebatur, angulis insertae, veluti pro terminis essent. sed illud quoque dici potest, ab inscriptione praedium potius significari L. Satrii, ubi tegula facta sit. nam apud Gorium (1) leges, EX · INSVL · M · VLPI · SVLPIC · OPVS FIGV · VERIAN · ubi *Insula* figuli campus esse videtur, sive praedium M. Vlpii, in quo Verianus figlinas exercebat. itaque si haec tibi magis arrideant, legendum hic erit, *Tegula Insulae L. Satri*.

PARS IIII.

INDICES EORVM QVAE LEGATA DONATA VENDITA AVT EMPTA SVNT

§· I·

INDICES EORVM QVAE LEGATA SVNT

CCLXXIII· (Grut. p. 94. n. 11.)

T · TETTIENVS · FELIX · AVGVSTALIS
SCRIBA · LIBRAR · AEDIL · CVRVL ·
VIATOR · AEDIL · PLEBIS · ACCENSVS
CONSVLI · HS · $\overline{\text{L · M · N}}$ · LEGAVIT
AD · EXORNANDAM · AEDEM · POMONIS
EX · QVA · SVMMA · FACTVM · EST · FASTIGIVM · INAVRATVM
PODIVM · PAVIMENTA · MARM · OPVS · TECTORIVM

Fuit Tettienus Scriba librarius Aedilium curulium, ex iis nempe, qui acta rationesque publicas magistratus sui nomine scribebant, et *scriptum facere* dicebantur (2). horum ordinem honestum appellat Tullius (3), quod eorum fidei tabulae publicae, periculaque magistratus committerentur. his autem maxime usus est idem Tullius, quum Catilinariae conjurationis indicium dividi passim et pervulgari voluit (4), iidem *Scribae* et *Scribae librarii* dicti sunt, admonetque Vrsinus interpunctione abstinendum in eo Tullii loco: *Ornat apparitoribus,* Scribis Librariis, *praeconibus, architectis* (5).

Enimvero Tettienus *Viator* quoque fuerat Aedilium plebis: nam hi pro lictore viatorem habuere, quod prehensionem, ut ait Varro (6), non vocationem haberent. deinde etiam *Accensus* Consuli, qui ab accicndo dictus (7). eo utebantur ii omnes magistratus, qui vocationem habebant: cui autem ille apparebat, nomen ejus fere dativo casu efferebant: ut Cicero (8): *Homo ordinis sui frugalissimus, qui tum* Accensus

(1) Inscript. T. 2. p. 325. n. 122.
(2) Gellius l. 6. c. 9.
(3) Act. 2. in Verr. l. 3. c. 79. n. 183.
(4) Or. pro Sulla c. 15. n. 42.
(5) de L. Agr. 2. c. 13. n. 32.
(6) ap. Gell. l. 13. c. 12.
(7) Varro de L. L. l. 5. c. 9.
(8) Act. 2. in Verr. l. 1. c. 28. n. 71.

C. Neroni *fuit P. Tettius*. unus singulis magistratibus fuisse videtur (1): Iulius autem Caesar, uti scripsit Svetonius (2), *antiquum retulit morem, ut quo mense fasces non haberet,* Accensus *ante eum iret, lictores pone sequerentur*. huisce ministeriis in urbe defunctus Tettienus, Salerni demum Augustalis obiit: ibi enim lapis exstat. legati ab eo scutati nummi septingenti quinquaginta: quae summa exigua est, si tibi aedem aliquam amplissimam fingas, quae exornanda ea pecunia esset. sed pleraeque aedium sacrarum Romae etiam parvae admodum fuere.

Illud mirum videri possit, plures hic Pomonas appellari, quum una feratur. sed haec ipsa Latinarum Hamadryadum comes quum putaretur (3), nomen fortasse ceteris idem datum est.

Fastigium dixere veteres ipsum aedium sacrarum tectum (4), quod in acumen desineret. sed eodem nomine appellata etiam videntur tegmina illa quasique umbraecula, quae statuis aliquando imponebant, a Plinio, ut arbitror (5), *Fictilia Deorum Fastigia* dicta. *nihil aliud,* inquit Muratorius (6), *fuisse mihi creditur* Fastigium, *nisi aedicula seu tegumentum aediculae vel statuae impositum, et quatuor columnis suffultum*. quin et eodem nomine usos Christianos scriptores ostendit, ut haec nostra altarium culmina significarent (7). quare in Vrbani vul. P. M. inscriptione Vaticana pro versu illo *Sepulcrum Apostolicum Aerea Mole Decoravit,* hic fortasse alter quadrabat magis, *Sepulcrum Apostolorum Fastigio Aereo Decoravit*.

Podium Vitruvius (8) circa aedem ex tribus lateribus fieri dixit, quando in fronte tantum gradus habet: spatiis nempe, quae inter stylobatas patent, infra columnarum spiras occlusis. pavimentum vero duplex factum, alterum, ut puto, in area, in qua fastigium eminebat; alterum inferius circum eandem aream. denique opere tectorio sive albario parietum quidquid erat, inductum est.

Percipere legata Dii omnes Deaeque poterant; haeredes fieri non item (*a*). *Deos,* inquit Vlpianus (9), *instituere haeredes non possumus, praeter Iovem Tarpejum, Apollinem Didymaeum, Martem in Gallia, Minervam Iliensem, Herculem Gaditanum, Dianam Ephesiam, Matrem Deorum Sipylensem, quae Smyrnae colitur, et Caelestem Salinensem Carthaginis*.

(1) Cic. ad Q. Fr. l. 1. ep. 1. 3.
(2) in Iul. c. 20. n. 2.
(3) Ovid. Metam. l. 14. v. 623.
(4) Cic. de Orat. l. 3. c. 46. n. 180.
(5) H. N. l. 36. c. 2. n. 2.
(6) ad inscr. 3. p. 618.
(7) Rayner. Hist. Transl. SS. Eutych. et Acutii. Anastas. in S. Silvest.
(8) l. 3. c. 3.
(*a*) At Schultingius Iurispr. Ante-Iustinian. ad hunc loc. p. 635. observat, non licuisse Deos haeredes facere nisi certos, h. e. *quos senatusconsulto, constitutionibus principum instituere concessum est;* quae postrema sunt verba ipsius Vlpiani ab cl. Auctore praetermissa.
(9) Regul. lib. sing. tit. 22. Qui haer. instit. possint. n. 6.

CCLXXIIII· (Moris. Insc. Regin. p. 266.)

T · ERVENVS · T · F · SABINVS · TRIVMVIR · AED ·
POT · II · TESTAMENTO · LEGAVIT · MVNICIPI
BVS · REGINIS · IVL · IN · PRYTANAEO · STATVAM
AEREAM · MERCVRI · TRVLLAM · ARGENTEAM
ANAGLYPTAM · P · II · S · LARES · ARGENTEOS
SEPTEM · P · II · S · PELVIM · AEREAM · CORINTHEAM
ITEM · IN · TEMPLO · APOLLINIS · MAIORIS
PVGILLARES · MEMBRANACEOS · OPERCV
LIS · EBOREIS · PVXIDEM · EBOREAM · TABV
LAS · PICTAS · XVIIII ·
HEREDES · EIVS
PONENDA · CVRA
VERVNT

Quatuorvirum Aedilicia potestate memorat inscriptio LXXXIIII· legesque in aliis quoque, maxime apud Gruterum: saepe etiam occurrunt Duumviri eadem potestate: at perraro Triumviri. hos omnes minorem fere magistratum gessisse puto: sic enim appellati videntur, ut ab iis distingui possent, qui summum obtinebant, quos, ut in ea, quam modo dixi, inscriptione, a jure dicundo nominabant. Aedilicine autem hujus potestatis erat, ut ait Iuvenalis (1), *de mensura jus dicere*, et *vasa minora* sive *heminas iniquas frangere* (2).

Regini tum fortasse primum *Iulienses* appellari coepti, quum C. Iulius Divi F. qui nondum *Augustus* dictus fuerat, ejecto Sicilia Sex. Pompejo, Regium eo tempore infrequens, novis civibus ex classe sua adtributis, frequentavit (3). de Regio scilicet Bruttiorum sermo hic est, ubi et lapis exstat.

Πρυτανειον in Graecis urbibus sedes erat Prytanum sive summi magistratus. *Penetrale urbis* appellat Livius (4) de Cyziceno loquens, *ubi*, inquit, *publice, quibus is honos datus est, vescuntur:* nam et bene meriti de repub. ibidem alebantur (5). porro et in Italia, quae urbes origine Graecae essent, Prytaneum habuere, ut de Tarento scripsit Athenaeus (6), et hinc de Regio manifestum est. a Curia autem distinguere oportet, quum Tullius scripserit, Syracusis fuisse *ornatissimum Prytaneum, amplissimam Curiam* (7). jam vero in Prytaneo Reginorum collocari Sabinus voluit statuam aeream Mercurii et Lares argenteos septem: quae sigilla perparvula fuisse fatendum est, nisi forte singula libris duabus argenti et semis constabant. apposite autem legavit idem et Trullam argenteam anaglyptam et Pelvim aeream Corinthiam, ut olim Perseus in Prytaneo Cyzicenorum *vasa aurea mensae unius posuit* (8): quippe ad convivium magnifice splendideque ornandum aptissima erant: *Trulla* nimirum saepe pro vase vinario usurpatur, ut apud Tullium, ubi de poculis agit, quae Antiochus Antiochi regis Sy-

(1) Sat. 10. v. 101.
(2) Pers. Sat. 1. v. 130.
(3) Strab. l. 6. p. 259.
(4) lib. 41. c. 20. n. 20.
(5) Cic. de Orat. l. 1. c. 54. n. 232.
(6) l. 15. c. 19.
(7) Act. 2. in Verr. l. 4. c. 53. n. 119.
(8) Livius l. c.

riae filius in convivio exposuit, quo Verrem honorificentissime accepit. *Erat,* inquit (1), *etiam vas vinarium ex una gemma pergrandi,* Trulla *excavata manubrio aureo.* atque id ipsum vas paullo inferius *Trullam gemmeam* appellat. Pelvis etiam ad convivium pertinere potuit, non modo quia pro vase aquario utebantur, sed etiam quia unguenta pelvi interdum afferre mos fuit. *pueri capillati,* inquit Petronius (2), *attulerunt unguentum in argentea pelve, pedesque recumbentium unxerunt.* pretium autem Trullae augebat ars, quum anaglypta esset, id est aspera signis; vel, ut ait Plinius (3), in asperitatem excisa. Pelvim commendabat metalli genus, qualecunique id fuerit, Corinthi inventum, ac magno olim apud omnes pretio.

Duplex Regii templum Apollini sacrum fuisse, recte argumenteris, quod hic templum *Apollinis Majoris* memoretur: idque ipsum fuisse, quod ab Oreste aedificatum ferebatur, ob rei vetustatem, veri utique simile est. mentionem ejus in Varronis fragmentis invenies (4). num vero deinde bibliotheca ibidem dedicata sit, ut Romae fuisse scimus Apollinis Palatini et Pacis (5), inutile est quaerere. sed *Pugillares Membranacei* et *Pyxis Eborea* et *Tabulae Pictae* bibliothecam melius, opinor, quam templum ipsum ornare poterant. Pugillares enim hi membranacei, id est quorum pagellae non ceratis tabellis sed chartis Pergamenis constarent, puri, ut reor, non erant, sed historiam aliquam aut monumentum litterarum Apolline dignum continebant. formam autem eorum ne aliam fuisse putes, quam quae nostrorum librorum est: nisi quod opercula sive frontes eboreas habuisse dicuntur. ceterum de hac re legenda tibi sunt non tam quae Martorellius mira protulit (6), quam quae vera scripsit Walchius, in longa nempe epistola ad Gorium, hoc titulo, *De Pugillaribus Veterum* (7).

At quid tandem *Pyxidem* fuisse dicemus? Morisanus, qui titulum hunc longiori commentario illustravit, unde et aliquid ipse profecit, non aliud Pyxidem Sabini esse putavit, quam atramenti vasculum sive μελανοδόχειον. id vero quis credat a Triumviro civibus suis legatum esse, vel si Homeri illud aut Hesiodi tritum manibus fuisse dicas? Pyxidem ego illam satis magnam fuisse crediderim, et quum scalptura, tum ipso ebore commendatam: quod quanti fieret, fusius ostendit Buonarrotus (8). legatum tamen tabulae pictae undeviginti, quae forsitan e Graecia omnes, multo magis honestasse putandae sunt: ut quae Syracusis erant in aede Minervae, antequam Verres tolleret, numero XXVII. (9)

Noli mirari, quod *Prytanaeo* potius quam *Prytaneo,* et *Corintheam* non *Corinthiam* scriptum sit. Romae etiam Tullii aetate *Veam* quidam malebant dicere, quam *Viam* (10): et quadratarius fortasse, ne in extrema Italia nihil sapere videretur, aliquid ipse de suo adjicere voluit. *Puxidem* autem pro *Pyxide* multi scribebant (11), ut *Sullam* pro *Sylla.*

(1) Act. 2. in Verr. l. 4. c. 27. n. 62.
(2) in Fragm. Tragur. c. 70.
(3) H. N. l. 33. c. 11. n. 49.
(4) Antiq. Rer. Hum. l. 10.
(5) Gell. N. A. l. 16. c. 8.
(6) Th. Cal. l. 1. p. 226. etc.
(7) Ienae 1756.
(8) Medagl. pref. p. 23.
(9) Cic. Verr. Act. 2. l. 4. c. 55. n. 123.
(10) Cic. de Orat. l. 3. c. 12. n. 46.
(11) Scrib. Larg. comp. 236.

CCLXXV· (Murat. p. 477. n. 6.)

P · IVLIO · P · F · FESTO
P · IVLIVS · FESTVS
DAT · DONVM · LIBENS
AGRVM · ET · PVTEVM
MACERIA · CLAVSVM
NEPOTI · CARISS ·
EX · TESTAM ·

Ne mortis caussa fundum donare videretur, adjecit Festus, se libentem nepoti dare donum: idque ad eundem statim, siquidem post mortem patris legatum fuerit, sive ipse patri haeres fuerit, sive non, pertinere optimo jure coepit (1).

Ideo autem puteum illud maceria clausum fuisse dicitur, quod non serviret, atque a domino in unius agri commodum effossum esset. quaedam enim aliquando servisse, indicat titulus, quem olim legi in Museo Kircheriano (2), *Commune Est Puteum Et Iter Ad Tricleam*, id est vel *Trochleam* ipsius putei vel potius ad *Trichilam* sive pergulam puteo proximam, quae in Fabretti inscriptione (3) *Triclia* dicitur.

CCLXXVI· (Don. Cl. 2. n. 71. Murat. p. 2016. n. 1.)

ORFIA · C · F · PRISCILLA · HS · $\overline{VI}$ · N · (4) COLL · F ·
QVAE · ORFIVS · HERMES · AVVS · EIVS
IN · MEMORIAM · ORFI · SEVERI · FILII
SVI · AD · EXORNANDAM · SCHOLAM
POLLICITVS · ERAT · DEDIT

Quae avus Hermes collegio Fabrûm Ostranorum (5) promiserat se daturum, ea tamquam si legata essent, Orfia haeres dedit: usuras autem non dedit: quippe, ut ait Modestinus (6), *eum, qui donationis caussa pecuniam vel quid aliud promisit, de mora solutionis pecuniae usuras non debere, summae aequitatis est: maxime quum in bonae fidei contractibus donationis species non deputetur.*

CCLXXVII· (Fabr. p. 606. n. 53. ex Holstenio)

Q · FVLVIVS · L · F · RVFVS · Q · ARGIVS . Q · F · CELER · PATER · II · VIR
LANARIAS · ET · QVAE · IN · EIS · SVNT · SVA · PEQ · FECIT · VT · EX
EO · VECTIGALE · QVOTANNIS · MVLSVM · ET · CRVSTVM · NATA
LI · CAESARIS · AVGVSTI · DARETVR

Inscriptionem hanc Thessalonicae repertam, tradidit Holstenius (7); quam urbem

(1) l. 71. D. de legat. et fid. com. 1.
(2) Maff. M. V. p. 257. n. 6.
(3) p. 156. n. 254.
(4) Sestert. num. 6000.
(5) Ostra nunc *Mons Alboddus* in agro Senogall. Nov. Fior. An. 1749. p. 792.
(6) l. 22. D. de donation.
(7) Grut. p. 173. n. 4. Telesiae in Samnitibus inventam dicit.

liberae conditionis fuisse scripsit Plinius (1): a quo libertatem accepisset, non adscripsit. eam ante Augustos qui dicat liberam non fuisse, haud is temere affirmet. illi certe, ut reliquis Macedoniae urbibus, leges dederat Aemilius Paullus (2). Tullii autem aetate Proconsulis quaestorem in ea diversatum esse, et quaestorium ibidem fuisse, ex ejus oratione pro Plancio cognitum habemus (3): cui quidem quaestori locus Thessalonicae esse non poterat, si libertas huic data jam fuerat: liberae enim urbes, ut docuit Maffejus (4), non modo legibus utebantur suis, sed etiam jurisdictioni exemptae Proconsulis, magistratus suos judices habebant. imo et hoc diu servatum, ut quum in eas Proconsules ingrederentur, publicam personam prope abjicerent: itaque de Germanico ipso Caesare et magnorum exercituum duce scripsit Svetonius (5): *Libera ac foederata oppida sine lictoribus adibat*. Thessalonicenses autem ab Augusto, cujus natalem diem celebrabant, libertate esse donatos, verisimile est, quum permultas ille civitates, Dione ac Philone affirmantibus (6), liberas esse jusserit.

Sed illud fortasse mirum alicui videbitur, in Graeca urbe inscriptionem Latinam conditam esse, praesertim quum ejus urbis nummi vel sub Gallieno Aug. graece etiamtum scripti reperiantur, Θεσσαλονικεων Μητρ. (7). tu vero minime id attendas, velim, quum eadem aliquando ex urbe et Latini et Graeci eodem prope tempore prodierint nummi omnis generis, quod jam a Spanhemio indicatum est (8), simul ad veterem urbis hujus inter Graecas dignitatem designandam non Latina potius vocabula, quam Graeca usurpanda fuisse videantur. ceterum nationes quaslibet, ex eo die, quo in ditionem populi Romani redactae sunt, Latinae statim linguae assuescere, et eum patrio sermone Romanum conjungere coepisse, verissime judicaveris. scio antiquissimis temporibus, quod adnotavit Duckius (9) Romanos ipsos Graeco sermone saepe usos, et sociis permissum potius, quam imperatum, ut publice latine loquerentur, quemadmodum de Cumanis scripsit Livius (10): at post bellum Punicum tertium, imperio in omnes plagas propagato, victor ille omnium gentium populus discordes ferasque linguas, ut Plinii utar verbis (11), sermonis commercio contraxit ad colloquia, et humanitatem homini dedit: breviterque urbs Roma una cunctarum gentium in toto orbe patria facta est. *Opera*, inquit sanctus Augustinus (12), *data est, ut imperiosa civitas non solum jugum, verum etiam linguam suam domitis gentibus per pacem societatis imponeret*. quare jamtum in provinciis jura latine a praetoribus data, nec acta et decreta nisi latine scripta: et quo sermonis Latini honos per omnes gentes venerabilior diffunderetur, ne Graecis quidem unquam, nisi latine responsa magistratus ediderunt (13). ita paullatim factum est, ut Latinus sermo in omnium ore esset, et eorum quisque lingua sibi loquendum putaret, quorum jam imperio parebat. nam quod Tullius scripsit, Latina suis finibus, iisque exiguis, contineri (14), de versibus ille et scriptis doctorum hominum loquebatur, quibus sane, nisi qui Latinis litteris eruditi excultique essent, delectari omnino non poterant.

Duumviri igitur Thessalonicenses Romano more operis sui monumentum Latinis litteris exstare voluerunt. fecerat autem uterque Lanarias *officinas* et instrumentum earum hac lege, ut ex vectigali, quod ii pendere debebant, qui officinas conduxissent, mulsum quotannis et crustum municipibus daretur natali die Augusti; id est IX. cal.

(1) H. N. l. 4. c. 10. n. 17.
(2) Liv. l. 45. c. 27. n. 32.
(3) c. 41. n. 99.
(4) Ver. Illust. l. 5. p. 87. ed. 1.
(5) in Cajo c. 3. n. 6.
(6) Dio l. 53. p. 704. B. Philo Leg. ad Caj. p. 1013.
(7) Spanhem. diss. 9. p. 653.
(8) Diss. 2. p. 106. 65.
(9) De usu et auct. Iur. Civ. Rom. lib. 2. c. 1. n. 8.
(10) lib. 40. c. 25. n. 45.
(11) H. N. l. 3. c. 5. n. 6.
(12) de C. D. l. 19. c. 7. v. Lips. de recta pronunc. Lat. Ling. c. 3.
(13) Val. Max. l. 2. c. 2. n. 2.
(14) pro Arch. c. 10. n. 25.

Octobres: de Octaviano enim sermo esse videtur, eoque adhuc superstite, quum *Divus* non appelletur. quamquam, quia Duumvirorum cognomina plane Romana sunt, et coloniam subinde deductam Thessalonicam ex nummis tenemus (1); subdubitare cogor, Caesar ne Octavianus hic nominetur, an qui Duumvirûm tempore imperaret, Caesar alius Augustus, qui coloniam deduxerit. eorum alter, quod et filius ejus iisdem nominibus uteretur, *Pater* dicitur.

Mulsum dixere veteres potionem, quam Graeci vocant Ὑδρόμελι (2), ex vino nempe et melle: cujus conficiendae rationem tradidit Columella (3). eam in convivio maxime dabant: hinc illa apud Plautum (4): *Age, circumfer mulsum, bibere da usque plenis cantharis*. crusta vero et crustula erant placentae sive panis, ut ait Isidorus (5), oleo conspersus, in medio concavus et tortus. mulsum et crustulum veteres, etiam in statuarum dedicationibus, distribuisse, saepe in antiquis lapidibus leges (6).

§· II·

INDICES EORVM QVAE DONATA SVNT

CCLXXVIII· (Nardin. lib. 5. c. 6.)

BEBRIX · AVG · L · DRVSIANVS · A · FABIVS · XANTHVS · CVR · (7)
IMAGINES · ARGENTEAS · DEORVM · SEPTEM
POST · DEDICATIONEM · SCHOLAE
ET · MVTVLOS · CVM · TABELLA · AENEA
DE · SVA · PECVNIA · DEDERVNT

Scholam, de qua hic sermo est, eam cum Nardino esse arbitror, quam Rufus in regione octava *Scholam Xantham* appellat. ad clivum enim Capitolinum in eadem regione, Lucii Fauni aetate, monumentum exstabat. id vero ad scribas praeconesque Aedilium Curulium spectasse, altera, quae ibidem erat, inscriptio non obscure declarat (8). eorum igitur Scholam, quo fortasse utraque decuria ex s· c· convenire poterat, et consilium advocare, Curatores ut ornarent, de pecunia sua imagines argenteas donum dederunt, atque ad eas collocandas mutulos in parietibus, tamquam pensiles bases sive fulcra supposuere, adjecta, ut reor, tabella aenea, quae Dei nomen ac titulos cujusque referret.

(1) Spanhem. diss. 9. p. 653.
(2) Diosc. l. 5. c. 16.
(3) lib. 12. c. 41.
(4) Pers. act. 5. 2. 40.
(5) Orig. l. ult. c. 2.
(6) Grut. p. 100. n. 5. etc.
(7) *Curatores*.
(8) Nard. ib. p. 251.

CCLXXVIIII. (Grut. p. 175. n. 9.)

M · VLPIVS
AVG · L · AEGLVS
PROC · MAVSOLAEI
IMAGINEM
CORINTHEAM
TRAIANI · CAESARIS
COLLEG · FAENARIOR ·
D · D ·

Mausolaei pro *Mausolei*, ut paullo ante *Prytanaeo* pro *Prytaneo*: unde suspicari licet, diphthongos jamtum vulgo, uti nunc contingit, scribendo magis, quam loquendo expressas. *Mausoleum* autem κατ' ἐξοχήν sepulcrum Augusti appellarant Romani (1): quamquam, ut ait Pausanias (2), mirati molem sepulcri, quod Mausolus Halicarnassi habebat: τα παρα σφισιν επιφανη μνημματα, Μαυσωλεια nominabant. illud opus, quod ἀξιολογωτατον vocat Strabo (3), teste Svetonio (4), *inter Flaminiam viam ripamque Tiberis sexto suo consulatu* (Augustus) *exstruxerat: circumjectasque silvas, et ambulationes in usum populi jam tunc publicarat*. ab eo tempore procuratorem impositum, verisimile est, ut esset, qui Caesarum loculos, et silvas ipsas ambulationesque tueretur.

Porro Mausolei Procurator M. Vlpius Patroni sui imaginem ex aere Corinthio donum dedit Collegio Foenariorum; quo nomine negotiatores appellantur, qui foenum in foenilibus adservatum divenderent; ut alii a vino et caligis *Vinarii* et *Caligarii* dicti sunt (5), quorum erant in urbe Corpora constituta.

CCLXXX. (Grut. p. 175. n. 8.)

TI · CLAVDIVS
CHRESIMVS · OB · HON ·
QVINQVENNALITATIS
COLLEGIO · DENDROPHOR ·
ROMANOR · QVIBVS · EX
S · C · COIRE · LICET · ARGEN
TI · P · X · ET · HS · X · MILLIA · N ·
REDDEDIT
QVAE · DIVISA · SVNT · POPVLO · PER · GRADVS
K · AVG · COLLEGI · N · (6)
NVMMIO · ALBINO · ET · FVLV · AEMILIANO
CoS · (7)

(1) Svet. in Ner. c. 46. n. 3. Martial. l. 5. ep. 65.
(2) lib. 8. c. 16. *monumenta, quae apud ipsos illustria essent, Mausolea nominabant.*
(3) lib. 5. p. 236.
(4) in Aug. c. 100. n. 10.
(5) Lampr. in Alex. c. 33.
(6) *Natali.*
(7) Anno Varr. 959.

Collegium Dendrophororum, inquit Maffejus (1), *in nullo ex genuinis nostris hactenus vidimus*. idem tamen judicium hoc suum deinde contempsit, recepta inter genuinas inscriptione, quam ex ejus Museo Veronensi supra attuli (2). ad eam de Dendrophoris quae sentirem, exposui.

Apte Chresimus *Reddidisse* dicitur, quae Collegio donaverat: quippe honorem Quinquennalitatis consequutus, ita gratiam rependerat: *Reddere* tamen idem aliquando ac *Dare:* sic enim Celsus (3): *Verbum Reddendi quamquam significatum habeat retro dandi, recipit tamen et per se dandi significationem*. Quinquennalis autem inter Corporatos Collegasque hoc potissimum fuisse munus videtur, ut censoria quadam potestate sodales probaret, indignos collegio moveret, novos legeret.

Qui fuerint *Gradus*, per quos nummi a Chresimo dati, populo divisi sunt, difficile est definire. sed tamen non gradus circi aut theatri cujuscumque, sed unus aliquis designari locus videtur, quem *Gradus* appellarent. hunc in foro fuisse, putavit Salmasius (4), quod in foro et nummos Romae ab Imperatoribus sparsos (5), et panes gradiles Constantinopoli distributos esse constet (6). hos tamen Romae, aut certe tesseras, etiam in amphitheatro datas, verisimile est: qua de caussa qui Praefectus Annonae erat, idem sub Tito Procurator Amphitheatri fuisse videtur (7). verum longe dissentit Spanhemius (8) hanc ipsam inscriptionem retractans, prolatisque veterum nummis, ostendit in his *erectum tribunal seu suggestum cum* Gradibus, *quibus ad illud ascendebatur; sedentem in Curuli Imperatorem, stantes prope in eodem suggestu unam vel plures cum Congio aut cum Tessera figuras, quae frumentarias nempe aut nummarias Tesseras distribuerent, singulis per eosdem gradus illas recipientibus*. ita sane: at pace tanti viri subjicere liceat, exempla ista ad Congiaria Imperatorum spectare, quae nemo fortasse in imperio plus septies dedisse legitur, non ad omnes distributiones, quarum menstruae quaedam fuere (9): praesertim quum harum caussa creati magistratus essent frumenti populo dividundi (10). itaque et nummos hosce plebi in Amphitheatri potius gradibus sedenti distributos esse, quam e temporario suggestu viritim datos crediderim, ut ipsa dictio *Divisa Per Gradus* significare atque ostendere videtur. id certe a pluribus nec multis horis peragi potuit percommode. enimvero *Divisiones* hujusmodi in municipiis etiam *datae* (11): sic nempe loquebantur, ac plebi item per gradus: nam haec in Puteolana inscriptione apud Reinesium leges (12): CVIVS DEDICATIONE · CEN · POP · DEDIT · HS · M · CXXX · N · CVRION · Ⅹ · XIIII · SODAL · AVG · Ⅹ · X · VI · VIR · AVG · Ⅹ · X · ET · PER · GRAD · Ⅹ · IIII · plebs scilicet post decuriones et Augustales cieri solebat: itaque plebs hic intelligi debet, quam sane diribitores intra septa cogere debebant, ne sportulam justo plures per fraudem auferrent. sed Reinesius legebat PEREGRINIS ADVENIS; quod non modo mirum, sed prope ridiculum etiam est: cur enim quaeso oppidani negligi debebant? non omnes tamen e plebe admittebantur, quod iam adnotavimus (13), imo definitus erat plebejorum numerus: et apud Donium titulo subscriptum invenies, PANE · ET · VINO · SING · CCCC · XII · PER · GRAD · DIVIS · (14)

Vt hic Calendae Augustae dies Natalis sunt Collegii Dendrophororum, ita infra (15) dies, qui pridie nonas Novembres esset, *Natalis* dicitur collegii Aesculapii et Hygiae:

(1) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p. 301. et de Amphith. l. 2. c. 3.
(2) Inscr. 133.
(3) l. 94. D. de verb. signif.
(4) ad Vopisc. Aurel. c. 35.
(5) Ioseph. Ant. Iud. l. 19. c. 1.
(6) Codin. de offic. Aul. Const.
(7) v. inscr. 331.
(8) dissert. 13. p. 531.
(9) Svet. in Ner. c. 10. n. 4. Philo Legat. ad Cajum p. 1015.
(10) Svet. in Aug. c. 37. n. 1.
(11) l. 23. D. de ann. leg. et fidei com.
(12) Cl. 6. n. 22.
(13) v. inscr. 99.
(14) Cl. 9. n. 10.
(15) inscr. 329.

eo nempe modo, quo dies XI. Cal. Majas *Natalis Vrbis* nominabatur: atque hos dies ludis potissimum profusaque largitione celebratos, adnotum est.

CCLXXXI. (Murat. p. 485. n. 3.)

C · SENNIVS · C · F · VOL · (1) SABINVS · PRAEF · FABR ·
BALINEVM · CAMPVM · PORTICVS · AC · AQVAS · IVSQVE
EARVM · AQVARVM · TVBO · DVCENDARVM · ITA · VT · RECTE
PRAEFLVERE · POSSINT · VICANIS · ALBINNENSIBVS · D·S·D· (2)

Cajus Sennius, qui fortasse Albinnae rusticari solebat, quum ibi *Balineum*, id est, ut Varro docuit (3), privatam lavationem haberet; apud illud *Campum*, in quo juventus Romano more exerceri posset: porticibus circa hunc exstructis, sub quibus nullo solis incommodo spectare ludentes fas esset; item perductis aquarum rivis ad balnei usum et publica commoda maxime idoneis, omnia Vicanis Albinnensibus donavit.

Est autem Albinna, ubi lapis prodiit, Allobrogum vicus, cui magis nomen vetus, quam gloria manet: *Alby* nunc vocatur, Cellario ignotus.

CCLXXXII. (Fabr. p. 158. n. XXV.)

HVNC · LOCVM
VEDIA · TERTIA
T · FLAVIO
INIPHEO
DEDIT · DONAVIT
B · M · (4)

De loco ad sepulcrum Inipheo ipsi construendum dato sermonem hic esse, indicant extremae illae litterae B· M· quas mortuis tantum adscribi videmus.

§· III·

INDICES EORVM QVAE VENDITA AVT EMPTA SVNT

CCLXXXIII. (Fabr. p. 10. n. LI.)

C · AVILLIO · LESCHO
TI · CLAVDIVS · BVCCIO
COLVMBARIA · IIII · OLL · VIII · (5)
SE · VIVO · A · SOLO · AD
FASTIGIVM · MANCIPIO
DEDIT

(1) *Voltinia tribu*.
(2) *De Suo Dedit*.
(3) de L. L. l. 7. c. 25.
(4) *Bene Merenti*.
(5) *Ollas* 8.

Reinesium Fabrettus risit non immerito, putantem columbaria haec ad columbarum stationes pertinere. de his ac de ollis potissimum dixi ad inscr. CLXXV· quod autem a solo ad fastigium numeranda erant columbaria ab Avillio empta, apparet in eo conditorio alia praeterea fuisse ad latus, quae alium dominum haberent.

Mancipio dare hic est columbaria sic vendere, ut evictionem qui vendiderit, praestare debeat (1). quae porro mancipio data essent, eorum emptor non possessionem modo, sed etiam proprietatem nactus dicebatur (2).

CCLXXXIIII· (Reines. Cl. 7. n. 21.)

TI · CLAVDIO · PRIMIGENIO
COLVMBARIA · N · $\overline{\text{IIII}}$ ·
EMANCIPAVIT
T · FLAVIVS · CORINTHVS

Emancipare idem hic est ac *Mancipio dare*, sive e mancipio suo emittere, ut alter possideat, atque in mancipio habeat (3). itaque male Reinesius ad *locationem* trahebat, iure a Fabretto notatus (4). nec vero sepulcra locari unquam mos fuit: quippe illato mortuo locus fieri religiosus putabatur, et ad mortuum pertinere (5). quin etiam quaestionis erat, ut ait Vlpianus (6), ossa, quae ab alio illata essent, vel corpus, an liceret domino loci effodere vel eruere sine decreto pontificum seu jussu Principis. *et ait Labeo, expectandum seu permissum pontificale, seu jussionem Principis: alioquin injuriarum fore actionem adversus eum, qui ejecit.*

CCLXXXV· (Gorius Inscr. t. 1. p. 91. n. 28.)

IVLIA · MVSA
EMIT
SIBI · ET · SVIS

De loco ad commune sepulcrum empto Iuliam loqui, manifestum est, quia *Et Suis* addidit. haec enim, quod sepulcra saepe haeredem non sequerentur, adjicere mos fuit, si ad suos quoque spectare maluissent.

(1) Plaut. Curcul. act. 4. 2. 9.
(2) Grav. de Iur. nat. gent. n. 39.
(3) Svet. in Oth. c. 4. n. 3.
(4) Inscr. p. 48. H.
(5) l. 4. D. de relig. et sum. fun.
(6) l. 8. D. tit. eod.

CCLXXXVI. (Giorn. Pis. t. 3. p. 297. Marin. Iscr. Alb. p. 1.)

P · SERVILIO · L · ANTONIO · CoS · (1)
A · D · IIII · K · SEXT ·
LOCAVIT · Q · PEDIVS · Q · VRB ·
MVRVM · IVNONI · LVCINAE
HS · ↀↀↀIↃↃↃ · ↀↀↀIↃↃↃ · ↀↀↀIↃↃↃ · IↃↃↃ · ↀↀIↃↃ · ↀↀIↃↃ · ↀↀIↃↃ · (2)
EIDEMQVE · PROBAVIT

Prodiit inscriptio haec Romae sub Esquiliis apud aedes Virginum Paulanarum, ubi fortasse et lucus et templum et area fuit (3) Iunonis Lucinae, quae muro, ut arbitror, cingenda curavit Q. Pedius Quaestor Vrbanus. pro eo opere soluta sunt redemptoribus scutatorum nummorum novem millia et quingenti. hunc porro titulum Nardinus si videre potuisset, lucum Iunonis Lucinae, quem in ipsis Esquiliis, haesitans tamen, statuebat (4), facile, Ovidium sequutus (5), *Monte sub Esquilio* fuisse confessus esset. de notis numerorum libro tertio agetur.

(1) An. Varr. 713.
(2) *Sestert. num.* 380,000.
(3) Plin. H. N. l. 16. c. 44. n. 85.
(4) lib. 4. c. 3.
(5) Fast. l. 2. v. 435.

CAPVT V.

Specimen Ellogiorum, sive inscriptiones selectae ex iis, quibus praestantium virorum aut feminarum facta, honores, virtutes, laudes recensentur.

Quae hoc capite proferenda sunt praestantium virorum ac feminarum ellogia, singula prope Maffejo, nedum Muratorio, novitatis nomine suspecta esse video. nam quae ille in Appii Claudii et Q. Fabii ellogiis non probat, ea fere ceteris quoque cum illis communia sunt. primum scilicet Maffejo falsitatis indicium est vel maximum, in utraque inscriptione *nominandi casu, qui honore afficitur, praeire* (1): at ceterarum etiam, quae hoc capite sedem habent, una, opinor, exceptа, idem initium est omnium. deinde hoc illi offensioni est, quod in duobus illis ellogiis quaedam occurrant, quae veterum scriptorum nemo attigerit: id vero in reliquis etiam, si minus ex magna, at ex aliqua parte deprehendes.

Ceterum pace magistri dixerim, nisi forte veterum ellogiorum germanum exemplum exstare nullum putaverit, male omnino honorarios titulos cum ellogiis confudit. illi honoris monumentique auctorem, saepe et curatorem praeferunt: haec cient neminem. illi causam honoris fere omnes declarant: haec nullam indicant. illi denique vivis fere honoris ergo constituti putantur; haec mortuis memoriae caussa posita perhibentur. itaque nominandi potissimum casus in ellogiis optandus fuit, siquidem nulla in his dedicatio, nulla senatus aut civitatis aut magistratus mentio fieri debebat. quod autem nova quaedam, nec a scriptore ullo tradita memorare videntur, id si ellogia commentitia esse declarat; quid jam erit caussae, cur ullis inscriptionibus ad supplendam historiam utamur? ipsi etiam Livii ac Taciti, qui deperditi sunt, libri si prodeant, nisi quae a Dionysio Halicarnassensi, ab Appiano, a Dione tradita sunt, unice persequantur, contemnendi erunt: mihi quidem ea monumenta interdicto *Unde vi* in possessionem restitui posse videntur, nec diu argumenta esse quaerenda, quibus antiquitas eorum dignitasque adseratur.

Primum enim non parum valere debet, quod Gorius animadvertit (2), Fabii ellogium jam ab anno Christiano MCCCLXXXVI. Florentinis non ignotum fuisse: quippe qui Ioannis Acuti imagini, quam pictor Vecellius expresserat, Fabiani ellogii verbis subscripserunt, *Dux Aetatis Suae Cautissimus Et Rei Militaris Peritissimus Habitus Est*. illis nimirum temporibus, qui haec monumenta hoc stilo confingere possent, exstitisse, nemo credat, annos amplius centum quinquaginta, antequam prodirent ii, a

(1) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 3. p. 226. (2) Inscr. t. 2. p. 265.

quibus non pauca inscriptionum exempla vel magnis incisa lapidibus supposita fuisse, pro comperto est. adde nunc quae de ellogiis fere omnibus in prima hujus capitis parte collectis ad eundem Gorium diserte scripsit Gregorius Redius (1): *Fuit*, inquit, *etiam apud nos insignis quaedam et omni ornamentorum genere illustris Basilica, ubi celebriorum Romanorum statuas collocatas fuisse, vetusta quaedam inscriptionum collectio, quam manu scriptam habemus, diserte docet. in illarum basibus ea illustrium virorum honorifica ellogia erant, quae brevi verborum ambitu narrationem rerum praeclare a viris illis gestarum complecterentur. epigrammata haec a cacocriticis nescio quibus frustra in imposturae suspicionem revocata, hac illac modo dispersa sunt: quorum tamen nonnulla hodie supersunt partim e fundamentis antiquae arcis nostrae, partim ex aliis urbis ruderibus antiquitus effossa: quae quidem ipsa olim Arretii in Basilica fuisse, veteres manu scripti codices testantur.* porro hujusmodi συλλογας vidit legitque complures ipse Gorius Florentiae in bibliotheca Strozzia: alias item apud alios, quas inter Redianam charta bombycina, cum inscriptione (2),

VENECIIS · DIE · XV · AUG · MCCCCLXXIIII · ALEX · STRO · · · ·
SCRIP · ET · PINX ·

haec vero tantam habere auctoritatem mihi videntur, ut sine reprehensione repudiari non possint. itaque Maffejus ipse, si viveret, qua fuit semper humanitate, facile in Redii Goriique sententiam adduceretur.

Nolim tamen, qui ellogia haec antiqua et germana mecum censent, ad eam etiam aetatem omnia referenda putent, qua ipsi duces, quos laudant, floruerunt. aliquis utique ea etiam aetate ellogiorum usus fuit: nam *suorum clypeos*, inquit Plinius (3), *in sacro vel publico privatim dicare primus instituit, ut reperio, Ap. Claudius, qui Consul cum Servilio fuit anno urbis* CCLIX· *posuit enim in Bellonae aede majores suos, placuitque in excelso spectari, et titulos honorum legi.* sed nihil illi ad haec nostra exempla: neque Appii illius Claudii, neque ejus, qui Caecus appellatus est, aut Valerii, Metelli, Fabii temporibus, quum etiamtum olerent rura camoenae, quidquam tale extundi potuit. alius tum verborum fuit sonus, alia scriptio, alia prope forma litterarum. quamobrem nemo est, qui non, adulta jam Latina lingua, ea ellogia confecta credat: quidam etiam sub Trajano potissimum Principe illa omnia exstitisse arbitrantur (4): quum ante ea tempora, uti Plinius scribit (5), *omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coeperint, prorogarique memoria hominum et honores legendi aevo basibus inscribi, ne in sepulcris tantum legerentur.*

Equidem, si quid mihi etiam fari licet, ellogia ista paullo antiquiora esse suspicor, iterumque Trajani aliorumque Principum temporibus extra urbem insculpta, ac

(1) Gor. Inscr. t. 2. p. 224.
(2) Inscr. t. 2. p. 262.
(3) H. N. l. 35. c. 3. n. 3.
(4) Zaccar. Inst. Lap. l. 2. c. 5. n. 5.
(5) H. N. l. 34. c. 4. n. 9.

novarum statuarum basibus addita: at primum Romae scripta incisaque, non secus ac monumentum illud, quod Ancyranum vocamus: cujus exemplar indicem rerum a se gestarum quum ante mausoleum suum aeneis in tabulis incisum statui Augustus jussisset (1); descriptum deinde est, totidemque verbis Ancyrae, ac fortasse alibi in marmore insculptum, confirmat opinionem meam ipsa ellogiorum vicissitudo et dispersa collectio. quaedam enim Arimini visa et descripta, ut Fabianum et Marianum a Gabriele Symeonio (2): quae alii eodem exemplo Arretii in Basilica invenere. Fabii autem ellogium Florentiae etiam repertum (3). quare vix credibile puto, municipes hos aut illos ab alio municipio describere voluisse, quod in oppido suo statuis subscriberent: inscitiam enim suam profiteri, et aliis de scribendi elegantia concedere visi essent. contra vero Roma haec petere, et quae in urbe essent pulcherrima, domi singula imitari ac referre, gloriae sibi et laudi jure vertebant. Quid, quod ellogiorum istorum particulas quasdam Romae olim visas descriptasque, constat? nam Suetius quidem, si Grutero (4) credimus, Mariani ellogii aliquot versus litteris grandibus formosisque insculptos Romae ex vetustissimi lapidis fragmento descripsit, in aedibus Pomponii Lacti. Fabianum autem inter antiqua urbis epigrammata edidit Iacobus Mazochius (5): denique Metellinum ex his ipsis esse affirmavit Ianus Gruterus (6).

Quae quum ita sint, jam in eam sententiam perducor, ut non dubitem, quin ellogia haec et similia non pauca Romae ipsa Augusti aetate scripta atque incisa fuerint. argumento est ellogium C. Octavii: is enim *Pater Augusti*, non *Divi Augusti* nominatur: quam appellationem post ejus mortem nescio, an unquam veteres omiserint. stilus autem idem omnium et tanta similitudo, ut omnia una de caussa confecta esse, omnia ex eodem fluxisse fonte videantur.

Iamvero locum etiam, ni fallor, indicare licet, ubi ea prostabant: quem mihi demonstrare Svetonius videtur de Augusto sic scribens (7): *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. itaque et opera cujusque manentibus titulis restituit, et* statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu *dedicavit*. quo etiam pertinet Gellii locus (8): *statuam Corvino isti* (M. Valerio) *Divus Augustus in foro suo statuendam curavit*. titulos autem statuis hisce subscriptos esse, ex Plinio disce (9), qui de Scipione Aemiliano haec prodidit: *Aemilianum quoque Scipionem, Varro auctor est, donatum obsidionali in Africa Manilio Cos. tribus cohortibus servatis, totidemque ad servandas eas eductis: Quod et statuae ejus in foro suo Divus Augustus subscripsit:* cujus ego ellogii partem esse arbitror exemplum illud Gruterianum quod in foro repertum est e regione porticus Antonini et Faustinae: unde

(1) Svet. in Aug. c. 101. n. 7.
(2) in Epitaph. p. 72. ed. Lugd. 1558.
(3) Gor. Inscr. t. 2. p. 241. v. et Grut. p. 406. n. 7.
(4) p. 436. n. 2.
(5) p. 18.
(6) p. 377. n. 4.
(7) in Aug. c. 31. n. 7.
(8) N. A. l. 9. c. 11.
(9) H. N. l. 22. c. 6. n. 6.

et hoc discimus, Aemilium patrem et Scipionem filium e marmore expressos una in basi stetisse: est enim hujusmodi (1):

L · AEM · · IVS · L · F · PAVLLVS
CO · · · CENS · AVGVR
TR · · VMPHAVIT · TER

P · CORNELIVS · PAVLLI · F · SCIPIO
AFRICANVS · COS · II · CENS ·
AVGVR · TRIVMPHAVIT · II ·

atque illa fortasse monumenta indicare voluit Horatius, quum cecinit (2),

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus:

haec scilicet ad honorarias inscriptiones minus recte quis referat, quae ponebantur vivis, nec *vitam reddere* dici poterant. in iis vero titulis siue dubio res Augustus a singulis ducibus gestas complexus fuerat: quod a Lampridio didici, ubi de statuis scribens (3), quas Alexander Augustus Divis Imperatoribus in Nervae foro locaverat, adjecit, positas eas *cum titulis et columnis aereis, quae gestorum ordinem continerent exemplo Augusti, qui summorum virorum statuas in foro suo e marmore collocavit, additis gestis.* quin hoc ab Ovidio diserte jam traditum fuerat, qui, quum Martis templum descripsisset ab Augusto in foro suo dedicatum, et in templi foribus, Marte probante suspensa arma narrasset, quae Augustus de hostibus ceperat, adjecit etiam, quae Deus ille e templo suo prospiciebat (4):

Hinc videt Aenean oneratum pondere sacro,
Et tot Iuleae nobilitatis avos:
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem,
Claraque dispositis acta subesse viris.

ac eas sane statuas quum ideo statuisset Augustus, *ut illorum velut ad exemplar*, quemadmodum edicto professus est, *et ipse dum viveret, et insequentium aetatum Principes exigerentur a civibus;* non modo ellogia his erant subscribenda, sed etiam non alio plane stilo, quam quo et allatus Plinii locus indicat scripta esse, et ipsa exempla, quae afferam, confecta sunt. simplici enim oratione singulorum honores, res gestae, laudes, recte facta memorantur, quae nempe posteros ad aemulationem possent excitare. at de eo, qui haec monumenta posuisset, additum est nihil: ut inde etiam discere liceat, statuas omnes unius loci ornamento positas fuisse, cujus quidem in fronte communis titulus totius operis auctorem ediceret: quae sane in Augusti forum optime quadrare mihi videntur, quod Vellejus Paterculus (5) Hispaniarum aliarumque gentium ab Augusto devictarum titulis *praenitere* scripsit.

Nolo videri impudens: itaque de ellogiorum scriptore nihil affirmabo. at si quis ab Augusto ipso tot monimentorum auctore confecta putet, habebit, quibus judicium

(1) p. 298. n. 2.
(2) l. 4. od. 8. v. 13.
(3) in Alex. c. 28.
(4) Fast. l. 5. v. 563.
(5) lib. 2. c. 39.

suum defendat, argumenta non levia. alias sane inscriptiones ab Augusto conditas esse constat, de quibus dicendum mihi est sub initium libri secundi. eruditio autem ejus et orationis elegantia haud vulgaris fuit, quam Gellius neque morosam neque anxiam, sed facilem et simplicem fuisse scripsit (1). quin de eodem Svetonius, *Multa*, inquit (2), *varii generis prosa oratione composuit:* et alio loco (3), *Genus eloquendi secutus est elegans et temperatum, vitatis sententiarum ineptiis, atque inconcinnitate et reconditorum verborum, ut ipse dicit, foetoribus:* quibus verbis horum prope ellogiorum stilus et dictio designari videtur. alii tamen haec fortasse a Verrio Flacco confecta dixerint, sibique indicium hoc esse, quod is ab Augusto nepotibus praeceptor electus in Palatium transiverit, idemque fastos quosdam ordinarit (4). verum quicumque tandem eorum scriptor dicendus sit, illud meo quidem judicio negari non potest, nonnulla e libris annalibus ad eorum structuram esse desumpta. nam quod Tiferni prostat, et Gorius edidit (5), L. Dentati ellogium, nunc quidem mendosum, sed communi tamen cum reliquis, ut apparet, origine, e libris annalibus fluxisse ostendit Gellius (6), quae in his de L. Dentato scripta erant, iisdem prope verbis descripta referens, quod jam Plinius in historia sua fecerat (7). alterum porro fontem fuisse arbitror funebres laudationes, quas Tullius aetate sua vel antiquissimas exsistere et custodiri testatus est (8): quippe quae *familiae sua quasi ornamenta ac monimenta servabant et ad usum, si quis ejusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum, et ad illustrandam nobilitatem suam*. hinc vero in haec ellogia manasse quaedam, de quibus scriptores veteres siluerunt, non est profecto, cur miremur: quum Tullius idem hisce laudationibus historiam ipsam factam dixerit mendosiorem. *multa*, inquit, *scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et a plebe transitiones, quum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunderentur genus*.

Illud denique fatendum est, nonnulla fortasse ex ellogiis Romanorum ducum, quae descripsimus, non ad Augusti forum, sed ad domos privatas pertinere, aut certe ex iis descripta esse, quae in earum atriis sub majorum imaginibus legebantur: de quibus historici poëtaeque meminerunt (9). tum quaedam etiam e ceteris ad sequentem aetatem spectare, ducto ex iis exemplo, quae prima Augustus in foro suo proposuerat: cujusmodi Lucilio Longo positum dixerim, qui omnium Tiberio tristium laetorumque socius fuerat, unusque e senatoribus Rhodii secessus comes. huic nimirum, ut a Tacito accepimus (10), *quamquam novo homini, censorium funus*, effigiem apud forum Augusti *publica pecunia patres decrevere*. praeterea hoc quoque, si libet, non invitus dabo,

(1) N. A. l. 15. c. 7.
(2) in Aug. c. 85. n. 1.
(3) ibid. c. 86. n. 1.
(4) Svet. de Ill. Gramm. c. 17. n. 4.
(5) Inscr. t. 3. p. 292. n. 430.
(6) N. A. l. 2: c. 11.
(7) Lib. 7. c. 28. n. 29.
(8) de Cl. Orat. c. 16. n. 62.
(9) Polyb. l. 6. c. 51. Liv. l. 10. c. 3. n. 7. Tibull. l. 4. carm. 1. v. 30. Inven. Sat. 10. v. 57. Tacit. Ann. l. 16. c. 7.
(10) Ann. l. 4. c. 15.

e veterum ellogiis quaedam Romae alibi fortasse, quam in foro aut in atriis domorum exstitisse: quaedam etiam in ipsis municipiis confecta esse, nedum inscripta, ea praesertim, in quibus municipalium virorum laudes referantur.

Haec praefari opus erat, ne imprudentes commentitia tironibus exempla proponere videremur. titulos autem hujusmodi *Ellogia* cum Redio appellavi, quod hoc potissimum nomine appellatae sint inscriptiones hujus generis, quas majorum suorum imaginibus veteres subjiciebant (1). scripsi *Ellogium* duabus liquidis, scribamque semper, sequutus Graecos, qui Ελλογια efferunt: quod et Latini diu fecere, ut tradit Casaubonus (2), et eruditi viri non pauci adhuc faciunt, jam ab Hermolao Barbaro, qui Dausquio teste (3) nunquam aliter scribendum censuit: esto, alii aliud probent, quos inter Gifanius omnino *Elogium* una tantum L. scribi jubet (4). porro ellogiorum omnium, quae exstant vel integra vel mutila, quum una fere sit dictionis ratio, eaque plerumque simplex, nulla erit, quod ad dictionem pertinet, distributio. sed quia ellogiis ornatos video non solum magistratus, sed etiam privatos homines et feminas quasdam; tres faciam capitis hujus partes; atque in prima magistratuum, in altera hominum privatorum, in tertia feminarum ellogia describentur.

PARS I.

ELLOGIA MAGISTRATVVM

CCLXXXVII. (Gor. Inscr. t. 2. p. 235. n. 4.)

M' · VALERIVS
VOLVSI · F ·
MAXIMVS
DICTATOR · AVGVR · PRIMVS · QVAM
VLLVM · MAGISTRATVM · GERERET
DICTATOR · DICTVS · EST · TRIVMPHAVIT
DE · SABINIS · ET · MEDVLLINIS · PLEBEM
DE · SACRO · MONTE · DEDVXIT · GRATIAM
CVM · PATRIBVS · RECONCILIAVIT · FOE
NORE · GRAVI · POPVLVM · SENATVS · HOC
EIVS · REI · AVCTORE · LIBERAVIT · SELLAE
CVRVLIS · LOCVS · IPSI · POSTERISQVE
AD · MVRCIAE · SPECTANDI · CAVSSA · DATVS
EST · PRINCEPS · IN · SENATVM · SEMEL
LECTVS · EST

(1) Svet. in Galb. c. 3. n. 1.
(2) in Iul. Svet. n. 48. p. 75.
(3) Orthogr. p. 124.
(4) inter epist. Murat. l. 3. ep. 24.

Manium Valerium et dictatorum Romanorum primum fuisse, et dictaturam ante gessisse, quam ullum alium magistratum, Arretinus hic lapis testatur. scriptum in eo *Primus Quam*, ut apud Tullium *Postero die, quam illa erant acta* (1), hic *Post*, illic *Ante* suppresso. ceterum quis primum Romae dictator creatus sit, non satis constare, scripsit Livius (2); et apud veterrimos tamen auctores se T. Lartium invenisse. hunc contra M'. Valerium jamtum consularem virum appellat, dignumque, qui dictator fieret: quem denique, septennio post, dictatorem esse creatum refert (3) sedandae plebis caussa, quum aere alieno demersa, fidem publicam sibi non praestari quereretur, nec delectum habentibus consulibus nomina daret. tum et bellum Sabinis intulisse, ex eoque bello triumphasse. nihil tamen de Medullinis addidit Latino populo, quorum olim urbem munitionibus tutam praesidioque firmatam quum rex Ancus oppugnare non potuisset, ipsos acie vicit (4).

Plebem a Menenio Agrippa in urbem reductam tradit Livius (5): at Cicero auctor est, a M'. Valerio eas discordias esse sedatas; *eique ob eam rem honores amplissimos habitos, et eum primum ob eam ipsam caussam* Maximum *esse appellatum* (6). de foenore tamen nihil Cicero: Livius contra de nexis eum, confecto Sabino bello, ad senatum retulisse scribit, quid fieri placeret; sed ejus relationem esse rejectam (7). atque haec Livius quum scriberet, foro nempe Augusti jam dedicato, notare forsitan voluit ellogii hujus scriptorem, quicumque fuisset, quod res minus exploratas compertasque tamquam certas ac cognitas enunciasset.

De honoribus autem Valerii Livius idem, *super solitos*, inquit (8), *honores locus in circo ipsi posterisque ad spectaculum datus, sella in eo loco curulis posita:* qui locus apud aram Veneris Murciae fuit, de qua Plinius (9): *Ara vetus fuit Veneri Myrteae, quam nunc* Murciam *vocant:* eamque inter Palatinum et Aventinum fuisse, ab ipso Anco rege, nec dum condito circo maximo, Livius indicavit (10).

Peccatum in grammaticae leges putavit Maffejus (11), quod, ut hic Valerius, ita Fabius in ellogio suo dicatur *Princeps In Senatum*, non *In Senatu Lectus;* Livius enim scribere solet *In Senatu*. atqui non malus latinitatis auctor Tullius sic Clodium interrogat (12): *Vbi cavisti, ne meo me loco censor* In Senatum *legeret?*

(1) de Orat. l. 2. c. 3. n. 12.
(2) l. 2. c. 10. n. 18.
(3) l. 2. c. 15. n. 30.
(4) Liv. l. 1. c. 13. n. 35.
(5) l. 2. c. 17. n. 32.
(6) de Clar. Orat. c. 14. n. 54.
(7) l. 2. c. 16. n. 31.
(8) ibid.
(9) H. N. l. 15. c. 29. n. 35.
(10) l. 1. c. 13. n. 33.
(11) Maff. A. Cr. L. l. 3. c. 3. p. 226.
(12) pro Domo sua c. 31. n. 82.

CCLXXXVIII. (Gorius Inscr. t. 2. p. 237. n. 5.)

APPIVS · CLAVDIVS
C · F · CAECVS
CENSOR · COS · BIS · (1) DICT . INTERREX · III ·
PR · II · (2) AED · CVR · II · Q · (3) TR · MIL · III · COM
PLVRA · OPPIDA · DE · SAMNITIBVS · CEPIT
SABINORVM · ET · TVSCORVM · EXERCI
TVM · FVDIT · PACEM · FIERI · CVM · PYRRHO
REGE · PROHIBVIT · IN · CENSVRA · VIAM
APPIAM · STRAVIT · ET · AQVAM · IN
VRBEM · ADDVXIT · AEDEM · BELLONAE
FECIT

Quae Appius consul et collega ejus L. Volumnius in Samnites Etruscosque gesserint, singula persequitur Livius libri decimi capite duodecimo, tertioque decimo. sed de Sabinis ne mentionem quidem ab eo factam invenio. meminit tamen Plinius junior, sive ille, quicumque est, a quo librum habemus *de viris illustribus* (4). illud addit Livius, in ea pugna, quae cum Etruscis Samnitibusque commissa est, votum ab Appio Bellonae templum his, ut ferebatur, verbis: *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo:* votum autem ab eo solutum testatur in Fastis Ovidius (5):

Hac sacrata die Tusco Bellona duello
Dicitur, et Latio prospera semper adest.
Appius est auctor, Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine caecus erat.

De pace Pyrrhi dirempta, de aqua adducta, de via munita plerique Romanarum rerum scriptores memoriae aliquid tradiderunt. idem Appius senatum primus libertinorum filiis lectis inquinavit (6), id est, uti Svetonius explicat, iis, quorum parentes ingenui quidem erant, sed tamen ex his procreati, qui servitutem aliquando serviverant (7). ob eam rem Appium, quod omnibus exosus esset, caecitatem simulasse, domique mansisse, tradit Diodorus Siculus (8): sed veterum scriptorum religiosissimus Livius (9) eum memori Deûm ira luminibus captum scripsit, postquam eo auctore *Potitia gens, cujus ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, servos publicos, ministerii delegandi caussa, sollemnia ejus sacri docuerat.* haec porro ellogii scriptor consulto omisit, quum ea sibi una commemoranda intelligeret, quae acmulatione digna viderentur.

Quod magistratus quibusdam in ellogiis numerentur per adverbia a cardinalibus numeris orta, non, ut aliis in titulis, per ea, quae ab ordinalibus derivantur, atque cos· bis, non cos· ii· sive secundum aut iterum, scriptum sit; argumentum jam aliud nactus esse sibi videbatur Maffejus, quare ellogia haec tamquam supposita rejiceret, re-

(1) An. Varr. 447. et 458.
(2) *Praetor bis.*
(3) *Quaestor.*
(4) de App. Claud. n. 34.
(5) lib. 6. v. 201.
(6) Liv. l. 9. c. 34. n. 46.
(7) in Claud. c. 24. n. 4.
(8) l. 20. c. 36.
(9) lib. 9. c. 20. n. 29.

pudiaret. illud scilicet non animadverterat, quo haec loco legimus, ibi gestos tantum magistratus recenseri, minime vero quo quis magistratu hoc aut illud fecerit. id quidem significare quum voles, rectius dices, *Cos. iterum* aut *tertium fecit, dedicavit:* at si consulatus tantum numerare volueris, rectissime scribes *Cos. bis, ter,* ut toties consulem hunc aut illum fuisse declares.

CCLXXXVIIII. (Grut. p. 377. n. 4.)

L · CAECILIVS · L · F · METELLVS
PONT · MAX · COS · II · (1) DICTATOR · MAG · EQ ·
XV · VIR · AGRIS · DANDIS · QVI · PRIMVS
ELEPHANTOS · PRIMO · PVNICO · BELLO · DV
XIT · IN · TRIVMPHO · PRIMARIVS . BELLATOR
OPTIMVS · ORATOR · FORTISSIMVS · IMPERATOR
AVSPICIO · SVO · MAXIMAS · RES · GESSIT
MAXIMO · VSVS · HONORE · SVMMA · SAPIENTIA
MAXIMVS · SENATOR · PARTAM · EX · AEQVO
PECVNIAM · MAGNAM · SINGVLIS · LIBERIS · RELIQVIT
CLARISSIMVS · IN · CIVITATE · FVIT · TRIBVTVM · EI
VT · QVOTIES · IN · SENATVM · IRET · CVRRV
VEHERETVR · AD · CVRIAM · QVOD · A · CONDITO
AEVO · NVLLI · ALII · CONTIGIT

Gruterus, qui ellogium hoc ex libro inscriptionum antiquarum urbis se descripsisse testatur, ex Plinio (2) tamen putat esse desumptum. at mihi, ut id Plinio antiquius censeam, non leve argumentum est ipse Plinius, qui de L. Caecilio quae praedicat, ea se ex Q. Metelli filii oratione funebri decerpta in commentarios suos retulisse fateatur. nam si exstabat ante Plinium L. Caecilii laudatio, habebat jam ellogii scriptor, unde et res et verba, quae aptissima viderentur, sibi sumeret. nec vero novum est, in lapidibus aut in aereis tabulis ea legi, quae scriptores etiam vulgarunt. exemplo sit Senatus Consultum de Bacchanalibus ab Egizio illustratum, quod sic in historia sua retulit Livius (3), ut ex ejus verbis facile effingi potuerit: quum nemo tamen ejus monumenti antiquitatem in controversiam vocare ausus sit.

Hic ille est Metellus, qui orbam, ut Plinius ait (4), luminibus exegit senectam, amissis incendio, quum Palladium raperet ex aede Vestae. *tribuit,* inquit, *ei populus Romanus, quod numquam ulli alii ab condito aevo, ut quoties in senatum iret, curru veheretur ad curiam: magnum et sublime, sed pro oculis datum.* de hujus curru vide, si vacat, Schefferum (5).

(1) An. Varr. 503. et 507.
(2) H. N. l. 7. c. 43. n. 45.
(3) l. 39. c. 12. n. 18.
(4) ibid.
(5) de Re Vehic. l. 1. c. 18.

CCLXXXX. (Gor. Inscr. t. 2. p. 241. n. 6.)

Q · FABIVS
Q · F · MAXIMVS
DICTATOR · BIS · COS · $\overline{V}$ · (1) CEN
SOR · INTERREX · $\overline{II}$ · AED · CVR ·
Q · $\overline{II}$ · TR · MIL · $\overline{II}$ · PONTIFEX · AVGVR
PRIMO · CONSVLATV · LIGVRES · SVBE
GIT · EX · IIS · TRIVMPHAVIT · TERTIO · ET
QVARTO · HANNIBALEM · COMPLVRI
BVS · VICTORIS · FEROCEM · SVBSEQVEN
DO · COERCVIT · DICTATOR · MAGISTRO
EQVITVM · MINVCIO · QVOIVS · POPV
LVS · IMPERIVM · CVM · DICTATORIS
IMPERIO · AEQVAVERAT · ET · EXERCITVI
PROFLIGATO · SVBVENIT · ET · EO · NOMI
NE · AB · EXERCITV · MINVCIANO · PA
TER · APPELLATVS · EST · CONSVL · QVIN
TVM · TARENTVM · CEPIT · TRIVMPHA
VIT · DVX · AETATIS · SVAE · CAVTISSI
MVS · ET · REI · MILITARIS · PERITISSIMVS
HABITVS · EST · PRINCEPS · IN · SENATVM
DVOBVS · LVSTRIS · LECTVS · EST

Praenomen ac nomen in lapide, qui nunc Florentiae est, non legitur: vel quia non integer lapis, vel quia in summa corona aut in statuae plintho incisa fuerant.

Fabios, uti et Claudios, inter patricios numerato. Interregem enim et ipsum patricium esse et a patricio, ut ait Tullius (2), prodi necesse erat.

Secundus Fabii Cunctatoris consulatus, quem cum Sp. Carvilio gessit, res ellogio dignas complexus non videtur. reliquorum consilia et facta vide sis apud Livium (3), qui ejus quoque dictaturam adscribit (4). ex hoc ellogio multa olim sumpsit Franciscus Barbarus, ut Erasmo Gathamelatae duci clarissimo titulum conficeret.

(1) An. Varr. 521. 526. 539. 540. 545.
(2) pro Domo sua c. 14. n. 38.
(3) a lib. 23. ad 28.
(4) l. 22. c. 8. u. 11. etc.

CCLXXXXI· (Grut. p. 436. n. 3. Gor. Inscr. t. 2. p. 248. n. 8.)

C · MARIVS · C · F · COS · VII · (1) PR ·
TR · PL · Q · AVG · TR · MILITVM · EX
TRA · SORTEM · BELLVM · CVM · IVGVR
THA · REGE · NVMIDIAE · COS · GESSIT
EVM · CEPIT · ET · TRIVMPHANS · IN
SECVNDO · CONSVLATV · ANTE · CVR
RVM · SVVM · DVCI · IVSSIT · TERTIVM
COS · APSENS · CREATVS · ET · IIII · COS ·
TEVTONORVM · EXERCITVM · DELEVIT
V · COS · CIMBROS · FVDIT · EX · IIS · ET
TEVTONIS · ITERVM · TRIVMPHAVIT
REMPVBLIC · TVRBATAM · SEDITI
ONIBVS · TR · TR · PL · ET · PRAET · (2) QVI
ARMATI · CAPITOLIVM · OCCVPAVERANT
VI · COS · VINDICAVIT · POST · LXX · ANNVM
PATRIA · PER · ARMA · CIVILIA · EXPVLSVS
ARMIS · RESTITVTVS · VII · COS · FACTVS
EST·DE·MANVBIIS·CIMBRICIS·ET·TEVTONICIS
AEDEM · HONORI · ET · VIRTVTI · VICTOR
FECIT · VESTE · TRIVMPHALI · CALCEIS
PATRICIIS · · · · · ·

De rebus a C. Mario gestis Graeci passim Latinique scriptores meminere. multa autem paucis comprehensa apud Vellejum (3) ac Florum invenies (4).

Aedem Honori et Virtuti *Victor* fecisse Marius dicitur, id est post victoriam Cimbricam, voto forsitan, ut mos erat, in ipsa pugna suscepto. eam aedem ne putes esse, quam Tullius memorat, bello Ligustico a Q. Maximo dedicatam, multisque post annis renovatam a M. Marcello (5): quum hic tamen a Livio *aedem* Honori et Virtuti bello Gallico vovisse dicatur (6). Marianam Vitruvius (7) a C. Mucio architecto, non restitutam sed a solo factam nos docet, eamque appellat *Ad Mariana Honoris Et Virtutis*, quod ibidem, opinor, etiam Tropaea Marii essent. ea sine postico fuit, sed legitimis artis institutis perfecta: quae si marmorea fuisset, atque ut ab arte subtilitatem habebat, sic ab magnificentia et impensis auctoritatem habuisset; *in primis*, inquit idem (8), *et summis operibus nominaretur*.

Quaeres quid sibi illa velint *Veste Triumphali, Calceis Patriciis*. Gorii opinio fuit, id lege lata tributum esse Mario, quod deinde Pompejo datum est. de hoc nempe scripsit Vellejus (9): *T. Ampius et T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt, ut*

(1) An. Varr. 647. 650. 651. 652. 653. 654. 668.
(2) *Tribunorum Plebis et Praetorum.*
(3) l. 2. c. 11.
(4) l. 3. c. 1. 3. et 21.
(5) de nat. Deor. l. 2. c. 23. n. 61.
(6) lib. 27. c. 25. n. 25.
(7) lib. 3. c. 1.
(8) lib. 7. in praef.
(9) lib. 2. c. 40.

ludis Circensibus corona aurea et omni cultu triumphantium uteretur, scenicis autem praetexta coronaque aurea. (Bulengerus *Laurea* legendum censet, non *aurea*, quod Dio *coronam lauream* Pompejo decretam tradiderit (1)). quin triumphali item veste ut ludis Circensibus uteretur, jam L. Aemilio Paullo Macedonico a senatu populoque concessum fuerat (2): et Papirius Musso, ut a L. Pisone accepit Plinius (3), postquam de Corsis in monte Albano triumphasset, myrto coronatus ludos Circenses spectaverat. quare idem Gorio libens assentiar de Mario, siquidem aliquid in fine ellogii desiderari concedat; nec Marius dicatur eadem fecisse veste triumphali calceis patriciis, quod ridiculum est. puto autem adscriptum deinceps fuisse *Permissu Populi omnibus Ludis Vsus Est*, aut his similia: ut quod in Livii Breviario, cujus auctor creditur Florus (4), diserte scriptum est, *Marius Triumphali Veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat.* Gruterus certe in exemplo suo aliquid deesse, non obscure significavit. in Arretino item Redii fracturae indicium apparet, quamquam suppletum antiquitus videtur quod deerat marmoris, quippe in adjecto fragmento adscriptum legebatur *Multatius M. F.* vel potius *M. Vlatius M. F.* nam ita est in lapide Arretino, qui adhuc exstat, quum jam Marianum marmor perierit. ineptus ille Vlatius nomen suum subscribere voluit, quod Marii statuam vel ipse restituerat, vel restituendam curaverat.

At inquies, quid sunt *Calcei Patricii*, ut Symeonius (5) etiam Arimini legit, vel, ut habet Gruterus, *Calcei Punicei?* utraque appellatione calceos significari puto, qui *Mullei* dicti sunt, coloris purpurei seu punicei, quibus patricii utebantur, quicumque curulem magistratum cepissent (6), quum ceteri nigros haberent (7). eos autem Tyrrhenis persimiles fuisse, plane ostendit Salmasius (8). de his tamen illi ne credas loqui Dionem (9), ubi scripsit Iulium Caesarem usum esse interdum ὑποδέσει ὑψηλῃ καὶ ἐρυθροχροῳ, sive calceamentis altioribus et coloris rubri, more regum, qui Albae quondam regnarunt. quum Caesar patricius esset, mirum ne videri poterat, aut memoria digna res erat, calceis eum patriciis aliquando usum? illud potius ex Dionis loco discere licet, calceos patriciorum, ut colore similes, ita forma minores fuisse, quam regios, quos sibi Caesar assumpsit.

(1) l. 37. p. 126. C.
(2) Plin. de vir. illust. n. 56.
(3) H. N. l. 15. c. 29. n. 38.
(4) lib. 67.
(5) in Epitaph. p. 72.
(6) Fest. ex Cat. V. Mulleus.
(7) Horat. l. 1. Sat. 6. v. 27.
(8) ad Vopisc. Aurel. c. 49.
(9) l. 43. p. 370. E.

CCLXXXXII. (Gor. Inscr. t. 2. p. 255. n. 9.)

L · LICINIVS · L · F ·
LVCVLLVS
COS · (1) PR · AED · CVR · Q ·
TR · MILITVM · AVG ·
TRIVMPHAVIT · DE · REGE
PONTI · MITRIDATE
ET · DE · REGE · ARMENIAE · TI
GRANE · MAGNIS · VTRIVSQVE
REGIS · COPIIS
COMPLVRIBVS · PROELIIS · TERRA
MARIQVE · SVPERATIS
CONLEGAM · SVVM · PVLSVM · A
REGE · MITRIDATE
CVM · SE · IS · CALCHADONA · CON
TVLISSET · OBSIDIONE · LI
BERAVIT····

Merda quaedam in Arretinum exemplum irrepsisse vides, quae in marmore Romano fuisse nemo putet: ut *Mitridate* pro *Mithridate*, quamquam et in vetere plebiscito (2) sine aspiratione scriptum est non semel: *Calchadona* pro *Calcedona* aut *Chalcadona*, nam Latini etiam Dorico more A interdum pro Graeco H usurparunt.

Addo, ipsum ellogium sine dubio mutilum esse. equidem adduci non possum, ut credam, nec Cyzicenorum mentionem esse factam, quos Lucullus ex omni impetu regio, ut ait Tullius (3), ac totius belli ore ac faucibus eripuit: nec quidquam adscriptum aut de Sertoriana classe depressa, aut de Ponto Romanis legionibus patefacto, aut de ceteris rebus, quae omnia Tullius item, pro lege Manilia agens, magnifice laudavit (4), et in oratione pro Murena iterum protulit (5).

Luculli collega in consulatu fuit M. Aurelius Cotta, dux, ut ait Appianus (6), ασθενης τα πολεμια παμπαν. hic e Bithynia, cui praeerat, pulsus a Mithridate, Chalcedonem profugerat.

CCLXXXXIII. (Grut. p. 225. n. 7.)

C · OCTAVIVS · C · F · C · N · C · PRON ·
PATER · AVGVSTI
TRIB · MIL · BIS · Q · AEDILIS · PL · CVM · C · TORANIO
IVDEX · QVAESTIONVM · PR · PRO · COS ·
IMPERATOR · APPELLATVS · EX · PROVINCIA
MACEDONIA

(1) Ann. Varr. 680.
(2) Grut. p. 500. et 501.
(3) pro Arch. c. 9. n. 21.
(4) c. 8. n. 20. etc.
(5) c. 15. n. 33.
(6) de bell. Mithr. p. 218. D.

De C. Octavio patre naturali C. Caesaris Octaviani, quem C. Iulius Caesar adoptavit, illa sunt apud Tullium (1), contra Antonium: *Ignobilitatem objicit C. Caesaris filio, cujus etiam naturalis pater, si vita suppeditasset, consul factus esset.* ac gens quidem Octavia, si Svetonio fides, jam a Tarquinio Prisco in senatum allecta, mox a Servio Tullio in patricias gentes transducta fuerat. sed procedente tempore ad plebem se contulerat (2): manebatque etiamtum sub Iulio Caesare, quum C. Octavius Aedilis plebis factus sit: sed per illum tandem in patriciatum rediit.

C. Toranium Octavius moriens tutorem instituit filii orbitati: qui tamen, ut narrat Svetonius (3), *tutorem suum, eundemque collegam patris sui Octavii in aedilitate,* jam triumvir proscribere non dubitavit.

Iudex Quaestionum is fuisse putatur, qui et *Quaesitor* dictus, quippe ceterorum judicum princeps datam a Praetore actionem exercebat, judices sorticbatur. audiebat testes, quaestiones habebat, tabulas inspiciebat. verum haec judex quaestionis obibat, si Praetor abesset; nam si aderat, non quaerebat, sed judicabat: quod jam a Ferratio (4) declaratum est. addit Sigonius (5), inter minores magistratus hunc quoque numerandum: qua in sententia est etiam Noodtius (6). existimant autem eo munere functos esse, qui Aedilcs jam fuissent, antequam praeturam gererent. quamquam vero opinionem eorum marmor hoc confirmare videtur, adversatur tamen aperte Tullii locus (7), ubi C. Iunium Iudicem Quaestionum in caussa Oppianici eo ipso anno condemnatum dicit, quo Iudex Quaestionum erat: quis enim nescit, qui in magistratu essent, in judicium vocari non potuisse?

Proconsul erat, qui ad provinciam administrandam cum potestate consulari mittebatur, sive is consul sive praetor tantum fuisset. itaque et C. Octavius *Proconsul*, et Q. Ciceronis provincia *Proconsulatus* appellatur, quum neuter consulatum gessisset: quia nimirum consulari potestate senatus eos ornandos censuerat. porro Proconsulibus duodecim lictores apparebant, sex tantum Praetoribus: et illorum major, quam horum, exercitus, cohors, provincia. denique lege Iulia praetoriae quidem provinciae non plus quam annum, at consulares biennium obtinebantur (8). quum ante Caesarem utraeque lege Cornelia, donec successor mitteretur (9). ut autem quidam post praeturam Proconsules facti, sic alii post consulatum Praetores: ex his fuere C. Caesar Galliae, Rupilius Siciliae Praetor (10).

De C. Octavii proconsulatu ejusque rebus gestis, ob quas etiam Imperator veteri more ab exercitu appellatus est, haec Svetonius (11) memoriae prodidit. *Ex praetura,* quam nempe Romae gesserat, *Macedoniam sortitus, fugitivos, residuam Spartaci et Catilinae manum, Thurinum agrum tenentes in itinere delevit. provinciae praefuit non minore justitia, quam fortitudine. namque Bessis ac Thracibus magno proelio fusis, ita socios tractavit, ut epistolae M. Tullii Ciceronis exstent* (12), *quibus Q. Fratrem eodem tempore parum secunda fama proconsulatum Asiae administrantem hortatur et monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.*

Non praetermittam hoc loco, ad dexteram ejus lapidis, unde ellogium Octavii descriptum est, alterius ellogii verba manere aliquot, ut tituli statuarum duarum uno in lapide incisi primitus videantur: Octavii, opinor, et C. Caesaris, quorum alterum na-

(1) Phil. 3. c. 6. n. 15.
(2) in Aug. c. 2. n. 1.
(3) ibid. c. 27. n. 2.
(4) lib. 1. epist. 4.
(5) de judic. l. 2. c. 5.
(6) de Iurisd. l. 2. c. 5.
(7) pro Cluent. c. 33. n. 89.
(8) Cic. Philipp. 1. c. 8. n. 19.
(9) Ferrat. l. 3. epist. 14.
(10) Gruch. de Com. l. 2. c. 1.
(11) in Aug. c. 3. n. 3.
(12) ad Q. Fr. l. 1. ep. 1. n. 7. et ep. 2. n. 2.

tura, alterum adoptione parentem habuerat Augustus. utrumque ab eo junctum, ut credam, faciunt maxime ipsa inscriptionis illius verba, quae sunt hujusmodi CAESAR · · · · I · · · · IC · Q · PR · · · · COS · IN · ASIA non aliter deinde in Trajani nummo et Nerva et Trajanus pater effictus est (1). quin idem Augustus in foro suo, uti jam adnotavimus, Aemilium Paullum et Scipionem Africanum, patrem et filium, eadem in basi statuerat.

CCLXXXXIIII· (Montfauc. t. 5. p. 128. Grut. p. 439. n. 8.)

L · MVNATIVS · L · F · L · N · L · P · PLANCVS
COS · (2) CENS · IMP · ITER · VII · VIR
EPVL · TRIVMPH · EX · RHAETIS · AEDEM
SATVRNI · FECIT · DE · MANVBIIS
AGROS · DIVISIT · IN · ITALIA · BENE
VENTI · IN · GALLIA · COLONIAS · DE
DVXIT · LVGDVNVM · ET · RAVRICAM

Hic ille est Munatius, cujus sententia C. Caesar Divi filius *Augustus* est appellatus (3). hujus quoque statuam inter ceteros Romanos duces ab Augusto in foro suo collocatam esse, ipsa ellogii forma indicare videtur, quae reliquorum structuram imitatur. si autem ellogium hoc Romae in foro fuit, exemplum ejus est, quod Cajetae adhuc visitur in Planci Mausoleo. Maffejus (4), durus nimium ac suspiciosus, vix fidem habet Augustinio et Lipsio ceterisque, qui antiquam inscriptionem putarunt: de qua tamen non dubitasset, si oculis illic legisset suis.

Consul fuit Munatius cum M. Aemilio Lepido, quo anno natus est Tiberius (5). idem cum Paullo Aemilio censuram gessit, quae ultima a privatis acta est (6), anno Varr. DCCXXXII· triumphavit ex Raetis anno DCCXVI· IV· KAL· IAN·

Augusti hortatu, ut ait Svetonius (7), multa a multis in urbe exstructa sunt, *sicut a Marcio Philippo aedes Herculis Musarum, a L. Cornificio aedes Dianae, ab Asinio Pollione atrium libertatis, a Munatio Planco aedes Saturni, a Cornelio Balbo theatrum, a Statilio Tauro amphitheatrum, a M. vero Agrippa complura et egregia*.

De anno, quo agri Beneventani a Munatio legionariis, ut reor, militibus divisi sunt, Vita erudite disputavit (8). quum autem ante agri Beneventi divisi dicantur, quam coloniae in Gallia deductae; hasque deductas constet anno Varr. DCCXI· quo Munatius proconsulatum in Gallia administrabat: propterea ante annum hunc, Iulio Caesare auctore, coloniam militarem Beneventum deductam merito statuebat. idem adversus Petavium Lugdunum a Munatio conditum negat, auctum fatetur: quod etiam Dio, ni fallor, indicavit, qui ante coloniae deductionem Λουγουδουνον ονομασθεν, sive *Lugdunum jam appellatum* aperte scripserit (9).

Rauricam Gruterus, *Rauricum* legit Vita. porro Rauraci a Caesare (10) Helvetiis finitimi dicuntur: eorumque urbs primaria a Plinio (11) Rauricum, quae ab aliis Augusta Rauracorum. vicum nunc esse affirmat Cellarius (12) prope Basileam.

(1) v. inscr. 382.
(2) Ann. Varr. 712.
(3) Svet. in Aug. c. 7. n. 4.
(4) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p. 339.
(5) Svet. in Tib. c. 5. n. 2.
(6) Dio l. 54. p. 730. D.
(7) in Aug. c. 29. n. 13.
(8) Ant. Ben. t. 1. p. 35.
(9) l. 46. p. 486. E.
(10) B. G. l. 1. c. 3. n. 5.
(11) H. N. l. 4. c. 12. n. 24.
(12) in adn. ad Com. Caes. l. c.

PARS II·

ELLOGIA HOMINVM PRIVATORVM

CCLXXXXV· (Castell. Sicil. Inscr. Cl. 9. n. 5. Grut. p. 373. n. 4.)

L · BAEBIVS · L · F ·
GAL · (1) IVNCINVS
PRAÉF · FABR · PRAÉF ·
COH · IIII · RAETORVM
TRIB · MILIT · LEG · XXII ·
DEIOTARIÁNAE
PRAÉF · ÁLAE · ASTYRVM
PRAÉF · VEHICVLÓRVM
IVRIDICVS · AÉGYPTI

Nullis quidem magistratibus in urbe Baebius functus est; sed tamen extra urbem imperia idem et jurisdictionem attigit. quare apud municipes suos magni habitus, statuam inter claros viros honoremque ellogii meruit. id Messanae repertum est, servantque adhuc Mamertini una cum aliis inscriptionibus, quae ejusdem Baebii nomen honoresque referunt. num eodem ille honore in urbe etiam affectus fuerit, ignotum est: in qua tamen nobilibus viris, qui ordines duxissent, siquidem in acie desiderati essent, aut belli tempore vitam amisissent, statuas positas esse scimus: cujusmodi M. Aurelius Aug. in foro Vlpio collocavit iis omnibus, qui potissimum bello Marcomannico interierant (2).

Legiones Dejotarianas memorat binas Hirtius (3), quas rex Dejotarus in Armenia minore, in qua regnabat, disciplina atque armatura Romana complures annos constitutas habebat. ceterum magna eorum militum pars in ea pugna cecidit, quae a Domitio Calvino cum Pharnace Ponti rege pugnata est (4). verum eas subinde legiones suppletas et ipsi regi Dejotaro superstites fuisse, inscriptio haec ostendere videtur.

Asturia regio Hispaniae Tarraconensis, populi *Astures* et *Astyres* appellati (5). inde Asturcones equi magno a Romanis in pretio habiti, quod iis nec vulgaris in cursu gradus esset, et mollis alterno crurum explicatu glomeratio (6). quod autem Astyrum alae Baebius post tribunatum praefuerit, ante Claudium floruisse videtur, quum ex Augusti praescripto ante tribunatus, quam alae praefectura daretur: quod demum Claudius immutavit, ut supra exposui (7).

De Praefecto Vehiculorum nihil habet, qui tam multa de re vehiculari scripsit,

(1) *Galeria tribu*.
(2) Capit. in M. Aur. c. 22.
(3) Bell. Alex. c. 11. n. 34.
(4) idem ib. c. 12. n. 40.
(5) Plin. H. N. l. 4. c. 20. n. 34.
(6) id. ib. l. 8. c. 42. n. 67.
(7) ad inscr. 140.

Schefferus. eo nomine designari puto, qui vehicula a provincialibus in expeditionibus Imperatorum exigebat (1), et impedimenta castrorum convehenda curabat: quem Praefecto Castrorum paruisse, verisimile est.

Ipsum Aegypti Praefectum Augustalem Eutropius *Iudicem* appellat (2), qui sane praefecturam, ut ait Vlpianus (3), et imperium ad similitudinem proconsulis habebat, unus ex equestri semper ordine delectus (4). sed tamen juris dicendi caussa in eam provinciam praeter Praefectum *Iuridicus* mittebatur, quem Strabo (5) Δικαιοδοτην vocat, et a Praefecto distinguit: ita ut hic regis loco esset, eidemque subessent primum Iuridicus, deinde Procurator Caesaris, quem Ιδιον λογον appellat, tum Caesaris liberti et administri sive Οικονομοι: Augustorum enim ea provincia semper fuit. hi omnes Alexandriae fere degebant, in eaque urbe pro Duumviris etiam ac pro Decurionibus erant. Augustus enim τοις Αλεξανδρευσιν, ut ait Dio (6), ανευ βουλευτων πολιτευεσθαι εκελευσε· τοσαυτην γουν νεωτεροποιιαν αυτων κατεγνω. primus autem Severus Aug. jus Bulentarum Alexandrinis dedit, *qui sine publico consilio*, inquit Spartianus (7), *ita, ut sub regibus, ante vivebant, uno judice contenti, quem Caesar dedisset.*

CCLXXXXVI. (Grut. p. 358. n. 2.)

L · ANTONIVS · L · F ·
FAB · QVADRA
TVS · DONATVS
TORQVIBVS · ET
ARMILLIS · AB
TI · CAESARE · BIS

LEG · XX ·

Prostat lapis Brixiae in foro: quo loco, ut hic apud municipes meos, sic apud alios monumenta ejusmodi Romano more excitabantur. infra titulum anaglypta sunt; quae armillas referunt et ipsas, ut arbitror, torques. medium autem eminet militare signum, cujus contus scutulis ornatur quinque. signum cohortis esse existimo, non legionis; caret enim aquila: quo significatur, Quadratum in Legione vicesima ordines duxisse. clypeola vero illa, quae in signis militaribus videmus, donaria fuisse, indicat Herodianus (8) signa sic describens, Επιμηκη οντα, και χρυσοις αναθημασι πολλοις κεκοσμημενα. nam ea tamquam sacra ut adorare (9), sic ornare mos erat (10). de iisdem anaglyptis commenta sunt quaedam apud Pierium Valerianum (11), quae tanti non sunt, ut describantur.

(1) Plin. in panegyr. c. 20. Donat. Suppl. Murat. p. 86. n. 2.
(2) l. 7. c. 7.
(3) l. unic. D. de offic. praef. Aug.
(4) Tacit. Ann. l. 12. c. 60. Dio l. 53. p. 704. C.
(5) l. 17. p. 797. D.
(6) l. 51. p. 648. B. *Alexandrinos sine senatoribus rempublicam administrare jussit: adeo in his studium rerum novarum damnavit.*
(7) in Sev. c. 17.
(8) l. 4. c. 7. *quae oblonga sunt multisque aureis ornata donariis.*
(9) Svet. in Cajo c. 14. n. 5.
(10) idem in Claud. c. 13. n. 5.
(11) Hieroglyph. l. 41. c. 6.

CCLXXXXVII. (Grut. p. 367. n. 5.)

P · ATILII
P · F · OVF · (1)
SEPTICIANI
GRAMMAT · LATINI
CVI · ORD · COMENS ·
ORNAMENTA
DECVR · (2) DECREVIT
QVI · VNIVERSAM
SVBSTANTIAM
SVAM · AD · REMPVB ·
PERTINERE · VOLVIT

Quum ellogium hoc a patrio casu incipiat, suspicari quis posset, pro epitaphio fuisse, et commune ceteris initium deesse, nempe *Diis Manibus*. sed quia epitaphii nullae sunt notae, ideo fortasse a patrio casu incipere dixerim, quod recto *Simulacrum* intelligendum videretur, nec probarent Grammatici Septiciani ceterorum ellogiorum initia, quae ipsas statuas mortuorum nominibus designant.

Iamvero Grammaticos Latinos etiam ante Augustum in provinciis quoque docuisse, ac potissimum in Gallia togata, testatur Svetonius (3). Comum tamen aetate Plinii junioris nondum praeceptores inducti fuerant, puerique Mediolanum fere studiorum caussa mittebantur (4). primus ipse Plinius municipes suos excitavit, ut ludum litterarium in patria sua aperiendum curarent; pollicitusque est benigne ac liberaliter, tertiam se partem ejus daturum, quod ipsis conferre placuisset. qua de re scripsit deinde ad Cornelium Tacitum, ut circumspiceret praeceptores, quos sollicitare possent. hic autem Septicianus primus fortasse fuit, qui Plinii hortatu Comum docendi caussa se contulerit, ibique diu, magna apud decuriones gratia, professus sit. nam ad eum pertinere videtur Martialis epigramma, quem aequalem Plinii fuisse constat (5):

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum,
Et quasi perfectum, Septiciane, refers.
Omnia legisti: credo, scio, gaudeo, verum est:
Perlegi libros sic ego quinque tuos.

non minus autem Comenses Septiciano ob puerorum institutionem grati fuere, quam ob benevolentiam Septicianus Comensibus. illi hunc ornamentis decurionalibus ornaverunt: hic illos ex asse haeredes instituit. ultimus honorum statua ei cum ellogio posita: pro quo referre gratiam non potuit.

(1) *Oufentina tribu*.
(2) *Decurionalia*.
(3) de ill. Gramm. c. 3. n. 4.
(4) Plin. l. 4. epist. 13.
(5) lib. 11. epigr. 108.

CCLXXXXVIII· (Grut. p. 439. n. 2.)

Q · MINVCIVS · Q · L · ANTEROS · VI · VIR ·
AVGVSTAL ·
HIC · SEVIRIS · AVGVSTAL · ALETRINAT ·
LEGAVIT · HS · CCIↃↃ · QVOIVS · EX · REDITV
QVOD · ANNIS · NATALI · SVO · VI · ID ·
FEB · VESCERENTVR

Aletrium, quod et Alatrium, oppidum Hernicorum. Cicero Municipium appellat (1), Frontinus Coloniam (2): vere uterque, hic quod eo cives e plebe Romana deducti transcriptique essent: ille quod civitas Romana ipsis Aletrinatibus data esset.

Dixi ad inscr. CXXI· in designanda pecuniae summa, si sestertii nummi ad duo millia numero aut plura essent, litteram N. modo additam esse, modo omissam, quod facile quisque intelligeret, de nummis sestertiis agi. quare hoc loco scutatos nummos ducentos quinquaginta enunciari puto, nihil amplius; itaque legendum esse *Sestertiûm decem millia nummûm*, non *Centies centena millia*. ceterum ob ipsam pecuniae vim haud repugnarem, si cui homo libertinus legasse videretur sestertiûm Centies, sive scutatorum nummorum ducenta quinquaginta millia, e cujus summae reditu, usuris centesimis epulum instrui potuisset quotannis, impensa omnino magna, scutatorum scilicet nummorum quindecim millibus. quot enim libertos e sanguine Quiritium, ut ait Plinius (3), et proscriptionum licentia ditatos Roma vidit? Demetrium Pompeii, Pallantem Claudii Caesaris libertos vix ditissimi patriciorum aequarunt, nedum hic Minucius. convivia vero quam lauta olim, quantoque sumptu fierent, historicorum plerique narrant. vel jentaculi apparatum, quo amici accipiebant Vitellium, non cuiquam minus quadringenis millibus nummûm constitisse, scribit Svetonius (4). Augustalium porro Sevirûm sollemne epulum, num instar fuerit cenarum Pontificum, quas laudat Horatius (5), quis dubitet? collegiorum cenas memorat Varro (6) quae, ut ipse ait, *excandefaciebant annonam macelli*.

Enimvero nec semper pecuniam tam grandi foenore cui darent, invenire poterant; nec si invenissent, opus erat, ut Seviri illi, quam exegissent, totam convivando absumerent: ut neque olim Themistocli, cui Artaxerxes Magnesiam donaverat, *quae ei panem praeberet*, Lampsacum, *unde vinum sumeret*, Myuntem, *ex qua opsonium haberet* (7). celebratur autem in ellogio Minucii munificentia, qui eam Seviris Augustalibus pecuniam reliquerit, nulla illis lege imposita; nec alio titulo, quam ut natali suo vescerentur.

(1) pro Cluent. c. 16. n. 46.
(2) de Colon. p. 102. ed. Goes.
(3) H. N. l. 35. c. 18. n. 58.
(4) in Vitell. c. 13. n. 2.
(5) l. 2. od. 14. v. ult.
(6) de R. R. l. 3. c. 2.
(7) Corn. Nep. in Them. n. 10.

CCLXXXXVIIII. (Grut. p. 331. n. 6.)

M · VLPIVS · AVG · L · APOLAVSTVS
MAXIMVS · PANTOMIMORVM
CORONATVS · ADVERSVS · HISTRIONES
ET · OMNES · SCENICOS
ARTIFICES · XII · (1)

Scenicis quoque artificibus ad theatrum, uti et aurigis ad circum, statuas olim positas constat (2). quae vero in earum basibus ellogia scriberentur, hinc discas, licet. morem hunc Romani a Graecis acceperant. Olympiae potissimum omnium, qui vicissent, statuas dicari, mos fuerat (3).

Magno autem in pretio Apolaustum hunc fuisse, non leve indicium dixerim, quod L. Verus Agrippam Memphium histrionem, quem e Syria veluti tropaeum Parthicum adduxerat, *Apolaustum* nominarit (4): quemadmodum alii a Pylade et Bathyllo pantomimorum principibus *Pyladae* et *Bathylli* appellati fuerant (5). sed quo Imperatore Apolaustus Trajani libertus certaverit coronatusque sit, demonstrari haud facile potest. sub Trajano tamen id ne credam fuisse, Plinii suadet auctoritas ipsum Trajanum laudantis, quod Pantomimos sustulisset (6): quos sustulisse dicendus est ante quam in agone Capitolino certare possent. nam et Trajanus imperium suscepit post lustrum quartum, et panegyrica Plinii oratio habita est ante lustrum quintum. at Pantomimos ab Hadriano restitutos, manifestum est, quum idem et aulicos *histriones* publicaverit (7): quo tum nomine ipsius Pantomimos designabant. Tacitus certe (8) quos Svetonius *Pantomimos* vocat, et a Nerone relegatos fuisse scribit (9), eosdem *Histriones* appellat, et Italia pulsos confirmat. erant autem, qui sine actoribus tragoediam ipsi quamlibet aut comoediam ad tibiam et cantum gestu solum et saltatione exprimebant: quam artem Augusti aetate Pylades et Bathyllus primi in scenam separatim introduxerunt, quum antea pantomimi actoribus admixti essent, eamque Ορχησιν Ιταλικην appellarunt (10).

De agone Capitolino dixi ad inscr. CV· ei Svetonius musicum quidem certamen tribuit, sed ut poëticum omisit, sic scenici sive histrionalis nullam mentionem fecit. atqui et poëticum non defuisse, ibidem ostendi; et pantomimos etiam certasse, antiquae inscriptiones indicare videntur (11). existimo autem in ellogio hoc *histriones* quidem dici pantomimos tragoediarum, quorum clarissimus fuerat Pylades; *Scenicos* vero *Artifices* appellari pantomimos comoediarum, in quibus principatum tenuerat Bathyllus: unde maximam Apolaustus laudem et famam ferebat, quod unus utraque re praestitisset.

Num vero duodecies eum Romae coronatum esse putabimus? id quidem fieri potuit, dummodo non unius tantum diei certamen illud fuerit, aut non uno iste in agone certaverit. sed quis vetat, Neapoli etiam eum aliquoties coronatum dicere, qua in urbe, Luciano teste (12), pantomimi quoque ludis quinquennalibus certamen inibant?

(1) *Duodecies*.
(2) Cod. Th. l. 15. tit. 7. leg. 12.
(3) Plin. H. N. l. 34. c. 4. n. 9.
(4) Capit. in Vero c. 8.
(5) Salmas. in Vop. Carin. c. 19.
(6) in paneg. c. 46.
(7) Spart. in Hadr. c. 19.
(8) Ann. l. 13. c. 25.
(9) in Ner. c. 16. n. 3.
(10) v. Ovid. Trist. l. 2. v. 519. Salmas. ex Athen. l. 1. l. c. et Calliach. Syntag. de mim. etc.
(11) Grut. p. 331. n. 4. etc.
(12) lib. περι ορχησεως.

PARS III.

ELLOGIA FEMINARVM

CCC. (Castell. Inscr. Sic. Cl. 3. n. 2. Fabrett. p. 341. n. 523.)

CASPONIA · P · F ·
MAXIMA
SACERDOS · CERERIS
PVBLICA
POPVLI · ROMANI
SICVLA

Ex eo quod in marmore Casponia Maxima Sacerdos Sicula Cereris *dicitur, omnino statuendum est,* ait Castellus v. c. *huic ministerio addictam fuisse, quia Graeca; inter Graeciae namque fines tempestate illa Sicilia numerabatur, et Siculi a Graecis oriundi coloniis* Graeci Siceliotae *passim denominabantur.* cur autem ad sacra Cereris Graecas Sacerdotes Romani arcesserent, ac civitate donarent, exposui ad inscr. XXXXI. Marmor Romae inventum, tradit Gruterus (1), ubi et alterum, dum haec scribimus, effossum est hoc titulo, FAVONIA · M · F · SACERDOS · CERERIS · PVBLICA · P · R · Q · sacerdotibus nempe populi Romani Quiritium, quarum perpetuum erat ministerium, is fortasse honor habebatur, ut singulis statuae ad posteritatis memoriam ponerentur: quum id earum aliqua in municipiis quoque meruerit, uti apud Capenates *Flavia Ammia,* cui statua *Decreto Ordinis* posita dicitur (2): et apud Corfinienses, quae infra nominandae sunt.

CCCI. (Gud. p. 105. n. 6.)

ACCIA
SACERDOS
VENERIS
MODIA
SACERDOS
VENERIS

Una in basi utriusque sacerdotis statuas fuisse puto, ad aedem fortasse Veneris Corfiniensis positas: Corfinii enim in Pelignis reperta basis. sic hujusmodi sacerdotum statuas in vestibulo templi Iunonis prope Mycenas fuisse, narrat Pausanias (3): Ανδριαντες τε ἑστηκασι προ της εσοδου και γυναικων αἱ γεγονασιν ἱερειαι, και ἡρωων. est etiam Bovillensis inscriptionis vetus fragmentum apud Maffejum (4) in quo sportulae Decurionibus

(1) p. 308. n. 4.
(2) Fabr. p. 342. n. 524.
(3) lib. 2. c. 17.
(4) M. V. p. 268. n. 10.

et Augustalibus datae ab C. Dissinio dicuntur, *Quod Permiserunt In Clupeo, Quod Ei Posuerunt Ad Templum Novum, Pingere Effigiem Ma . . . . Severinae Virginis Albanae Maximae Sororis Suae Post Excessum Vitae Eius*. In eo autem commentario, quem Carolus Patinus perscripsit in antiquum monumentum Marcellinae e Graecia allatum, titulos congessit (1) non paucos, qui feminas Dearum sacerdotes produnt, item Augustarum atque Augustorum, qui inter Divos relati essent. illud deinde adnotat, Veneris sacerdotes in tota fere Graecia, quantum ex historicis poëtisque ediscere licet, feminas fuisse: quod de Latio etiam ac de Italia universa inscriptiones aliquot confirmare videntur (2).

CCCII. (Gud. p. 191. n. 8.)

ATHENAIS · MATER

PHILADELPHI

TI · CAESARIS · AVG · ET · IVLIAE · AVG ·

SERVI · SCALLIANI · TABVLARI

VIXIT · ANNOS · XXCIII ·

Celebratur Athenais, quod Philadelphum Scallianum genuerit servum Tabularium Tiberii et Liviae, quodque vitam ad annum octogesimum tertium perduxerit. sic et Statilia illa, Claudio Principe, anicula senectute longa gloriata est (3); quae inscribi monumento suo jussit, annis se nonaginta novem vixisse.

Porro Liviam Augusti, non Iuliam Tiberii uxorem hic nominari, exploratum habeo. nam Iuliae quidem uxori Tiberius *tantum abfuit*, inquit Svetonius (4), *ut relegatae, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret, ut ex constitutione patris uno oppido clausam, domo quoque egredi, et commercio hominum frui vetuerit*. at Liviam Augusti uxorem *in familiam Iuliam nomenque Augustae* adsumptam tradidit Tacitus (5). tum de ipsa et Tiberio haec Svetonius (6): *Haeredes* (Augustus) *instituit primos, Tiberium ex parte dimidia et sextante, Liviam ex parte tertia, quos et ferre* nomen suum *jussit*. Iulia vero Augusti filia numquam *Augusta* dicta est.

De *Tabulario* dixi ad inscr. CLXXXV. duplex autem servo huic nomen est, ut alteri supra, inscriptione XXXXVIII. haec tum geminata esse arbitror, quum bini eodem nomine servi in eadem familia essent. id agnomen a domino fortasse desumi solebat, in cujus ante mancipio fuissent. lege, quae inscr. XVII. subjecta sunt.

(1) apud Polen. Antiq. t. 2. p. 1108.
(2) Grut. p. 318. n. 3. etc.
(3) Plin. H. N. l. 7. c. 48. n. 49. Senec. epist. 77.
(4) in Tib. c. 50. n. 2.
(5) Ann. l. 1. c. 8.
(6) in Aug. c. 101. n. 3.

CCCIII· (Grut. p. 309. n. 4.)

FABIA · ACONIA · PAVLINA · FILIA
AC · (1) CATVLINI · V · C · EXPRAEFECTI · CONSVLIS
ORDINARII · VXOR · VETTII · AGORII · PRAETEXTATI
PRAEFECTI · ET · CONSVLIS · DESIGNATI
SACRATA · DEAE · CERERI

Huic denique exemplo inter feminarum ellogia locum concedere ultimum coactus sum, postquam in evolvendis inscriptionum libris defatigatus antiquius et elegantius exstare nullum comperi. Fabiae pater Aconius consulatum gessit cum Vlpio Limenio anno Varr. MCI· postquam Praetorii praefectura functus esset, itemque aliis magistratibus: nam ut animadvertit Salmasius (2), ascendentium ad consulatum hi tum gradus erant, Quaestura, Aedilitas, Praetura, Consularitas, Proconsulatus, Praefectura Vrbis, Praefectura Praetorii.

Agorio praefecturam urbanam detulere Valens et Valentinianus Augusti, quam multis laudibus extulit Ammianus (3). consulatum tamen ille non attigit, sed designatus e vita discessit (4). hujus et Fabiae epitaphia sunt in Capitolio, quae in primis edidit illustravitque Bonada (5).

Quod autem Fabia *Sacrata Deae Cereri* dicatur, sacris eam Eleusinis initiatam intellige, quae et *Thesmophoria* appellabantur. inest tamen in illis verbis haec quoque vis, ut Fabiae innocentia ex veterum superstitione significetur. innocentiam enim suam satis probasse putabantur, qui sacris illis, Cerere sibi propitia, initiari (6) potuissent. de istorum insignibus haec a Tertulliano tradita (7): *Ob cultum omnia candidatum et ob notam vittae et privilegium galeri Cereri initiantur*. idem alibi insigne capitis *Vittam Cereris* appellat (8).

(1) *Aconii*.
(2) in Trebell. trig. Tyrann. c. 33.
(3) Lib. 27. c. 9.
(4) Hieron. epist. ad Pammach. contra Ioan. Hierosol. n. 7.
(5) Cl. 3. n. 14.
(6) Capitol. in M. Aurel. c. 27. et Salmas. ibid.
(7) de pallio c. 4.
(8) de testim. anim. c. 2.

CAPVT VI.

Specimen Constitutionum publicarum sive inscriptiones selectae ex iis, quae populi aut senatus aut magistratuum aut Principum aut collegiorum sententiam et voluntatem declarant.

Tabularum aerearum tria millia, quae in Capitolio erant, *instrumentum*, ut ait Svetonius (1), *imperii pulcherrimum ac vetustissimum*, bello Vitelliano simul omnia conflagraverunt. eo *continebantur*, inquit idem, *paene ab exordio Vrbis senatusconsulta, plebiscita de societate et foedere ac privilegio cuicumque concessis*. haec quidem Vespasianus restituenda suscepit, undique investigatis exemplaribus: sed igne iterum periisse credibile est, quum statim ab ejus morte Capitolium incendio rursus absumptum esse constet (2). restituit autem Capitolium Domitianus, fortasse et aereas tabulas: sed defuere subinde, qui posteritati prospicerent, deque iis conservandis laborarent. e tot illis monumentis perpauca ad nos, eaque mutila omnino et corrosa pervenerunt: ac nisi quaedam scriptores in libros suos retulissent, vix aliquid probabile haberemus. nam quae lapides, quia conflari non poterant, ab interitu vindicarunt, ea fere ad municipia pertinent, nec vero nisi rarissime aut rerum magnitudine aut scriptionis elegantia et dignitate cum Romanis conferri possunt.

Haec porro, quod ad jurisprudentiam pertinere viderentur, quaecumque exstarent *integra aut fere integra*, colligere aggressus Terrassonius, ad calcem historiae suae subjicienda curavit. utinam et omnia, ut putabat, vidisset, et quaedam tamen rejecisset, et singula etiam explicasset! optime profecto de nobis ille meritus videretur, desideriumque amissorum monumentorum non levi opere solatus esset. nam ego quidem hoc loco specimen tantum constitutionum publicarum exhibiturus sum, quemadmodum in superioribus capitibus ex instituti mei ratione factum est. ceterum exempla hoc quoque caput plane varia complectetur ex omnibus fere monumentis, quae potestatem imperiumque designare videantur.

Sunt autem Leges populi et edicta magistratuum, Senatus consulta et decreta municipiorum, Tabulae foederum et hospitiorum, Rescripta et diplomata Imperatorum, Inscriptiones mensurarum et ponderum publicorum, Decreta denique et acta collegiorum. haec omnia communi nomine, usus Plinii senioris vocabulo (3) *Constitutiones publicas* appellavi, et sex in partes distribui: quo primum denique operis mei pensum peractum videretur. quamquam non is utique exemplorum horum erit usus, qui fere

(1) in Vesp. c. 8. n. 12. v. Tacit. hist. l. 3. c. 72.

(2) Plutarch. in Poblic. p. 104. F.

(3) H. N. l. 34. c. 9. n. 21.

superiorum futurus est: quod argumenta hujus generis pauca ubique contingant; ceterorum, magnis praesertim in urbibus, sint prope quotidiana: ut ut alium hinc nec levem percipere fructum utilitatis facile possis, Romanae scilicet administrationis ratione cognita, et veteris jurisprudentiae formulis delibatis: quod pauca licet singulis articulis exempla demus, ea tamen proposuimus, quae πολιτειας omnes complecti videantur.

PARS I.

LEGES POPVLI ET EDICTA MAGISTRATVVM

§. I.

LEGES POPVLI

CCCIIII. (Frontin. de Aquaed. art. 129. ex Polen. correct. et Maff. Dipl. p. 49.)

T · QVINCTIVS · CRISPINVS · COS · POPVLVM · IVRE · ROGAVIT
POPVLVSQVE · IVRE · SCIVIT · IN · FORO · PRO · ROSTRIS
AEDIS · DIVI · IVLII · A · D · *PRIDIE* · *KAL* · IVLIAS · TRIBVI
SERGIAE · PRINCIPIVM · FVIT · PRO · TRIBV · SEX · L · F · VARRO

QVICVMQVE · POST · HANC · LEGEM · ROGATAM · RIVOS · SPECVS · FORNICES · FISTVLAS · TVBVLOS
CASTELLA · LACVS · AQVARVM · PVBLICARVM · QVAE · AD · VRBEM · DVCVNTVR · SCIENS
DOLO · MALO · FORAVERIT · RVPERIT · FORANDA · RVMPENDAVE · CVRAVERIT · PEIOREMVE
FECERIT · QVO · MINVS · EAE · AQVAE · EARVMVE · QVA · IN · VRBEM · ROMAM · IRE · CADERE
FLVERE · PERVENIRE · DVCI · *POSSINT* · QVOVE · MINVS · IN · VRBE · ROMA · ET · IN · IIS
AEDIFICIIS · QVAE · VRBI · CONTINENTIA · SVNT · ERVNT · ET · IN · HIS · HORTIS · PRAEDIIS
LOCIS · QVORVM · HORTORVM · PRAEDIORVM · LOCORVM · DOMINIS · POSSESSORIBVS · AQVA
DATA · VEL · ADTRIBVTA · EST · ERIT · SALIAT · DISTRIBVATVR · DIVIDATVR · IN · CASTELLA
LACVS · IMMITTATVR · IS · POPVLO · ROMANO · C̄ · MILLIA · DARE · DAMNAS · (1) ESTO · ET
QVI · CLAM · QVID · EORVM · ITA · FECERIT · ID · OMNE · SARCIRE · REFICERE · RESTITVERE
AEDIFICARE · PONERE · ET · CELERE · (2) DEMOLIRE · DAMNAS · ESTO · SINE · DOLO · MALO
ATQVE · OMNIA · ITA · VT · QVICVMQVE · CVRATOR · AQVARVM · EST · ERIT · *AVT* · SI
CVRATOR · AQVARVM · NEMO · ERIT · TVM · IS · PRAETOR · QVI · INTER · CIVES · ET
PEREGRINOS · IVS · DICIT · MVLTA · PIGNORIBVS · COGITO · COERCITO · EIQVE · CVRATORI
AVT · SI · CVRATOR · NON · ERIT · TVM · EI · PRAETORI · EO · NOMINE · COGENDI
COERCENDI · MVLTAE · DICENDAE · *SIVE* · PIGNORIS · CAPIENDI · IVS · POTESTASQVE · ESTO
SI · QVID · EORVM · SERVVS · FECERIT · DOMINVS · EIVS · CENTVM · MILLIA · POPVLO · DET

(1) Damnas *id est* Damnatus. (2) Celere *id est* celeriter: ut Plaut. Curcul. 2. 3. 4.

SI · QVIS · CIRCA · RIVOS · SPECVS · FORNICES · FISTVLAS · TVBVLOS · CASTELLA · LACVS AQVARVM · PVBLICARVM · QVAE · AD · VRBEM · ROMAM · DVCVNTVR · ET · DVCENTVR TERMINATVS · STETERIT · NEQVE · QVIS · IN · EO · LOCO · POST · HANC · LEGEM · ROGATAM QVID · OPPONIT · MOLIT · OBSEPIT · FIGIT · STATVIT · PONIT · COLLOCAT · ARAT · SERIT NEVE · IN · EVM · *LOCVM* · QVID · IMMITTIT · PRAETERQVAM · EORVM · FACIENDORVM REPONENDORVM · CAVSSA · PRAETERQVAM · QVOD · HAC · LEGE · LICEBIT · OPORTEBIT · QVI ADVERSVS · EA · QVID · FECERIT · ET · ADVERSVS · EVM · SIREMPS · (1) LEX · IVS · CAVSSA QVE · OMNIVM · RERVM · OMNIBVSQVE · ESTO · VTIQVE · VTI · ESSET · ESSEQVE · OPORTERET SI · IS · ADVERSVS · HANC · LEGEM · RIVVM · SPECVM · RVPISSET · FORASSETQVE · QVOMINVS IN · EO · LOCO · PASCERE · HERBAM · FENVM · SECARE · *POSSINT* · *NISI* · *II* · *QVIBVS PERMISERINT* · CVRATORES · AQVARVM · QVI · NVNC · SVNT · QVIQVE · ERVNT · CIRCA FONTES · ET · *FORNICES* · ET · MVROS · ET · RIVOS · ET · SPECVS · TERMINATVS · ARBORES VITES · VEPRES · SENTES · RIPAE · MACERIA · SALICTA · ARVNDINETA · TOLLANTVR EXCIDANTVR · EFFODIANTVR · EXCODICENTVR · VTIQVE · RECTE · FACTVM · ESSE · VOLET EOQVE · NOMINE · IIS · PIGNORIS · CAPTIO · MVLTAE · DICTIO · *COERCITIOQVE* · ESTO IDQVE · IIS · SINE · FRAVDE · SVA · FACERE · LICEAT · IVS · POTESTASQVE · ESTO QVOMINVS · VITES · ARBORES · QVAE · VILLIS · AEDIFICIIS · MACERIISVE · INCLVSAE · SVNT MACERIAE · QVAS · CVRATORES · AQVARVM · CAVSSA · COGNITA · NE · DEMOLIRENTVR DOMINIS · PERMISERVNT · QVIBVS · INSCRIPTA · INSCVLPTAQVE · ESSENT · IPSORVM QVI · PERMISISSENT · CVRATORVM · NOMINA · MANEANT · HAC · LEGE · NIHILVM · ROGATOR QVOMINVS · EX · IIS · FONTIBVS · RIVIS · SPECVBVS · FORNICIBVS · AQVAM · SVMERE · HAVRIRE · IIS QVIBVSCVMQVE · CVRATORES · AQVARVM · PERMISERINT · PRAETERQVAM · ROTA · CALICE · MACHINA LICEAT · DVM · NEQVE · PVTEVS · NEQVE · FORAMEN · NOVVM · FIAT · EIVS · HAC · LEGE · NIHILVM · ROGATOR

Vnum hoc exemplum instar omnium esto: nam cetera, quae exstant, fragmentorum reliquiae sunt, quarum particulae quaedam libro tertio afferentur. lata lex est a Crispino Cos. anno Varr. DCCXXXXV· quum vetus comitiorum consuetudo etiamtum vigeret, quam deinde Tiberius (2) labefactavit. Rostra autem, unde consul legem tulit, non vetera fuere, sed nova, quae Dio τα ἑτερα εμβολα τα Ιουλια appellat (3); hic *Rostra* dicuntur *Aedis Divi Iulii,* quod ante eam aedem essent, quam parenti suo aedificaverat Augustus (4). comitia vero, ut cetera, quibus omnes prope leges ferebantur, centuriata fuisse, pro certo habeas. nam quod tribus Sergia sortitione praerogativa fuerit, illud tantum significatur, etiam in centuriatis comitiis populum tributim divisum esse, sic tamen, ut in ferendis suffragiis centuriarum, quae in singulis tribubus erant, ratio haberetur (5). primus e tribu legem scivit Sex. Varro, vel sorte ductus vel a consule nominatus. utrumque enim in more fuisse, ex Tullii oratione pro Plancio satis liquet (6).

Legis hujus, quam Frontinus utilissimam appellat (7), auctor sine dubio fuit Augustus, qui etiam *Curatores Aquarum Publicarum* ex consensu senatus nominaverat (8).

Peioremve Fecerit. intellige *Rivum* aliquem aut *Specum* et similia. inter *Aquam* autem *Datam* et *Aquam Adtributam* hoc puto fuisse discrimen, ut *Aqua Data* ea diceretur, quae in privatorum fundos semper influeret, *Aqua* vero *Adtributa,* quae

(1) Siremps lex *id est* similis re ipsa lex.
(2) Dio l. 58. p. 892. B.
(3) l. 56. p. 833. A.
(4) Appian. B. C. l. 2. p. 521.
(5) Ferrat. l. 3. epist. 3.
(6) cap. 14. n. 35.
(7) de Aquaed. art. 130.
(8) Front. ibid. art. 100.

nec quotidie, nec nisi aliquot horis derivari posset, aut si quotidiana esset, quotidie quidem, ut ait Vlpianus (1), ea quis uti posset si vellet, quotidie tamen non duceretur.

Centum Millia Dare Damnas Esto, nempe *Aeris* sive *Assium*, id est Scutatos mille nummos. assibus saepius, quam sestertiis vetustiores Romani pecuniae summam designabant, praesertim in legibus et edictis, uti norunt qui Livium legerunt (2).

Si Quis Circa Rivos etc. Terminatus steterit: id est, si circa rivos nondum sublati essent terminatus sive termini fundorum privatorum, non ideo quisquam post hanc legem quid opponit, sive quidquam opponere debet, aut ibidem molere, et quae sequuntur: neque quidquam in eum locum immittere, nisi fornicis faciendi, aut tubulorum reponendorum et ejusmodi caussa. molas aquarias jamtum in usu fuisse hic locus indicat, quas sane describit Vitruvius (3).

Vtique Recte Factum Esse Volet etc. nempe Et ita excodicentur, ut ea res recte facta esse volet sive debebit: et ad eam rem praestandam ii curatores cogere possint pignoris captione, multae dictione: iisdemque jus et potestas sit, ut sine fraude sua ea exsequi possint.

Quominus Vites Arbores etc. praeponas quae infra sunt, *Hac Lege Nihilum Rogator*, id est Legis hujus permissu maneant Vites, Arbores etc. eodemque modo ultima legis particula intelligenda est.

Caliees aereos, per quos e ductibus aqua in fistulas privatorum influebat, demonstrabam olim multos variis modulis in Museo Kircheriano, quum eam gazam praefectus curarem. Rotas vero Machinasque ad hauriendam aquam, his, quibus nunc utimur, non absimiles, videre est apud Vitruvium (4).

§. II.

EDICTA MAGISTRATVVM

CCCV. (Svet. de Cl. Rhet. c. 1. et Gell. l. 15. c. 11.)

CN · DOMITIVS · AENOBARBVS
L · LICINIVS · CRASSVS CES ·

RENVNTIATVM · EST · NOBIS · ESSE · HOMINES · QVI · NOVVM · GENVS · DISCIPLINAE · INSTITVERVNT AD · QVOS · IVVENTVS · IN · LVDOS · CONVENIAT · EOS · SIBI · NOMEN · IMPOSVISSE · LATINOS RHETORAS · IBI · HOMINES · ADOLESCENTVLOS · TOTOS · DIES · DESIDERE · MAIORES · NOSTRI QVAE · LIBEROS · SVOS · DISCERE · ET · QVOS · IN · LVDOS · ITARE · VELLENT · INSTITVERVNT HAEC · NOVA · QVAE · PRAETER · CONSVETVDINEM · AC · MOREM · MAIORVM · FIVNT · NEQVE PLACENT · NEQVE · RECTA · VIDENTVR · QVAPROPTER · ET · IIS · QVI · EOS · LVDOS · HABENT ET · IIS · QVI · EO · VENIRE · CONSVEVERVNT · VIDETVR · FACIENDVM · VT · OSTENDAMVS NOSTRAM · SENTENTIAM · NOBIS · NON · PLACERE

Edictis magistratus, quae a Quiritibus fieri vellent, jubebant, iisdemque veta-

(1) l. 1. D. de aq. quot. et aest.
(2) l. 24. c. 3. n. 11. etc.
(3) lib. 10. c. 10.
(4) lib. 10. c. 9.

bant, quae nollent: at Augusti monere etiam et suadere et docere et consolari solebant (1). horum edicta temporaria dixeris; illorum vero quasi leges plerumque erant. initium, quod hic desideratur, omnibus fere hoc fuisse antiquitus videtur, *Bonum Factum*, sed primis tantum litteris, Isidoro teste (2), scriptum. huc pertinet illud Tertulliani epiphonema (3), *O edictum, cui adscribi non poterit Bonum Factum!*

De hoc Censorio edicto loquitur auctor dialogi *de caussis corruptae eloquentiae* (4): *At nunc*, inquit, *adolescentuli nostri deducuntur in scenas scholasticorum, qui Rhetores vocantur: quos paullo ante Ciceronis tempora exstitisse, nec placuisse majoribus nostris, ex eo manifestum est, quod L. Crasso et Domitio censoribus cludere, ut ait Cicero, ludum impudentiae jussi sunt.*

Non ideo tamen Rhetores illi silere jussi, quod senatus id temporis aut censores studia litterarum non probarent; sed ea potius de caussa, quod magistri illi male audirent, nec doctrina excellere putarentur. nam idem ille censor L. Crassus sic apud Tullium (5) de edicto suo loquens inducitur: *Rerum est silva magna, quam quum Graeci jam non tenerent, ob eamque caussam juventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si Diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt, quos ego censor edicto meo sustuleram; non quo, ut nescio quos dicere ajebant, acui ingenia adolescentium nollem; sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam.*

Ceterum ante hoc ipsum edictum et ludi Romae magistrique fuere bonarum artium, et litterae semper ac disciplinae magno in honore habitae sunt: *Antiquissimi doctorum*, inquit Svetonius (6), *qui iidem et poëtae et oratores, semigraeci erant, Livium et Ennium dico: quos utraque lingua domi forisque docuisse, adnotum est.* nec tamen doctore carere potuerunt oratores ii, quos Tullius (7) enumerat ab ipso Bruto, qui Tarquinios ejecit. Numa quoque a Livio (8) consultissimus vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris appellatur. de liberorum autem institutione sic idem Livius (9): *Habeo auctores, vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis litteris eruditi solitos.* ludos quoque litterarios memorat Dionysius Halicarnasseus (10), quo Appii Claudii Decemviri temporibus puellae etiam itabant, nedum pueri, quas inter fuit Virginia L. Virginii filia jam nubilis, et L. Icilio desponsa: eosque ludos circa forum fuisse scribit: ην δε τα διδασκαλεια των παιδων τοτε περι αγοραν. quid plura? vel ipsi interdum senatores amicorum liberos domi suae instituebant, ut Cato senior narrat apud Tullium (11).

De Aenobarbi et Crassi censura Plinius (12): *Nobilissimarum gentium ambo, Crassus atque Domitius censuram post consulatum simul gessere anno conditae Vrbis* DCLXII· *frequentem jurgiis propter dissimilitudinem morum.*

Edictum porro tam decorum atque elegans ab ipso L. Crasso censore perscriptum esse, dubitandum non est: quem omni liberali doctrina politissimum, et oratorum omnium disertissimum fuisse constat.

(1) Svet. in Cajo c. 30. n. 9. in Claud. c. 16. n. 9. c. 25. n. 6. in Tito c. 8. n. 10.
(2) Orig. l. 1. c. 22.
(3) de Pudicit. c. 1.
(4) c. 35. n. 1.
(5) l. 3. de orat. c. 24. n. 93.
(6) de illustr. Gram. c. 1.
(7) in Bruto.
(8) l. 1. c. 7. n. 18.
(9) l. 9. c. 25. n. 36.
(10) Antiq. l. 11. p. 709.
(11) de Senect. c. 9. n. 29.
(12) H. N. l. 17. c. 1.

CCCVI· (Plin. l. 10. epist. 66.)

IMP · NERVA · CAESAR · AVGVSTVS
PONT · MAX · TR · POT · COS · IIĪ · (1) P · P ·

QVAEDAM · SINE · DVBIO · QVIRITES · IPSA · FELICITAS · TEMPORVM · EDICIT · NEC · SPECTANDVS EST · IN · IIS · BONVS · PRINCEPS · QVIBVS · ILLVM · INTELLIGI · SATIS · EST · CVM · HOC · SIBI QVISQVE · CIVIVM · MEORVM · SPONDERE · POSSIT · ME · SECVRITATEM · OMNIVM · QVIETI · MEAE PRAETVLISSE · VT · ET · LIBENTER · NOVA · BENEFICIA · CONFERREM · ET · ANTE · ME · CONCESSA SERVAREM · NE · TAMEN · ALIQVAM · GAVDIIS · PVBLICIS · ADFERAT · HAESITATIONEM · VEL EORVM · QVI · IMPETRAVERVNT · DIFFIDENTIA · VEL · EIVS · MEMORIA · QVI · PRAESTITIT NECESSARIVM · PARITER · CREDIDI · AC · LAETVM · OBVIAM · DVBITANTIBVS · INDVLGENTIAM · MEAM MITTERE · NOLO · EXISTIMET · QVISQVAM · QVAE · ALIO · PRINCIPE · VEL · PRIVATIM · VEL PVBLICE · CONSECVTVS · IDEO · SALTEM · A · ME · RESCINDI · VT · POTIVS · MIHI · DEBEAT · SI ILLA · RATA · ET · CERTA · NEC · GRATVLATIO · VLLIVS · INSTAVRATIS · EGET · PRECIBVS · ET · QVI NON · HABENT · ME · QVEM · FORTVNA · IMPERII · VVLTV · MELIORE · RESPEXIT · NOVIS BENEFICIIS · VACARE · PATIANTVR · ET · EA · DEMVM · SCIANT · ROGANDA · ESSE · QVAE · NON · HABENT

Imperatoris Edictum inter Magistratuum Edicta cur non numerem, quum jam ostenderit Gravina (2), Imperatores omnes in potestate senatus fuisse; nec alia eos potestate aut alio imperio praeditos, quam quae ceteris antea magistratibus mandabantur.

Nervae nomen et titulos, quod in Plinii exemplo deessent, ex Imperatoris ejusdem nummis desumenda edictoque praeponenda putavi. est autem edictum illud, quo Titum Caesarem imitatus, quae cuiquam superiores Principes concessissent, ea omnia firma et perpetua esse jussit. nam ex instituto Tiberii (3) omnes dehinc Caesares beneficia a superioribus concessa Principibus, aliter rata non habebant, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent: primusque Titus ante eum praeterita omnia uno confirmaverat edicto, nec a se peti passus erat.

Nec Spectandus Est Princeps, id est *Expectandus:* ita et Cicero loquutus est: *A quibus* spectare *gloriam certe nullam potestis* (4): item Plautus: *Tacitus te sequor,* spectans, *quas tute res hoc ornatu geras* (5).

Si Illa Rata Et Certa. in principe Aldi editione (6) scriptum est, *Si enim grata et certa:* in aliis, *Si illa rata et certa fecero.* neutrum placet, nec quidquam in communi lectione mutandum esse videtur. Nervae sententia, ni fallor, haec fuit: Si rata illa sunt, nec jure aut lege irrita, quae quis a superioribus Principibus impetravit, ea me etiam Principe certa sunt: nec opus est, ut qui mihi de imperio gratulantur, eas instaurent preces, quas olim Domitiano aut aliis Imperatoribus beneficii accipiendi caussa adhibuerunt.

Edictum hoc cum superiore si conferas, quamquam multo amplior in Imperatore dignitas, quam in ullo alio magistratu, esse videbatur; tamen Latinae, opinor, linguae majestatem in imperatorio haudquaquam parem esse, ultro fateberis. apparent autem in hoc stili ejus exordia, cui deinde nomen a Diplomatibus datum est.

(1) Anno Varr. 850.
(2) lib. de Rom. Imper.
(3) Svet. in Tito c. 8. n. 1.
(4) in Somn. Scip. c. 6.
(5) Bacchid. 1. 2. 1.
(6) Venet. an. 1508.

PARS II.

SENATVS CONSVLTA ET DECRETA MVNICIPIORVM

§. I.

SENATVS CONSVLTA

CCCVII. (Svet. de Cl. Rhet. c. 1. et Gell. l. 15. c. 11.)

S · C ·

C · FANNIO · STRABONE · M · VALERIO · MESSALA · COS · (1) M · POMPONIVS · PRAETOR SENATVM · CONSVLVIT · QVOD · VERBA · FACTA · SVNT · DE · PHILOSOPHIS · ET · DE RHETORIBVS · S · CONS · (2) D · E · R · I · C · (3) VT · M · POMPONIVS · PRAETOR · ANIMADVERTERET CVRARETQVE · VTI · EI · E · REPVBLICA · FIDEQVE · SVA · VIDERETVR · VTI · ROMAE · NE · ESSENT

Annos fere septuaginta ante censorium edictum, quod supra prolatum est, et philosophi et rhetores Roma primum pulsi sunt. hos Casaubonus e numero mille Achaeorum putat fuisse, quos senatus post bellum Macedonicum secundum e patria accitos in urbe aut per Italiam multos annos detinuit. Roma autem exactos esse, quod corruptores iuventutis haberentur, affirmavit Athenaeus (4): Ρωμαιοι οι παντα αριστοι εξεβαλλον τους σοφιστας της Ρωμης, ὡς διαφθειροντας τους νεους.

Rediere tamen in urbem, exceptique liberaliter maxime post bellum Punicum tertium: sed variis iterum acti casibus, in tutela demum praesidioque Caesarum latuerunt. Iulius Caesar, ut a Svetonio traditur (5), liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent, et alii appeterent, civitate donavit. salarium autem e fisco primus Latinis Graecisque rhetoribus Vespasianus constituit annua centena, sive scutatorum nummorum duo millia et quingenta (6), nam ante eum mercede quidem docebant, sed quae ab auditoribus dabatur (7), ut Venusinis olim magistris, ad quos pueri *ibant octonis referentes idibus aera* (8). extra urbem quoque constitutum minerval: de Antonino Pio Capitolinus (9): *Rhetoribus et Philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulit.*

(1) An. Varr. 597.
(2) *Senatus Consultus.*
(3) *De Ea Re Ita Censuit.*
(4) l. 13. p. 610. F. *Romani longe optimi sophistas ex urbe ejiciebant, quasi adolescentes depravarent.*
(5) in Iul. c. 42. n. 2.
(6) Svet. in Vesp. c. 18. n. 1.
(7) id. de ill. Gram. c. 3. n. 3.
(8) Hor. l. 1. sat. 6. v. 75.
(9) in Ant. Pio c. 11.

CCCVIII· (Frontin. de Aquaed. art. 100.)

S · C ·

QVOD · Q · AELIVS · TVBERO · PAVLLVS · FABIVS · MAXIMVS · COS · (1) V · F · (2) DE · IIS · QVI CVRATORES · AQVARVM · PVBLICARVM · EX · CONSENSV · SENATVS · A · CAESARE · AVGVSTO NOMINATI · ESSENT · ORDINANDIS · D · E · R · Q · F · P · D · E · R · I · C · (3) PLACERE · HVIC ORDINI · EOS · QVI · AQVIS · PVBLICIS · PRAEESSENT · CVM · EIVS · REI · CAVSSA · EXTRA · VRBEM ESSENT · LICTORES · BINOS · ET · SERVOS · PVBLICOS · TERNOS · ARCHITECTOS · SINGVLOS · ET SCRIBAS · LIBRARIOS · ACCENSOS · PRAECONESQVE · TOTIDEM · HABERE · QVOT · HABENT · II · PER QVOS · FRVMENTVM · PLEBEI · DATVR · CVM · AVTEM · IN · VRBE · EIVSDEM · REI · CAVSSA ALIQVID · AGERENT · CETERIS · APPARITORIBVS · IISDEM · PRAETER · QVAM · LICTORIBVS · *VTI* VTIQVE · QVIBVS · APPARITORIBVS · EX · HOC · S · C · CVRATORIBVS · AQVARVM · VTI · LICERET EOS · DIEBVS · X · PROXIMIS · QVIBVS · S · C · FACTVM · ESSET · AD · AERARIVM · DEFERRENT QVIQVE · ITA · DELATI · ESSENT · IIS · PRAETORES · AERARII · MERCEDES · CIBARIA · QVANTA PRAEFECTI · FRVMENTO · DANDO · DARE · DEFERREQVE · SOLENT · ANNVA · DARENT · ET ADTRIBVERENT · IISQVE · EAS · PECVNIAS · SINE · FRAVDE · SVAS · FACERE · LICERET · VTIQVE TABVLAS · CHARTAS · CETERAQVE · QVAE · EIVS · CVRATIONIS · CAVSSA · OPVS · ESSENT · IIS CVRATORIBVS · *PRAEBERI* · Q · AELIVS · PAVLLVS · FABIVS · COS · AMBO · ALTERVE · SI · IIS VIDEBITVR · ADHIBITIS · PRAETORIBVS · QVI · AERARIO · PRAESINT · EA · PRAEBENDA · LOCENT

Fabio huic Maximo praenomen fuit *Paullo*, non *Publio*, quemadmodum in libris manu scriptis Polenus invenit (4). neque tamen novum id putes esse, quum et Fabrettus et Maffejus idem se in marmoribus praenomen reperisse fateantur (5).

Aquarum officium per principes semper civitatis viros administratum, auctor est Frontinus (6), iisque insignia quasi magistratibus concessa vides, qualia ferme Rullus tribunus plebis Decemviris suis lege agraria dabat (7).

Edidit Polenus *Scribas Et Librarios;* ego vero expungendum *Et* censui: quod quisque dabit, qui animadvertat, scribendum quoque fuisse *Et Accensos*, siquidem *Et Librarios* perscriptum erat. de scribis autem librariis dixi ad inscr. CCLXXXI· iis Romani antiquiores non *scribas* tantum, sed *scribas librarios* nomen imposuerant, ut a poëtis distinguerent, quos item *scribas* teste Festo vocabant.

Deferre autem *Apparitores ad aerarium* erat profiteri apud praetores, quot ac quibus quisque apparitoribus uteretur. atque id quoad familiam suam ii quoque praestabant, qui a sociorum civitatibus Romam publice mittebantur. itaque Tullius in oratione pro Flacco (8) Asiaticos quosdam testes irridet, qui apud aerarium servos novem se professi erant habere, quum omnino sine comite venissent. de praetoribus aerarii lege, quae subjecta sunt inscr. CCLXIII·

Praeter mercenariam stipem cibaria quoque Apparitoribus data: vel ipsis potius magistratibus adtributa ex aerario pecunia cibariorum nomine. quod vero tabulae Curatoribus et chartae, et quidquid ejus curationis caussa opus esset, praeberi deberent, non de tabulis publicis, sed de tabulis chartisque puris sermonem hic esse puto: quippe quia adjectum est *Ea Praebenda Locent*, quod de publicis tabulis intelligi nequit: ac multa sane in eo munere scribenda fuisse et mandanda libris, manifestum est, quum praesertim aquarum Curatores tum primum *ordinarentur*, sive constituerentur: exempli

(1) Anno Varr. 713.
(2) *Verba Fecerint.*
(3) *De Ea Re Quid Fieri Placeret De Ea Re Ita Censuerunt.*
(4) ad Front. art. 99. n. 1.
(5) Zaccar. Iust. Lap. l. 2. c. 1.
(6) de Aquaed. art. 1.
(7) Cic. 2. Agr. c. 12. n. 31.
(8) cap. 18. n. 43.

caussa de rivorum ac ductuum impensis, de limitibus locorum publicorum, de divisione aquarum, de fundis privatis, deque controversiis omnibus, quas ipsi dijudicassent. itaque et ceratis tabulis opus erat, in quibus scribae raptim exarare possent, quae ubique Curatores dictarent, et chartis etiam sive codicibus, in quos ea ipsa diligentius referrent, quo deinde in tabulariis adservarentur.

Hic demum animadvertas, velim, ex hoc etiam senatus consulto constare liquido, quam vere scripserit Gravina (1), Imperatorem populi Romani fuisse in potestate senatus: quum Augustus ne Curatores quidem Aquarum, nisi ex consensu senatus, nominarit.

§ II.

DECRETA MVNICIPIORVM

CCCVIIII. (Fabr. p. 170. n. 324. est in Capitol.)

CENTVM · VIRI · MVNICIPII · AVGVSTI · VEIENTIS · ROMAE · IN · AEDEM · VENERIS · GENETRICIS
CVM · CONVENISSENT · PLACVIT · VNIVERSIS · DVM · DECRETVM · CONSCRIBERETVR · INTERIM · EX
AVCTORITATE · OMNIVM · PERMITTI · C · IVLIO · DIVI · AVGVSTI · L · GELOTI · QVI · OMNI
TEMPORE · MVNICIP · VEIOS · NON · SOLVM · CONSILIO · ET · GRATIA · ADIVVERIT · SED · ETIAM
INPENSIS · SVIS · ET · PER · FILIVM · SVVM · CELEBRARI · VOLVERIT · HONOREM · EI · IVSTISSIMVM
DECERNI · VT · AVGVSTALIVM · NVMERO · HABEATVR · AEQVE · AC · SI · EO · HONORE · VSVS · SIT?
LICEATQVE · EI · OMNIBVS · SPECTACVLIS · MVNICIPIO · NOSTRO · BISELLIO · PROPRIO · INTER
AVGVSTALES · CONSIDERE · CENISQVE · OMNIBVS · PVBLICIS · INTER · CENTVM · VIROS · INTERESSE? ITEMQVE
PLACERE · NE · QVOD · AB · EO · LIBERISQVE · EIVS · VECTIGAL · MVNICIPII · AVGVSTI · VEIENTIS · EXIGERETVR

ADFVERVNT

G · SCAEVIVS · CVRIATIVS	CN · OCTAVIVS · SABINVS
II · VIR ·	
L · PERPERNA · PRISCVS	T · SEMPRONIVS · GRACCVS
M · FLAVIVS · RVFVS · Q · (2)	P · ACVVIVS · P · F · TRO · (3)
T · VETTIVS · RVFVS · Q ·	C · VEIANIVS · MAXIMVS
M · TARQVITIVS · SATVRNIN ·	T · TARQVITIVS · RVFVS
L · MAECILIVS · SCRVPVS	C · IVLIVS · MERVLA
L · FAVONIVS · LVCANVS	

ACTVM

GAETVLICO · ET · CALVISIO · SABINO · COS · (4)

(1) de Rom. Imper. n. 37. (2) Q. *Quaestor*. (3) *Tromentina tribu*. (4) Ann. Varr. 779.

Centumviros hic appellari putat Mazochius (1), quos in aliis municipiis Decuriones vocabant: uti jam ostenderat Fabrettus (2), Tullii testimonio usus, ubi a Decemviris Agrariis centum Decuriones, decem augures, sex pontifices constituendos declarat (3). illud praeterea adnotavit Mazochius, in albo etiam Canusini Municipii, demptis patronis et praetextatis, Decuriones omnino centum descriptos esse.

Diu, quos Faliscos esse dixi (4), Vejentes se esse, libris quoque de ea re editis, contenderunt: nec alios se, quam *Vejentes Etruscos* esse affirmabant: nam qui Veji in Valeria fuisse dicuntur, nusquam fuere, nisi in Frontini libro de coloniis, postquam in eum librarii, pro *Aveja* Vejos supponentes, retulerunt (5). demum quo loco veteres Veji fuerint, primus demonstrare aggressus est Nardinus (6), a cujus deinde sententia non abiit Holstenius (7): sed neuter monumentum hoc viderat in eo ipso loco inventum, quo Vejos illi sitos esse scripserunt, nempe inter Cremeram et Insulam Farnesiorum in colle praerupto, ubi quaedam adhuc non parvae urbis rudera et parietinae visuntur, ad ipsam viam Vejentanam, quam, ut apparet in Tabula Peutingeriana, a Cassia deduci post sextum lapidem, deprehendit Fabrettus, iterumque, tertio ab hisce ruderibus milliario, in eandem redire.

Illis porro monumenti hujus auctoritatem refragari arbitror. nam Vejos Augusti Tiberiique aetate nusquam fuisse manifestum est. audi enim quid tum Propertius cecinerit (8):

Et Veii veteres, et vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro:
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, et in vestris ossibus arva metunt.

quid vero Florus? quum oppidum illud ad duodecimum, ut ajunt, ab urbe lapidem, in oculis populi Romani esse debuisset, sic scripsit (9): *Hoc tum Veii fuere: nunc fuisse quis meminit? quae reliquiae, quodve vestigium? laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.* Fabrettus quidem poëtarum et Flori poëtico more scribentis testimonia nihil moratur; ac Veiis id contigisse putat, quod Capuae (10), ut senatum et magistratus et formam omnem civitatis amitterent, domus et templa et urbs tota staret, aratorum, institorum, opificum sedes: hanc deinde lege Iulia, quam Frontinus memorat (11), colonos accepisse, et ab Augusto demum municipium esse factam. verum quis sibi hoc persuaserit, Propertium et Florum ea scripturos fuisse de urbe, quae non tecta solum et moenia, sed etiam curiam et Centumviros haberet, ubi spectacula, ubi cenae publicae darentur, in qua denique municipes opibus et honoribus florerent?

Quid igitur statuam? id nimirum, quod unum restat, ut salva omnia sint: qui veteres Vejos demonstrasse sibi visi sunt, eos nil aliud, quam municipium Vejens sive Frontini coloniam indicasse, ubi et marmor inventum, de quo agimus, et illud alterum, cujus inscriptio hoc libro quadragesima quarta est: et plumbeus tubus cum inscriptione REIPVBLICAE · VEIENT · tum (12) alia subinde haud exigui pretii fragmenta e marmore non panca, quae vir doctissimus et veterum elegantiarum studiosissimus Cajetanus Marinius mecum una communicavit. id autem municipium, quod in agro Ve-

(1) Tab. Heracl. part. 3. p. 451.
(2) cap. 5. n. 316.
(3) 2. de L. Agr. c. 35. n. 96. v. inscr. 120.
(4) ad inscr. 244.
(5) Gioven. Aveja p. 66.
(6) l'Antico Vejo part. 2. c. 7.
(7) in Adnot. in Ital. Cluver. p. 53.
(8) l. 4. el. 11. v. 27.
(9) l. 1. c. 12. n. 11.
(10) Liv. l. 26. c. 12. n. 16. Cic. 2. de L. Agr. c. 32. n. 88.
(11) de colon. p. 115. ed. Goes.
(12) Fabr. p. 544. n. 418.

jentano esset, *Vejens* appellatum, atque ex vico fortasse oppidum factum, colonia militari, ut ait Frontinus, deducta; quae quidem Sulla antiquior fuisse non videtur, quum eum agros militibus primum adsignasse ferant (1): ceterum ipsum oppidum ab Augusto auctum diu stetisse; quum ea inter fragmenta, quae modo memorabam, statuae basis numeretur, quam *Fl. Constantio Nobilissimo Caesari Ordo Civitatis Vejentanorum Posuit:* Florum autem et Propertium de Veiis loquutos, qui a Furio Camillo deleti essent: quorum vestigia jam pauca aut fere nulla manere putabantur: accuratiusque a Propertio dictos *Veteres*, non, ut Vulpius scripsit, quia *vel nobiles vetustate, vel divites*, sed quod a municipio Vejente distingui volebat: quemadmodum dixere etiam *Arretinos Veteres, Clusinos Veteres*, item *Novum Comum, Veronam Novam* et similia.

At parvi tu, inquies, facis Zanchii novissimum commentarium de urbe Veiis (2)? imo magni: est enim et acri cura et intelligenti judicio perscriptus: idem porro sententiae huic nostrae tam favet, quam qui maxime. nam Livii Eutropiique auctoritatem sequutus, quorum alter (3) Vejos *intra vicesimum* ab urbe *lapidem* fuisse scripsit, alter (4) *decimo octavo milliario*; agrum, propter quem Cremera fluit, lustravit omnem; ac conspicatus denique locum, unde illi Roma in conspectu esset, ibi Vejos fuisse statuit, ubi Vaccanarum lucus erat, quem nunc *luporum* sive *lupularum Montem* appellant. judicium autem ejus certissima indicia comprobarunt. nam locum omnem scrutatus, qui septem collibus adsurgit, non modo murorum in rupe vestigia, magnaeque urbis ingentes reliquias invenit, sed cuniculum ipsum Camilli, *operum*, ut Livius ait (5), *omnium longe maximum ac laboriosissimum*, quo in arcem hostium acto, Veii tandem capti sunt. hujus introitum unum esse Zanchius scribit, egressus sex, eosque in extremo colle singulos, ubi arcem fuisse et Iunonis templum arbitratur: quae omnia simul cum reliquis aedificiis tum demum eversa ac funditus deleta esse putat, quum inde Romam senatus revocavit, qui, urbe a Gallis incensa, eo se pigritia aedificandi in vacua tecta contulerant (6). sedulo quippe stultitiae plebis prospiciendum fuit, efficiendumque, ne jam ulla superesset caussa, cur Vejos commigrare vellet.

Aedes Veneris Genetricis erat in foro Caesaris, quam hic bello civili votam auctori generis sui aedificaverat (7). at quo jure convenire eo potuere Vejentani Centumviri ad auctoritatem perscribendam? scio Romae locatas civitatibus ad stationem tabernas (8): itemque stationem municipiorum in regione octava fuisse (9). sed novum plane est, municipes in urbe senatum quodammodo habuisse, eisque pro curia templum in frequentissimo urbis loco datum esse. id ne illis concessum, quod de liberto Augusti ornando ageretur, an potius quia omnes Vejentani pro urbanis haberentur, ac veluti urbano collegio, eorum decurionibus ex senatus consulto coire liceret? agrum certe Vejentanum, deficientibus militibus, inquit Frontinus (10), *ad urbanam civitatem adsociandum censuerat Divus Augustus*.

Decreto faciendo adfuerunt Duumviri et Quaestores ac novem praeterea e decurionibus: sed quidquid tredecim hi decrevere, ex auctoritate omnium quasique ex compromisso eorum, qui domi manserant, decretum est. aliud autem Decretum perscribi debebat in curia municipali omnium sententiis, quod deinde multo fortasse magnificentius factum est.

(1) Maffejus Ver. Illustr. l. 5. init.
(2) Il Vejo Illustrato Rom. 1768.
(3) Liv. l. 5. c. 2. n. 4.
(4) Eutr. hist. l. 1. sub fin.
(5) l. 5. c. 12. n. 19.
(6) Liv. l. 6. c. 2. n. 4.
(7) Appian. B. C. l. 2. p. 470.
(8) Svet. in Ner. c. 37. n. 2.
(9) Plin. H. N. l. 16. c. 44. n. 86. et P. Victor.
(10) de Colon. l. c.

Laudatur Gelos, quod municipium *impensis suis et per filium suum celebrari voluerit?* id erat, opinor, quod ludis factis celebre reddidisset, ita ut a multis spectandi caussa adiretur, ab urbe potissimum, uti et Fidenas ad Atilii spectaculum gladiatorium affluxere avidi talium: quippe eodem imperitante Tiberio, ut ait Tacitus (1), procul a voluptatibus habebantur.

De *Bisellio* dixi ad inscr. cvI· Bisellium Geloti *proprium* conceditur, nempe non quo singuli Augustales, sed quo Seviri eorum et Biselliarii sedebant. id Mazochius dici vult ab eo, quod plicaretur, et ubi opus esset, explicaretur, ut apud Graecos Δίφρος et Δίφρια: nec aliam esse formam testatur biselliorum aeneorum, quae in theatro Herculanensi reperta sunt (2). Augustales autem ut ludos seorsum a decurionibus Romano more spectabant; sic cenis publicis simul omnes nullo discrimine et Augustales et Decuriones accubuisse videntur.

Decrevere etiam Centumviri, placere, ne quod Gelos liberique ejus municipale vectigal penderent. nimirum et in provinciis, nedum in Italico municipio, decuriones vectigal imponere atque exigere poterant (3).

De tribu, in qua novi Vejentes censerentur, silent adhuc inscriptiones; sed in Vejentina eos tribu fuisse, quis neget? existimo autem P. Acuvio adscriptam tribum Tromentinam, quod e tredecim hisce Centumviris unus ille communem ceterorum tribum non haberet, vel etiam quo ab Acuvio altero non ejusdem tribus, ut ad inscr. cxIIII· admonui, certissimo indicio distingueretur. de M. autem Tarquitio mentio item fit in Marinianis fragmentis, in marmore nempe hujus nostri aequali, quemadmodum hac indicant litterae (4) ···· STI · F · AV ····· ST · XXX ····· M · TARQVITIVS ····· CVM · FIL · atque inter Marci Tarquitii filios censendum esse T. Tarquitium Rufum, verisimile est.

Scriptura denique consideranda est: aevo enim Tiberii scriptum vides *Genetricis, Impensis, Cenis, Graccus:* item vocalibus longis fere apicem impositum: sententias etiam invisa plane nota?, discriminis caussa, interpunctas. sed de his fusius alio loco mihi agendum erit.

CCCX· (Romae in Avent. rep.)

IMP · CAES · M · AVR · SEVERO · ALEXANDRO
COS · (5) EIDIB · APRILIBVS
CONCILIVM · CONVENTVS · CLVNIENS ·
G · (6) MARIVM · PVDENTEM · CORNELIA
NVM · LEG · LEG · C · V · (7) PATRONVM
SIBI · LIBERIS · POSTERISQVE · SVIS
COOPTAVIT · OB · MVLTA · ET · EGREGIA
EIVS · IN · SINGVLOS · VNIVERSOS
QVE · MERITA · PER · LEGATVM
VAL · MARCELLVM
CLVNIENSEM

(1) Ann. l. 4. c. 62.
(2) Tab. Heracl. in addend. et refing. p. 555.
(3) Plin. l. 10. ep. 23. et 46.
(4) Tiberio AnguSTI · F. AVgusto Tribunicia PoteSTate XXX.
(5) Cos. An. Varr. 975.
(6) *Gaium* sive *Caium*.
(7) *Legatum Legionis Clarissimum Virum*. sic apud Oderic. p. 199.

Anno, quo haec scribimus, MDCCLXXVI· prodiit Romae in Aventino tabula aenea hoc decreto nobilissima, quae jam ad museum Vaticanum pervenit. in hanc alii dum praeclaram explanationem adornarent, haec ego pauca subnotabam.

De annis imperii Antonini Elagabali, de die necis ejusdem, deque initio imperii Severi Alexandri multa et varia plane scripserunt ineunte hoc saeculo egregii antiquitatis cultores, Virginius Valsechius, Ioannes Vignolius, Philippus Torrius. contendebat Valsechius (1), Elagabalum occisum esse VI· idus Martias anno Christiano CCXXII· quod ex Dione sumebat, qui Elagabalum annos tres novemque menses ac dies quatuor imperium obtinuisse scripsit (2). contra Vignolius (3) in Dionis verbis mendum inesse arbitrabatur, et Elagabalum sublatum docebat eodem quidem anno, sed VI· idus Iulias. at Torrius contra Vignolium (4) de die, quo Elagabalus interfectus esset, cum Valsechio fere sentiebat, discrepabat ab utroque in annis imperii numerandis.

Iamvero pro Dione et Valsechio contra Vignolium hoc quoque Decretum Cluniense facere affirmo, vereque etiam in *Canone* S. Hippolyti Pontificis Portuensis idibus Aprilibus anno V· C· DCCCCLXXV· Christiano CCXXII· Severum Alexandrum imperio jam auctum perhiberi. Ετους Α Βασιλειας Αλεξανδρου Αυτοκρατορος εγενετο Η· ΔΙ· του Πασχα Ειδοις Απριλιαις . . . . (5)

Enimvero *Concilium* convocatum Cluniam dicitur idibus Aprilibus anno Varr. DCCCCLXXV· nam eo primum anno consulatum cum Elagabalo suscepit Alexander Caesar. nomen tamen collegae in Decreto non est adscriptum: qua de caussa? nisi qui Elagabalum jam occisum, et, tamquam hostis, nomen ejus e fastis, senatus jussu (6), erasum esse cognoverant. ita et Galbae nomen inscriptio XXXX· non refert, sed Vinium tantummodo collegam ejus, quod Othone Imperatore ne nominandus quidem Galba putaretur. quod si Clunienses idibus Aprilibus de Elagabali caede cognoverant, occisum eum mense Martio fatendum est, quum nuncii Cluniam nisi tertiodecimo post die, aut etiam serius, pervenire non potuerint. at cur, inquies, Alexander, siquidem Elagabalo jam successerat, nondum *Augustus* appellatur? quia nimirum ad Hispanos nondum perlatum fuerat Senatus Consultum, quo Imp. Caesari Severo Alexandro *Augusti* nomen cum reliquis titulis delatum erat. nam et Vignolius in ea sententia fuit, aliquot menses post Elagabali necem Alexandro in senatu acclamatum esse, iis scilicet acclamationibus, quas Lampridius mandavit litteris (7).

De Hispaniae conventibus haec Harduinus (8): *Quo tempore Romani Hispanias tenuere, suos in illis senatus judiciarios habebant, quos* Conventus Iuridicos *suo nomine appellabant. huc finitimi tamquam ad coloniae metropolim, jus petituri, et de controversiis, quae orirentur, disceptaturi conveniebant.* ita sane: quamquam *Conventus* nomine designari etiam videntur ipsae civitates et quasi pagus eorum, qui judiciorum caussa unam omnes communem urbem habebant, quo convenirent. sed illud explicari ab Harduino non parum intererat, isti judices indidem ne ex Hispania, an ex urbe essent. quippe conventus ibi olim esse dicebatur, quo praetor Romanus cum sua cohorte venisset, ut forum ageret, id est ut jus diceret. falluntur scilicet qui praetoribus aut proconsulibus sedem unam eamque fixam ac stabilem in oppido provinciae primario fuisse arbitrantur. circumire enim illi pleraque provinciae oppida debebant, et

(1) Diss. de initio Imperii Sev. Alex. Aug.
(2) l. 79. p. 1352. C.
(3) Diss. de anno I. Imperii Sev. Alex. Aug.
(4) Diss. de annis Imperii M. Anton. Elagab. ac de initio Imperii Sev. Alex.
(5) Bianch. de Cyclo p. 92.
(6) Lampr. in Elag. c. 17.
(7) in Alex. c. 6.
(8) ad Plin. l. 3. c. 1. n. 3.

in iis, quae reliquis civitatibus commodissima essent, conventus agere: qua de re sane luculenter a Maffejo scriptum est (1). porro Hispania citerior in conventus septem dividebatur, Carthaginiensem, Tarraconensem, Caesaraugustanum, Cluniensem, Asturum, Lucensem, Bracarum (2): in his oppidis praeses provinciae forum agebat, indicebatque concilium in certam diem, ut adessent, qui disceptare vellent (3), singuli quo eos convenire jus erat.

Ceterum de conventu juridico deque concilio, cui praetor sive proconsul praesset, sermonem in Decreto esse non puto: quis enim dixerit a praeside Hispaniae legatum legionis patronum esse cooptatum? praesertim quum ne nomen quidem ejus in Decreto legatur. id potius veri mihi quamsimillimum videtur, postquam Antonini Caracallae constitutione universis etiam Hispanis data civitas esset, id quoque iis esse concessum, ut, quibus in oppidis praesides Romani conventus agerent, in ea civitates, quae eidem conventui adtributae erant, legatos quotannis sive patres mittere possent in commune concilium ad publica totius conventus negotia expedienda: missos autem ex singulis oppidis praestantissimos, ut olim Amphictyones ad commune Graeciae concilium a singulis civitatibus mittebantur.

Quia vero in more jam positum erat, ut municipales senatus claros viros sibi patronos cooptarent; eodem modo ab Cluniensis Conventus Concilio Cajum Marium Pudentem cooptatum existimo. sed animadvertendum est, patronos istos haud parum differre cum iis, qui Patroni coloniae aut municipii dicebantur. nam etsi Gorius, qui multa de patronis congessit (4), discrimen hoc minime agnovisse videtur, apparet id tamen in Cn. Arrii inscriptione apud Gruterum (5), uti jam adnotaverat Damadenus (6), quae posita dicitur *Patrono Ordinis Et Coloniae:* item in illa Otacilii, quae hoc libro est LXXXXVIIII. in qua cum Aeclanenses, quum jam initio *Patronum* nominassent, sub finem *Patronum Municipii* appellant. sed nusquam apertius nobis *Patroni Ordinis* exhibentur, quam in albo Decurionum Canusinorum, de quo mentionem feci ad inscr. XXXXVII. dicuntur in eo Duumviri Quinquennales nomina Decurionum in aere incidenda curavisse: deinde tamquam primi Decurionum, *Patroni* describuntur triginta, qui omnes *Clarissimi Viri* vocantur: deinde septem alii *Patroni*, qui *Equites Romani* audiunt: post hos ordine eo, qui ab Vlpiano traditur (7), municipales decuriones digesti sunt. quare illud etiam liquet, primum hujusmodi *Patronos* non omnes ex municipio fuisse: neque enim credibile est, tot uno tempore Canusinos Romae senatores fuisse: tum eadem de caussa paucos aut neminem fortasse Canusii habitasse; sed tantum passos esse, ut nomina sua in Decurionum albo inciderentur, velut si ad eum ordinem pertinerent: quod ut non exiguum ejus municipii ornamentum fuit, ita patronorum decus aliquod erat, iis esse praelatos, quibus, quum cives Romani essent, aeque ut sibi, aditus Romae ad honores patebat.

Aliquando tamen in eum numerum quidam potentiorum filii cooptati, quum pueri essent, ut Plinius junior a Tifernatibus Tiberinis (8), et a Puteolanis T. Annonius Bojonius Chrysantius (9), qui *Ab Origine Patronus Ordinis* nominatur, quod jam et pater ejus fuisset. interdum etiam, minoribus praesertim in oppidis, *Patroni Ordinis* ex ipso fere decurionum numero lecti videntur: sic enim ad Terentium Correctorem Tusciae scripsere Valentinianus et Valens Augg. (10) *Vrbis Vulsiniensium Principales,*

(1) Ver. Illust. l. 8. p. 365. ed. I. v. Cic. ad Famil. l. 4. ep. 12.
(2) Plin. H. N. l. 3. c. 3. n. 4.
(3) Liv. l. 31. c. 26. n. 29.
(4) Inscr. t. 2. p. 198. etc.
(5) p. 365. n. 2.
(6) Tab. Canus. Expl. c. 21.
(7) l. 1. D. de alb. scrib.
(8) Plin. l. 4. epist. 1.
(9) Vignol. Inscr. Sel. p. 323.
(10) Cod. Theod. l. 61. de Decur.

qui tamen Patronorum adepti fuerint dignitatem, *hanc praerogativam laborum atque officiorum ferant, ne interdum ad libidinem prave consulentium, judicum gravibus adficiantur injuriis.*

In horum igitur patronorum ordinem honoris caussa adscriptus est hic Marius: cujus quidem nomen, si album haberemus patrum Conventus Cluniensis, quum legatus legionis fuerit, in prima classe sive inter Patronos cc· vv· legeremus. id vero satis declarat forma ipsius Decreti, quod in aenea tabula descriptum Marcellus legatus ad eum detulit. nam si Patronus Conventus totius, sponsione interposita, electus fuisset; profecto aliquid etiam adjectum esset de clientela et hospitio, de quibus ad Tabulas Hospitiorum dicemus: nec ille tam diserte praemii loco atque ob merita eooptatus diceretur.

Cluniam Finestres Hispanus auctor (1) in Vaccaeis fuisse tradit inter Pinciam et Vxamam. nunc vicus est, cui, Harduino teste (2), *Cruna* nomen: *ibi*, inquit, *Conventus Cluniensis repertum esse sigillum ajunt, et a loci domino adservari:* cui tamen in ea re haud multum invideas, velim. *in Conventum* autem *Cluniensem*, verba sunt Plinii, *Varduli ducunt populos* XIIII· *ex quibus Albanenses tantum nominare libeat: Turmodigi quatuor, in quibus Segisamonenses, Sagisamejulienses. in eundem conventum Carietes et Vennenses quinque civitatibus vadunt, quarum sunt Velienses. eodem Pelendones Celtiberorum quatuor populis, quorum Numantini fuere clari: sicut in Vaccaeorum* XVIII· *civitatibus Intercatienses, Pallantini, Lacobricenses, Caucenses. nam in Cantabricis quatuor populis Iuliobrica sola memoratur: in Autrigonum decem civitatibus Tritium et Virovesca. Arevacis nomen dedit fluvius Areva; horum sex oppida: Saguntia et Vxama,... praeterea Segovia et nova Augusta, Termes ipsaque Clunia Celtiberiae finis.* postrema haec Plinii verba Finestris auctoritatem elevant, et Cluniam in Arevacis fuisse, atque ipsam Vxamam in eorum finibus sitam ostendunt.

CCCXI· (Grut. p. 443. n. 6.)

C · VETTIO · ATTICO · ET
C · ASINIO · PRAETEXTATO · COS · (3)
PR · IDVS · APRIL ·

PELTVINI · VESTINIS · IN · CVRIA · AVG · ORDINEM · HABENTIBVS · T · AVIDIACCO · RESTITVTO · ET
BLAESIO · NATALE · AEDD · QQ · (4) SCRIBVNDO · ADFVERVNT · QVOD · VNIVERSI · VERBA · FECERVNT
NVMMIAM · VARIAM · C · F · (5) SACERDOTEM · VENERIS · FELICIS · EA · ADFECTIONE · ADQVE
PRONO · ANIMO · CIRCA · NOS · AGERE · COEPISSE · PRO · INSTITVTO · BENEVOLENTIAE · SVAE
SICVT · ET · PARENTES · EIVS · SEMPER · EGERVNT · VT · MERITO · DEBEAT · EX · CONSENS ·
VNIVERSORVM · PATRONA · PRAEFECTVRAE · NOSTRAE · FIERI · QVO · MAGIS · MAGISQVE
HOC · HONORE · QVI · EST · APVD · NOS · POTISSIMVS · TANTAE · CLARITATI · EIVS
OBLATO · DIGNATIONE · BENIGNITATIS · EIVS · GLORIOSI · ET · IN · OMNIBVS · TVTI · AC
DEFENSI · ESSE · POSSIMVS · Q · D · E · R · F · P · D · E · R · I · C · (6)
PLACERE · VNIVERSIS · CONSCRIPTIS · NVMMIAE · VARIAE · C · F · SACERDOTI · VENERIS

(1) Inscr. Catal. Cl. 3. n. 68.
(2) ad Plin. l. 3. c. 3. n. 4.
(3) Anno Varr. 995.
(4) *Aedilibus, Quinquennalibus.*
(5) C. F. *Clarissimam Feminam.*
(6) *Quod De Ea Re Fieri Placuit, De Ea Re Ita Censuerunt.*

FELICIS · PRO · SPLENDORE · DIGNITATIS · SVAE · PATROCINIVM · PRAEFECTVRAE · NOSTRAE
OFFERRI · PETIQVE · AB · EIVS · CLARITATE · ET · EXIMIA · BENIGNITATE · VT · HVNC
HONOREM · SIBI · A · NOBIS · OBLATVM · LIBENTI · ET · PRONO · ANIMO · SVSCIPERE · ET
SINGVLOS · VNIVERSOSQVE · NOS · REMQVE · PVBLICAM · NOSTRAM · IN · CLIENTELAM
DOMVS · SVAE · RECIPERE · DIGNETVR · ET · IN · QVIBVSCVMQVE · RATIO · EXEGERIT
INTERCEDENTE · AVCTORITATE · DIGNITATIS · SVAE · TVTOS · DEFENSOSQVE · PRAESTET
TABVLAMQVE · AENEAM · HVIVS · DECRETI · N · VERBA · CONTINENTEM · OFFERRI · EI · PER
AVIDIACCVM · RESTITVTVM · ET · BLAESIVM · NATALEM · QQ ·
ITEM · NVMISENVM · CRESCENTEM · ET · FL · PRISCVM · PRIMORES · ORD · N · VIROS · CENSVER ·

De Nummia Varia mentio item fit apud Muratorium (1) in honoraria inscriptione, quam ei Plebs Peltuinas posuit. hoc autem Peltuinatium Decreto usus est Mazochius (2), ut ostenderet, post Augustum omnes per Italiam Praefecturas suos sibi magistratus creavisse, suumque habuisse commune consilium, ut erat in coloniis et municipiis. mihi tamen post Augustum nomina potius et tituli, quam res coepisse videtur, semperque in Praefecturis publicum aliquod consilium fuisse, quod fortasse *Conventum* appellabant. haec enim de Capua, quae Praefectura fuerat, ac deinde colonia deducta erat, Tullius (3) diserte scripsit: *Qua de caussa et tum conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo, me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit; et hoc tempore iidem homines,* nomine commutato, *coloni decurionesque fortissimi atque optimi viri beneficium P. Sextii testimonio declarant, periculumque Decreto suo deprecantur.* nempe civitate Italiae toti jam data, cur ii cives, qui in Praefecturis erant, consilio publico carere debebant, quum et Romae sua plebi conventicula et quasi concilia essent (4)? id satis erat discriminis inter Praefecturas et municipia atque colonias, quod illae Praefectum juri dicundo ab urbe acciperent, in his Duumviri aut Quatuorviri jus dicerent: qua de re dixi ad inscr. CCXXX· *Conventus* autem nomine ipsi quidem cives Romani, qui Capuae erant, ut Giovenazzius censet (5), designantur, et eo item nomine appellantur a Caesare (6); sed quum Patronum adoptasse Tullium dicantur, nec id nisi decreto aliquo fieri potuerit; ipsis etiam coire licuisse, atque adeo in Praefectura quoque consilium publicum fuisse, fatendum est, quod ipsum *Conventus* dici potuit.

Peltuini Mazochio est idem atque *Peltuinates,* ut plebem scilicet in curiam introduceret. mihi oppidi nomen est patrio casu: *Peltuinum* enim dictum esse, ostendit Giovenazzius (7), et oppidanos *Peltuinates,* qui fortasse apud Frontinum *Peltuini* etiam dicti, sed lectio incerta est. fere autem Decreta initio urbis nomen habent, ut apud Norisium (8), *XIII. K. Octobr. Pisis In Foro In Augusteo Scrib. Adfuer.* oppidum *Vestinis* sive in Vestinis esse dicitur, quos Plinius (9) Marrucinis Sabinisque finitimos facit: neque id tamen adjectum, ut fieri solebat, quia alterum alicubi cogno-

(1) p. 544. n. 1.
(2) Tab. Heracl. part. 2. p. 396.
(3) pro Sext. c. 4. n. 9.
(4) Cic. pro Domo sua c. 28. n. 74.
(5) Aveja p. 123.
(6) B. C. l. 1. c. 8. n. 14.
(7) Aveja p. 119.
(8) Cenot. Pis. 2.
(9) H. N. l. 3. c. 5. n. 6.

mine oppidum esset, sed omnino quia in Vestinis erat: quemadmodum et Avejates item *Vestini* cognominati sunt, quod iisdem finibus continerentur (1).

Quia vero et Peltuinum a Frontino Colonia dicitur, et in hoc decreto Curia Augusta nominatur; existimat Giovenazzius, coloniam ab ipso Augusto esse deductam, ita tamen, ut in praefecturarum numero relinqueretur: eodemque modo municipium quoque appellatam, ut in veteri inscriptione deprehendit (2).

At quinam scribundo adfuerunt, id est testes vocati interfuere, quum publice decretum perscriberetur? ii nimirum, qui adesse debebant, sive tot numero decuriones, quot lex adesse jubebat: quorum ego nomina omissa puto, quia de qua re universi consensu maximo verba fecissent, nulla jam oriri controversia posse videbatur.

Aediles summus Peltuini magistratus, post Praefectum juri dicendo, qui indidem non erat: itaque hi *Ordinem* sive senatum habuisse dicuntur. iidem jam Quinquennales designati, municipalem censuram non ante gerere debebant, quam aedilitate functi essent. idcirco sub finem decreti *Quinquennales* tantum appellantur: siquidem non nisi post aedilitatem quando a Praefectura abesse eos fas erat, una cum Crescente et Prisco qui fortasse *Primores* dicuntur, quod e Decem Primis essent, ad Numniam Variam legati cum Decreto Romam proficisci debebant.

Romae scilicet Variam, sacerdotio Veneris praeditam (3), habitasse puto. templum decem columnarum cum titulo VENERI FELICI exhibet nummus Antonini Pii, quem Vaillantius (4) memorat, Gessnerus expressum vulgavit (5). id templum in urbe fuisse, ipse nummus, quum Romae cusus fuerit, satis declarat. quamquam de eo nihil habet Nardinus, ut neque de ipsa *Venere Felici* Giraldus: quam a Romanis eo cognomine auctam dixeris potissimum ob gentem Iuliam, quae ab illa Aeneadum Genetriee orta, novissimo tempore ad principatum pervenerat. de sacerdotibus Veneris dixi ad inscr. CCCI.

Extremum Decreti verbum est *Censuerunt:* quod tum denique additum existimo, quum ipsum Decretum jam perscriptum, in curia quoque recitatum esset, et communi decurionum consensu approbatum. nam illud verbum etiam approbantis est, ut saepe apud Comicos (6). additum etiam aliquando est, ut in legibus qui primus scivisset, ita in decretis qui primus censuisset: exemplum invenies apud Donium (7) *Censuerunt. Primus Censuit C. Lucretius Helvianus.*

(1) Giov. Avej. p. 12. etc.
(2) ibid. p. 120.
(3) v. Reines. Cl. 5. n. 12.
(4) t. 1. p. 79. ed. Rom.
(5) Imp. Rom. tab. 100. n. 7.
(6) Terent. Eun. 2. 1. 11. Plaut. Rud. 4. 8. etc.
(7) Cl. 2. n. 64.

PARS III.

TABVLAE FOEDERVM ET HOSPITIORVM

§. I.

TABVLAE FOEDERVM

CCCXII. (Liv. l. 38. c. 24. n. 38.)

AMICITIA · REGI · ANTIOCHO · CVM · POPVLO · ROMANO
HIS · LEGIBVS · ET · CONDITIONIBVS · ESTO

NE · QVEM · EXERCITVM · QVI · CVM · POPVLO · ROMANO · SOCIISVE · BELLVM · GESTVRVS · ERIT REX · PER · FINES · REGNI · SVI · EORVMVE · QVI · SVB · DITIONE · EIVS · ERVNT · TRANSIRE SINITO · NEV · COMMEATV · NEV · QVA · ALIA · OPE · IVVATO · IDEM · ROMANI · SOCIIQVE ANTIOCHO · ET · IIS · QVI · SVB · IMPERIO · EIVS · ERVNT · PRAESTENT

BELLI · GERENDI · IVS · ANTIOCHO · NE · ESTO · CVM · IIS · QVI · INSVLAS · COLVNT · NEVE · IN EVROPAM · TRANSEVNDI

EXCEDITO · VRBIBVS · AGRIS · VICIS · CASTELLIS · CIS · TAVRVM · MONTEM · VSQVE · AD · HALYN · AMNEM · ET · A · VALLE · TAVRI · VSQVE · AD · IVGA · QVA · IN · LYCAONIAM · VERGIT

NE · QVA · ARMA · EFFERTO · EX · IIS · OPPIDIS · AGRIS · CASTELLISQVE · QVIBVS · EXCEDAT · SI QVA · EXTVLIT · QVAE · QVOQVE · OPORTEBIT · RECTE · RESTITVITO

NE · MILITEM · NEV · QVEM · ALIVM · EX · REGNO · EVMENIS · RECIPITO · SI · QVI · EARVM VRBIVM · CIVES · QVAE · REGNO · ABSCEDVNT · CVM · REGE · ANTIOCHO · INTRAQVE · FINES EIVS · REGNI · SVNT · APAMEAM · OMNES · ANTE · DIEM · CERTAM · REDEANT · QVI · EX REGNO · ANTIOCHI · APVD · ROMANOS · SOCIOSQVE · SVNT · IIS · IVS · ABEVNDI · MANENDIQVE · ESTO

SERVOS · SEV · FVGITIVOS · SEV · BELLO · CAPTOS · SEV · QVI · LIBER · CAPTVS · AVT TRANSFVGA · ERIT · REDDITO · ROMANIS · SOCIISQVE

ELEPHANTOS · TRADITO · OMNES · NEQVE · ALIOS · PARATO

TRADITO · ET · NAVES · LONGAS · ARMAMENTAQVE · EARVM · NEVE · PLVRES · QVAM · DECEM NAVES · ACTVARIAS · NVLLA · QVARVM · PLVS · QVAM · $\overline{XXX}$ · REMIS · AGATVR · HABETO NEVE · MONEREM · EX · BELLI · CAVSSA · QVOD · IPSE · ILLATVRVS · ERIT · NEVE · NAVIGATO CIRCA · CALYCADNVM · NEVE · SARPEDONEM · PROMONTORIA · EXTRA · QVAM · SI · QVA · NAVIS PECVNIAM · STIPENDIVM · AVT · LEGATOS · AVT · OBSIDES · PORTABIT

MILITES · MERCEDE · CONDVCENDI · EX · IIS · GENTIBVS · QVAE · SVB · DITIONE · POPVLI ROMANI · SVNT · ANTIOCHO · REGI · IVS · NE · ESTO · NE · VOLVNTARIOS · QVIDEM · RECIPIENDI

RHODIORVM · SOCIORVMVE · QVAE · AEDES · AEDIFICIAQVE · INTRA · FINES · REGNI · ANTIOCHI SVNT · QVO · IVRE · ANTE · BELLVM · FVERVNT · EO · RHODIORVM · SOCIORVMVE · SVNTO · SI QVAE · PECVNIAE · DEBENTVR · EARVM · EXACTIO · ESTO · SI · QVID · ABLATVM · EST · ID CONQVIRENDI · COGNOSCENDI · REPETENDIQVE · IVS · ITEM · ESTO

SI · QVAS · VRBES · QVAS · TRADI · OPORTET · II · TENENT · QVIBVS · ANTIOCHVS · DEDIT · EX IIS · PRAESIDIA · DEDVCITO · VTIQVE · RECTE · TRADANTVR · CVRATO

ARGENTI · PROBI · ATTIC · TALENT · $\overline{XII}$ · MILLIA · DATO · INTRA · DVODECIM · ANNOS PENSIONIBVS · AEQVIS · TALENTVM · NE · MINVS · PONDO · $\overline{LXXX}$ · ROMANIS · PONDERIBVS PENDAT · ET · TRITICI · $\overline{DXXXX}$ · MILLIA · MODIVM

EVMENI · REGI · TALENTA · $\overline{CCCL}$ · INTRA · QVINQVENNIVM · DATO · ET · PRO · FRVMENTO QVOD · AESTIMATIONE · FIAT · TALENTA · $\overline{CXXVII}$ ·

OBSIDES · ROMANIS · $\overline{XX}$ · DATO · ET · TRIENNIO · MVTATO · NE · MINORES · OCTONVM · DENVM ANNORVM · NEV · MAIORES · QVINVM · QVADRAGENVM

SI · QVI · SOCIORVM · POPVLI · ROMANI · VLTRO · BELLVM · INFERENT · ANTIOCHO · VIM · VI ARCENDI · IVS · ESTO · DVM · NE · QVAM · VRBEM · AVT · BELLI · IVRE · TENEAT · AVT · IN AMICITIAM · ACCIPIAT · CONTROVERSIAS · INTER · SE · IVRE · AC · IVDICIO · DISCEPTATO AVT · SI · VTRISQVE · PLACEBIT · BELLO

Antiocho Asiae regi ab L. Scipione devicto pax primum a senatu populoque R. data, quibus legibus ipse imperator dedisset, foedusque in Capitolio cum Antipatro principe legationis et eodem fratris filio regis Antiochi ictum (1), deinde legati decem in Asiam missi ad res disceptandas componendasque. ergo Apameae in Phrygia, ut ex Appiano constat (2), quo Cn. Manlius Cos. regis legatos venire jusserat, ex decem legatorum Romanorum sententia *foedus in haec verba fere*, ut ait Livius (3), *cum Antiocho conscriptum est*. fere utique: nam artifici illo Livii stilo, quae horridula essent, exculta nonnihil atque perfecta esse, recte existimaveris: quippe L. Scipionis aetate majorem Romani in rebus gerendis, quam in scribendis, operam ponebant.

Vsque Ad Halyn Amnem: plerique librorum *Tanaim* habent: sed *Halyn* probat Gronovius et Doujatius, nec immerito: Tanais enim Europam ab ea Asiae parte sejungit, in qua etiam post bellum Asiaticum aliquatenus Antiochum regnasse constat. ab Haly contra ora Paphlagoniae finitur, qui hanc et Cappadociam a Leucosyris dividit. itaque hoc amne circumscriptum Antiochi regnum videtur.

Et A Valle Tauri: haec ubi fuerit, satis haud liquet. Doujatius regionem esse putat, quae Tauri velut brachiis conclusa a Pamphylio mari in Isauriam et Lycaoniam protenditur: ita ut in Asia minori solam Antiocho Ciliciam relictam fuisse appareat.

Ne Militem Neu Quem Alium Ex Regno Eumenis: Hic ille Eumenes Attali filius, Pergami rex, quem, quia eximia ejus erga Romanos fides et opera bello Asiatico fuerat, hoc senatus praemio affecit, ut quae cis Taurum montem intra regni Antiochi fines fuissent, praeter Lyciam Cariamque usque ad Maeandrum amnem, omnia ei attribueret (4).

Tradito Et Naves Longas: Ne a Polybio, quem fere sequitur, dissentire hoc loco Livius videatur, sic legendum censebat Gronovius: *Tradito et naves longas armamentaque earum; neve plures, quam decem naves, actuariam nullam, quae triginta remis agatur, habeto, neve monerem ex belli caussa, quod ipse illaturus erit*. Polybius certe ita rem eandem exposuit (5): Απιδοτω δε και τας ναυς τας μακρας, και τα εκ τουτων αρμενα και τα σκευη, και μηκετι εχετω πλην Ι΄ καταφρακτων, μηδε τριακοντοκωπον

(1) Liv. l. 37. c. 38. n. 55. an. Varr. 565.
(2) Bell. Syr. p. 113. A.
(3) l. 38. c. 24. n. 58.
(4) Liv. l. 37. c. 38. n. 55.
(5) in excerpt. n. 35. *Tradito autem et naves longas cum instrumento carum et apparatu, neu jam alias habeto, nisi constratas decem: neve ullam ex his plus quam triginta remis actam, neve hanc belli caussa, cui ipse praesit.*

εχετω ελαυνομενην, μηδ' αυτο πολεμου ενεκεν, ου αυτος καταρχη. decem nimirum naves longas, quas easdem esse ac tectas putabat, ex omni numero relictas Antiocho arbitrabatur Gronovius, actuariam nullam. atqui naves longas sive μακρας a tectis sive constratis distinguit Polybius, quas καταφρακτας appellat. nec tamen credibile est, concessas esse Antiocho naves constratas, quae pugnarum navalium caussa inventae sunt (1); sed actuarias potius relictas, quas Livius nominat, dum ne plus, quam triginta remos, haberent, quibus nempe pecuniam, stipendium, legatos, obsides Romam mitteret. erat enim actuaria navis, qua maxime ad onera celeriter transportanda utebantur (2), non ad pugnam: eaque velis remisque agebatur: *Moneris* autem dicta, quae simplici remorum ordine instructa esset, ac in navalibus pugnis usui esse posset. rectius igitur mendum quis in Polybio potius esse, quam in Livio suspicetur: aut certe hoc statuat, quae naves a Polybio καταφρακται dicuntur, pro actuariis accipiendas esse. ceterum Appianus naves armatas duodecim Antiocho relictas scribit, et permissum, ut pluribus uti posset ad repellendum bellum (3).

Calycadnus Ciliciae fluvius et promontorium, quod *Zephyrium* quoque appellatum esse putat Cellarius (4): promontorium alterum *Sarpedon*, utrumque haud procul Seleucia contra Cyprum.

Argenti Probi Atticorum Talentorum duodecim millia. Talenta majora dare Antiochus jubetur; additur enim *Talentum Ne Minus Pondo LXXX.* Atticum quippe Talentum, quod *Minus* dixere, constabat Minis sexaginta; at *Majus* octoginta. Mina vero ipsa sive libra a Solonis aetate drachmas centum continebat, quae fere denarios Romanos centum aequabant, quare *Pondo LXXX.* est Minis sive libris argenti LXXX. quae sunt denariorum octo millia, vel sestertiûm triginta duo millia nummûm. quum igitur Antiochus intra duodecim annos pensionibus aequis Atticorum Talentorum duodecim millia dare deberet, Romam quotannis talenta mille, id est scutatorum nummorum octingenta millia eum mittere oportebat. talenta haec majora Tullius quoque memorat in oratione pro Rabirio Postumo (5), ubi ait, *Quid vociferabare, decem millia talentûm Gabinio esse promissa?* subjecit enim, *Huic videlicet perblandus reperiendus fuit, qui hominem, ut tu vis, avarissimum exoraret, sestertiûm bis millies et quadringenties ne magnopere contemneret.* nimirum si de talentis minoribus loquutus esset, dixisset, HS· *millies et octingenties*, ut tute deprehendes, si diligenter rationem duxeris (*a*).

Et Pro Frumento: Polybius sic reddidit: Αποδοτω και του σιτου, καθως ετιμησεν ὁ βασιλευς Αντιοχος, ταλαντα PKZ': nempe *sicut aestimavit rex Antiochus*. summa igitur, quae ab eo, frumenti nomine Eumeni solvenda erat, a pretio desumebatur, quo ipse Antiochus frumentum illud aestimaverat, quo exercitus suos aluisset: eaque ipsius aestimatione fiebat Talentorum centum viginti septem. Eumenes nempe, uti de se ipse gloriatur apud Livium (6), Romanos imperatores adjuverat, et commeatus terra marique suppeditaverat. hos tum sumptus Romani pecunia Antiochi compensabant.

Foederis conditionibus descriptis adjecit Livius: *De Annibale Poeno et Aetolo Thoante et Mnasimacho Acarnane et Chalcidensibus Eubulida et Philone dedendis, in hoc quoque foedere adscriptum est: et ut si quid postea addi, demi, mutarive*

(1) Plin. H. N. l. 7. c. 56. n. 57.
(2) Caes. B. G. l. 5. c. 1. n. 1. et B. C. l. 1. c. 24. n. 27.
(3) Bell. Syr. l. c.
(4) l. 3. c. 6. sect. 3. n. 42.
(5) cap. 8. n. 21.
(*a*) Quin imo apertum est, hic Ciceronem de talentis Atticis minoribus loquutum fuisse; etenim decem talenta attica minora, quae sexaginta minis seu libris constabant, conficiunt drachmas seu denarios 60,000,000, quae si in sestertios convertantur, habebis sestertiûm bis millies et quadringenties, ut ait Cicero: si vero de majoribus talentis loquutus fuisset, dixisset, sestertiûm ter millies et ducenties.
(6) l. 37. c. 56. n. 53.

placuisset, ut id salvo foedere fieret: quae a Polybii verbis parum aut nihil discrepant.

Addit Appianus, hoc foedus in aere incisum, ut alia foedera solebant, in Capitolio fixum esse: ejus autem exemplar Manlio Vulsoni, quem Scipio successorem habuerat, transmissum esse: hunc coram legatis Antiochi in ejusdem foederis leges jurasse; missumque Thermum Trib. qui ab ipso rege jusjurandum acciperet.

CCCXIII. (Fabr. p. 673. n. 13.)

C · VMMIDIO · DVRMIO · QVADRATO
LEG · C · CAESARIS · GERMANICI · IMP ·
PR · PRAET ·

IVSIVRANDVM · ARILIENSIVM
EX · MEI · ANIMI · SENTENTIA · VT · EGO · IIS · INIMICVS · ERO · QVOS · C · CAESARI · GERMANICO
INIMICOS · ESSE · COGNOVERO · ET · SI · QVIS · PERICVLVM · EI · SALVTIQ · EIVS · INFERET
INTVLERITQVE · ARMIS · BELLO · INTERNECINO · TERRA · MARIQVE · PERSEQVI · NON · DESINAM
QVOAD · POENAS · EI · PERSOLVERIT · NEQVE · ME · LIBEROS · MEOS · EIVS · SALVTE · CARIORES
HABEBO · EOSQVE · QVI · IN · EVM · HOSTILI · ANIMO · FVERINT · MIHI · HOSTES · ESSE · DVCAM
SI · SCIENS · FALLO · FEFELLEROVE · TVM · ME · LIBEROSQVE · MEOS · IVPITER · OPTIMVS
MAXIMVS · AC · DIVVS · AVGVSTVS · CAETERIQVE · OMNES · DI · IMMORTALES · *EXPERTEM*
PATRIA · INCOLVMITATE · FORTVNISQVE · OMNIBVS · FAXINT · · · · · (1) DIE · V · IDVS
MAI · IN · ARILIENSE · OPPIDO · VITIRI
CN · ACERRONIO · PROCVLO · C · PETRONIO · PONTIO · NIGRINO · COS · (2)
VEGETO · TALLICI · MAG · IBIONARIONI · · · · ·

Vmmidius hic pater est Vmmidiae Quadratillae, de qua dixi ad inscr. CCXXXVI. eum ex tribu Terentina fuisse, docet nos inscriptio honoraria, quam a Fabretto acceptam vulgavit Norisius (3): in qua item honores Vmmidii sic recensentur: *Cos. XV. Vir. S. F. Leg. Ti. Caesaris Aug. Prov. Lusit. Leg. Divi Claudi In Illyrico, Ejusdem Et Neronis Caesaris Aug. In Syria, Procos. Provinc. Cypri, Q. Divi Aug. Et Ti. Caesaris Aug. Aed. Cur. Pr. Aer. X. Vir. Stilit. Iud. Curat. Tabular. Publicar. Praef. Frum. Dandi Ex S. C.*

Quaestura igitur sub exitum imperii Augusti et principatus Tiberii initio gesta, deinde aedilitate curuli et praetura aerarii functus, consul suffectus fuit. Cyprum postea provinciam pro consule administravit: tum legatus pro praetore a Tiberio Lusitaniae impositus est: ex qua nondum decesserat, quum Tiberius obiit: obiit autem iisdem consulibus, quos hic adscriptos vides, XVII. cal. Apr. (4). enimvero simulatque nuncii in Lusitaniam venere, Tiberium e vivis excessisse, ac imperare Cajum, civitates omnes in hunc jurare jussae τους ορκους, ut ait Dio (5), τους εις την αρχην αυτου, quod jam ab Augusti principatu in more fuisse videtur. nondum autem eo perlatum fuerat senatus consultum, cujus ipse Cajus teste Svetonio (6) auctor fuerat, *Vt omnibus sacramentis adjiceretur, Neque Me Liberosque Meos Cariores Habebo Quam Cajum Et Sorores Ejus:* nihil enim in hoc jurejurando de Sororibus ejus adjectum est. hujus porro non admodum dissimiles formulas apud Livium (7) invenies. tabulas hujusmodi quo-

(1) ..... *Actum.*
(2) An. Varr. 790.
(3) de Epoch. Syrom. diss. 3. p. 183.
(4) Svet. in Tib. c. 73. n. 2.
(5) l. 59. p. 904. E.
(6) in Cajo c. 15. n. 8.
(7) l. 1. c. 9. n. 24. l. 22. c. 29. n. 53.

cumque in municipio propositas fuisse puto, quae admonerent, cui fidem suam municipes obligassent.

Celebratur a Fabretto multis laudibus Vincentii Vidaniae in hanc tabulam commentarius, quem ego nusquam invenire potui: hic, ubi exesae robigine litterae, EXVLEM legendum censebat: Fabrettus maluit EXPERTEM, quod sane probandum est: at illud non item, quod pro *Ariliensium* supponat *Aritiensium*, quia nempe *Aritium* diserte Ptolemaeus (1) in Lusitania, ubi monumentum repertum est, situm scripserit, inter Vacuam et Durium amnes, non longe ab oceani occidentalis ora. quidni enim in Ptolemaeo mendum esse potius credam, et a librariis quod erat *Arilium*, factum esse *Aritium?* extremo denique versu Duumviri scripti, sed litterae aliquot desunt.

Ad hunc maxime articulum hanc ego tabulam pertinere putavi, primum quod foedera omnia jurejurando sancirentur; tum quod ea conditiones quodammodo repraesentare mihi videretur, quibus Arilienses in potestatem populi R. venissent.

§. II.

TABVLAE HOSPITIORVM

CCCXIIII. (Grut. p. 470. n. 2.)

L · SILANO · FLAMINE
MARTIALI · C · VELLAEO
TVTORE · COS · (2) (*a*)
NON · DECEMBR ·

SENATVS · POPVLVSQVE · SIAGITANVS · HOSPI
TIVM · FECERVNT · CVM · C · SILIO · C · F · FAB · (3) AVIOLA
TRIB · MIL · LEG · IIII · AVG · PRAEFECTO · FABRVM
EVMQVE · POSTEROSQVE · EIVS · SIBI · POSTERIS
QVE · SVIS · PATRONVM · COOPTAVERVNT
C · SILIVS · C · F · AVIOLA · EOS · POSTEROSQVE
EORVM · IN · FIDEM · CLIENTELAMQVE · SVAM
RECEPIT · AGENTE · CELERE · MILCHONIS
GVLASSAE · FILIO · SVFETE

Quia aes varios in usus conflari poterat, immanibusque barbaris multo carius erat, quam litterae; idcirco tabularum hujusmodi exiguus exstat numerus, quae plurimae esse deberent. quid enim in Romana republica antiquius quam hospitia et clientelae? Halicarnasseus Dionysius non plebem modo urbanam in clientela patriciorum fuisse scripsit (4), sed colonias quoque, et sociorum urbes ac foedcratos populos, et eos ipsos, qui victi essent: quorum ii saepe patroni exstiterc, qui eos armis subegissent: sic Fabii Allobrogum, Marcelli Siculorum fuerunt. patronos item suis temporibus fuisse urbibus singulis tradit Appianus (5): Ἁπασαις πολεσιν εστι τις εν Ρωμη Προστατης:

(1) lib. 2. c. 5.
(2) Cos. suff. an. Varr. 763.
(a) Marinius Frat. Arv. p. 788. multis de caussis addubitat, num reapse hoc anno hi consules suffecti processerint, an potius multo serius, nempe post an. Varr. 780.
(3) *Fabia tribu*.
(4) l. 2. p. 85.
(5) Bell. Civ. l. 2. p. 430.

quamquam alios nobis inscriptiones aliquando offerunt, quam ipsarum urbium patronos, de quibus Appianus loquitur (1).

Ea porro in his patroni cooptandi ratio fuisse videtur, primum ut decretum in curia fieret, quod ipsum in aere incisum patrono donum mitterent: deinde ut legati, qui decretum ferebant, cum patrono publice agerent, hospitioque cum eo, civitatis suae nomine, facto, ejus quoque stipulationis verba in tabula aerea incidenda curarent. huc pertinet, quod supra attuli, decretum Peltuinatium: addo et particulam ex decreto Ferentinatium (2): *Placere Conscriptis, Legatos Ex Hoc Ordine Mitti Ad T. Pomponium Bassum Clarissimum Virum, Qui Ab Eo Impetrent in Clientelam Amplissimae Domus Suae Municipium Nostrum Recipere Dignetur, Patronumque se Cooptari Tabula Hospitali Incisa, Hoc Decreto In Domo Sua Posito, Permittat. Censuere.*

Iam vero stipulatio ipsa quibus verbis conciperetur, hic habes et in altero exemplo, quod subjiciam: cujus generis binae aliae tabulae exstant, quibus idem Silius patronus cooptatur, omnes urbium Africanarum. nam praeter Senatum Populumque Siagitanum, ac Civitatem Themetram, Civitas quoque *Apisia Majus* (3) et *Senatus Populusque Thiniligensis* (4) cum eodem Silio Aviola hospitium fecisse, eumque sibi patronum cooptasse dicuntur. nec fere aliae sunt formulae in binis tabulis, quae recentioris aetatis sunt, Crispo nempe et Constantino Cos. scriptae, nisi quod in altera (5) Municipes Municipii T. Aelii Hadriani Aug. Civilitani Q. Aradium Rufinum patronum cooptasse dicuntur, *Tesseramque Hospitalem Cum Eo Fecisse:* in altera (6) Ordo Mididitanorum cum eodem Aradio *Hospitium Amicitiamque Fecisse,* et ipsum patronum cooptasse. sed in hac Siagitanorum tabula illud singulare duxeris, eos ab Aviola in clientelam ita recipi, ut liberorum posterorumque suorum fidem ipse non obliget: quum Siagitani tamen non ipsum solum, sed liberos quoque et posteros ejus patronos cooptassent. id autem mihi indicio est, verba illa *Liberos Posterosque, Liberis Posterisque* dicis caussa adjecta esse, ac patrono demortuo, novam confici tabulam, hospitiumque cum filio ejus renovari oportuisse. hospitii certe renovandi consuetudinem olim fuisse Tullius significat, C. Caesarem pro rege Dejotaro sic adloquens (7): *Tu illius domum inire, tu vetus hospitium renovare voluisti:* confirmant tabulae duae apud Sponium (8), in quibus diserte *hospitium renovari* dicitur.

Verum illud jam discere licet, quod a Tomasinio neglectum est, qui patroni municipiorum erant, eosdem et hospites eorum fuisse, nec nisi hospitio publice facto patronos cooptari solitos. quid sane aliud clamant tabulae istae? aut quid apertius, quam quod Ferentinates a Pomponio Basso petebant, ut se patronum cooptari *Tabula Hospitali* permitteret? neque id tamen non antiquiorum etiam auctoritatibus confirmari potest. scripserat Tullius de Balbo (9): *Hospitium multis annis ante hoc tempus cum L. Cornelio Gaditanos fecisse publice dico: proferam testes, proferam legatos.* idem paullo post subjecit haec (10): *Adsunt principes civitatis et defendunt: amore ut suum civem, testimonio ut nostrum, officio ut ex nobilissimo civi sanctissimum hospitem, studio ut diligentissimum* Defensorem *commodorum suorum.* quippe *Defensor* idem erat ac *Patronus,* ut apud Tullium ipsum (11) et in veteribus etiam inscriptionibus, quod jam Damadenus animadvertit (12). id ipsum docere nos Tullius videtur in oratione quarta

(1) v. inscr. 310.
(2) Gorius Inscr. t. 1. p. 65.
(3) Grut. p. 470. n. 1.
(4) Maff. Inst. Dipl. p. 38.
(5) Tomasin. de Tess. Hosp. p. 18.
(6) in Mus. Kircher.
(7) c. 3. n. 8.
(8) Misc. p. 278.
(9) in Orat. pro Balb. c. 18. n. 41.
(10) ibid. c. 19. n. 43.
(11) pro Mil. c. 15. n. 39.
(12) Tab. Canus. Expl. c. 21. Grut. p. 455. n. 2.

contra Catilinam, ubi *Clientelas cum Hospitiis provincialibus* conjunxit (1). nec leve est testimonium, quod ex ejusdem in Verrem orationibus proferri potest. dixerat ille in Divinatione (2), ob quaesturam a se ex Sicilorum voluntate gestam factum esse, uti quum summum in veteribus patronis multis, quorum praecipui erant Marcelli, tum nonnullum etiam in se praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur: quibus verbis satis, opinor, expressit, se patronum ab iis esse cooptatum. at in libro quarto Actionis secundae (3), quum narrasset, quae se et fratre praesentibus in Curia Syracusanorum acta essent, adjecit, *Discessi cum fratre e curia, ut nobis absentibus, si quid vellent, decernerent: decernunt statim, primum ut cum Q. fratre* Hospitium *publice fieret, quod is eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. id non modo tum scripserunt, verum etiam in aere incisum nobis tradiderunt.* nempe ut jam Marcum habebant, ita Quintum habere Patronum voluerunt, quod eandem in hoc erga se benevolentiam inesse cognovissent.

Plures autem unius urbis patronos saepe fuisse, eundem virum multorum aliquando municipiorum patronum esse factum, Norisius jam (4) et Gorius ostenderunt (5). hi porro quum eas civitates in fidem clientelamque suam se recepisse professi essent, ejus rei ergo nunquam commodis earum deesse solebant: ipsos patrocinium singularum, ubi opus esset, suscipere, ipsos causas in senatu et ad populum agere, officii erat. earundem controversias senatus decreto saepe a patronis diremptas, eaque judicia ab eodem confirmata esse, Dionysius Halicarnasseus auctor est (6). quibus beneficiis hanc vicissim gratiam provinciales referebant, ut eos quotiescumque in provinciam venirent, publice hospitio quam magnificentissimo acciperent. neque enim hospitium hoc ita, ut inter privatos, mutuum semper fuisse puto: quum in vetustioribus tabulis hospitalibus Civitates quidem hospitium se fecisse dicant; at patroni nil aliud quam eas se in fidem clientelamque suam recepisse testentur: quamquam legatos urbium apud patronum Romae deversatos esse, credibile est. ipsae autem tabulae binae erant eodem exemplo (7), quarum altera apud patronum, altera apud clientes adservabantur, quae singulos de officio suo admonerent (8).

Mirum videri possit, consulem Silanum etiam Flaminem Martialem hic dici: neque enim consulibus, quum ad notam temporis cierentur, honores reliqui aut sacerdotia adscribi solebant. hujus ego rei non aliam esse caussam reor, quam quod inter consules suffectos, nam in ordinariis nullus est, alter per ea tempora fuerit, qui eodem modo *L. Silanus* appellaretur. sic fere apud Tullium (9) P. Licinius Crassus *Consul* et *Pontifex Maximus*, L. Valerius Flaccus *Consul* et *Flamen Martialis* dicuntur.

Quod oppidum, qui fines fuerint Siagitanorum, difficile est certis demonstrare signis. sed eos in Africa fuisse, indicant Punica nomina, et *Sufes* Poenorum summus magistratus: in regione Zeugitana fortasse statuendi sunt, quae proprie Africa dicebatur (10), in tractu Carthaginiensi. *In littore*, inquit Cellarius (11), *ad promontorium Mercurii progredientibus occurrit apud Ptolemaeum* Aphrodisium *Veneris fanum. deinde est* Siagul, *quod in Tabula Peutingerorum* Siagu *scriptum est.* ex eo, ni fallor, nomine ducti *Siagitani*, qui iidem videntur ac *Ziggenses* et *Giggenses* Africae Proconsularis, quos Harduini Indices Conciliorum recensent: *Civitas* vero *Siagitana* bis occurrit apud Maffejum (12).

(1) c. 11. n. 23.
(2) c. 1. n. 2.
(3) c. 65. n. 145.
(4) Cen. Pis. diss. 2. c. 7.
(5) Inscr. tom. 2. p. 198. etc.
(6) l. 2. p. 85.
(7) Gor. Inscr. t. 2. p. 205.
(8) V. Grut. p. 400. n. 8. et p. 401. n. 1.
(9) Phil. 11. c. 8. n. 18.
(10) Plin. H. N. l. 5. c. 4. n. 3.
(11) l. 4. c. 4. sect. 2. n. 44.
(12) M. V. p. 457. n. 2. et p. 458. n. 8.

CCCXV. (Maff. Inst. Dipl. p. 38.)

M · CRASSO · FRVGI · L · CALPVRNIO PISONE COS · (1)

III · NON · FEBR ·

CIVITAS · THEMETRA · EX · AFRICA · HOSPITIVM
FECIT · CVM · C · SILIO · C · F · FAB · AVIOLA · EVM
LIBEROS · POSTEROSQVE · EIVS · SIBI · LIBERIS
POSTERISQVE · SVIS · PATRONVM · COOPTAVERVNT
C · SILIVS · C · F · FAB · AVIOLA · CIVITATEM · THEME
TRENSEM · LIBEROS · POSTEROSQVE · EORVM
SIBI · LIBERIS · POSTERISQVE · SVIS · IN · FIDEM
CLIENTELAMQVE · SVAM · RECEPIT

EGERVNT

BANNO · HIMILIS · F ·
AZDRVBAL · BAISILLECIS · F · SVFES
IDDIBAL · BOSIHARIS · F · LEG ·

Civitates aliquando, si Manutio credimus, dictae sunt coloniae ac praefecturae, ut apud Tullium (2) ex ejusdem interpretatione: *Homines in suis civitatibus et municipiis gratiosi*, in coloniis nempe ac praefecturis, quae praeter municipia suffragii jus haberent. sed adnotavit Verburgius, in antiquis libris scriptum esse *vicinitatibus et municipiis*. itaque *Civitas Themetra* idem est ac Senatus Populusque, vel Ordo ac Plebs Themetrensis: quae si colonia fuisset, ex ceterarum consuetudine *Colonia Themetra* appellaretur. de situ ejus et regione silet geographia, primusque Holstenius (3) in hac tabula *Themetram* legi adnotavit.

Aviolas sequentibus aetatibus Romae inclaruisse, Fasti nos addocent: ab anno enim Varr. DCCVII. Consules ex ea familia occurrere incipiunt, sed omnes in gente Acilia, in quam fortasse adoptione Siliorum ultimus migravit. id vero si ita fuit, patronos denique suos Themetrenses amiserunt: quippe is, qui adoptaretur, *jus Quiritium legitimum tutelarum et haereditatum* relinquebat, ut de Clodio, qui Fontejus factus erat, diserte tradidit Tullius (4): itaque et clientes mutabat.

Hanc et quas superius nominavi, tabulas hospitales civitatum Africanarum, quae cum Aviola hospitium fecerunt, omnes Zenani in agro Brixiano inventas esse, scripsit Octavius Rossius (5), nec tamen quo auctore scriberet, significavit. idem Aviolam, ut quosdam alios eodem cognomine, nec tamen ex eadem gente, Brixianum civem fecit, eumque, quod et Tomasinio placuit (6), idcirco a civitatibus Africae patronum cooptatum putavit, ut illis ferri scilicet copiam ex Brixianorum fodinis suppeditaret. haec vero ridet Maffejus (7), ac patronos quidem Romae et ex ipso senatu quaesitos esse dicit: Africam autem ferro nequaquam indiguisse; quo si eguisset, commodam illi fuisse Iluam insulam inexhaustis Chalybum metallis generosam: Brixianas fodinas ea aetate nondum apertas aut notas demonstrat.

(1) An. Varr. 780.
(2) pro Mur. c. 23. n. 47.
(3) Annot. in Ortel. p. 190.
(4) pro Dom. sua c. 13. n. 35.
(5) Memor. Bresc. p. 181.
(6) de Tesser. c. 2. p. 10.
(7) Mus. Ver. App. p. 189.

PARS IIII.

RESCRIPTA ET DIPLOMATA IMPERATORVM

§ I.

RESCRIPTA IMPP.

CCCXVI. (Grut. p. 1081. n. 2. ex aerea tab.)

IMP · CAESAR · DIVI · VESPASIANI · F · DOMITIANVS · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAX · TRIB · POTEST · IMP · II · COS · VIII · DESIGNAT · VIIII · P · P ·
SALVTEM · DICIT
IIII · VIRIS · ET · DECVRIONIBVS · FALERIENSIVM · EX · PICENO
QVID · CONSTITVERIM · DE · SVBSICIVIS · COGNITA · CAVSA · INTER · VOS · ET · FIRMANOS · VT
NOTVM · HABERETIS · HVIC · EPISTVLAE · SVBICI · IVSSI
P · VALERIO · PATRVINO (1) · · · · · · · · COS ·
XIIII · KAL · AVGVSTAS
IMP · CAESAR · DIVI · VESPASIANI · F · DOMITIANVS · AVG · ADHIBITIS · VTRIVSQVE · ORDINIS
SPLENDIDIS · VIRIS · COGNITA · CAVSA · INTER · FALERIENSES · ET · FIRMANOS · PRONVNTIAVI
QVOD · SVBSCRIPTVM · EST
ET · VETVSTAS · LITIS · QVAE · POST · TOT · ANNOS · RETRACTATVR · A · FIRMANIS · ADVERSVS
FALERIENSES · VEHEMENTER · ME · MOVET · CVM · POSSESSORVM · SECVRITATI · VEL · MINVS
MVLTI · ANNI · SVFFICERE · POSSINT · ET · DIVI · AVGVSTI · DILIGENTISSIMI · ET
INDVLGENTISSIMI · ERGA · QVARTANOS · SVOS · PRINCIPIS · EPISTVLA · QVA · ADMONVIT
EOS · VT · OMNIA · SVBSICIVA · SVA · COLLIGERENT · ET · VENDERENT · QVOS · TAM · SALVBRI
ADMONITIONI · PARVISSE · NON · DVBITO · PROPTER · QVAE · POSSESSORVM · IVS · CONFIRMO
VALETE · D · (2) XI · K · AVG · IN · ALBANO
AGENTE · CVRAM · T · BOVIO · VERO
LEGATIS P · BOVIO · SABINO
P · PETRONIO · ACHILLE · D · D · P · (3)

Rescripta, quibus, ut ait Gravina (4), pleraque pars contexta est librorum Codicis Iustinianaei, erant Responsa Principum ad ea, de quibus vel a praesentibus quibusque supplici libello rogabantur, vel per litteras consulebantur ab absentibus magistratibus. respondebant autem fere ex sententia *Consilii sui*, in quod senatus consulto potestas judicialis et publica senatus universi translata fuerat: ut ab eodem Gravina di-

(1) Cos. Suffect. an. Varr. 835. at collega ignotus Almelov.
(2) D. *Datum*.
(3) *De Decem Primis*.
(4) de orig. et progr. I. C. n. 124.

sertissime plenissimeque ostensum est (1). quum autem illud initio e solis senatoribus constaret, adjecti deinde aliquot etiam ex ordine equestri, quod ex hoc ipso Rescripto discere licet: idque post Domitianum quoque obtinuit: nam de Hadriani aetate Spartianus (2), *erat*, inquit, *tum mos, ut quum Princeps caussas cognosceret, et senatores et equites Romanos in consilium vocaret, et sententiam ex omnium deliberatione proferret.*

Faleria in Piceno nunc agri Firmani oppidum, quod *Faleronem* vocant; melius sane et antiquius *Falerionem* dicerent: nam et hoc modo appellatum antiquitus, quum apud Balbum *de Limitibus* legatur *Falerionensis ager*, et apud Gruterum (3) et Fabrettum (4) *Falerione*. jam vero Falerienses, sive, ut Plinius habet (5), Falarienses, quum jamdiu Firmani contenderent, agri partes quasdam in finibus Faleriae suas esse, ipsi vero continuationem possessionis semper opposuissent, ab Imperatore demum petierunt, ut caussa cognita de ea re inter utrosque pronuntiaret. constabat, Augustum, quum Veteranos praemii ergo Triumvir in municipalibus agris Italiae collocasset (6), militibus potissimum legionis quartae, quae eum, relicto Antonio sequuta fuerat (7), *subseciva* etiam donasse, id est eas agri partes, quae velut reliquiae in dividendo superfuerant, nec centuriam sive jugera ducenta efficiebant. ea autem subseciva, de quibus hic controversia est, ante divisuram pars forsitan agri Firmani fuerant, quae deinde a Quartanis vendita vel relicta, ad Falerienses pervenerant. haec igitur Firmani, reliquo jam Veteranorum agro recepto, ad se redire oportere censebant, et a Falerien-sibus recuperare nitebantur. Firmanorum autem caussam agebat fortasse junior Plinius, cujus illa sunt verba in epistola ad Sabinum Firmanum (8): *Rogas, ut agam Firmanorum publicam caussam: quod ego, quamquam plurimis occupationibus distentus, adnitar. cupio enim et ornatissimam coloniam advocationis officio, et te gratissimo tibi munere obstringere.* adolescens tamen erat tum Plinius, nec annum attigerat vicesimum secundum: quippe idem se annos duodeviginti natum, anno Titi Aug. primo, Vesuvii incendium Miseni vidisse scripsit (9). verum, quicumque tandem Firmanorum patronus fuerit, Domitianus de consilii sui sententia jus possessorum Falerien-sibus confirmandum duxit: quod aliis quoque confirmasse, sic testatur Svetonius (10): *Subseciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus, ut usucapta, concessit.*

Haec in Albano acta, ubi Domitianus rusticari, et quinquatria Minervae quotannis celebrare solebat (11). eam villam, quae antea magnam partem Pompeii fuisse dicitur, novis ille aedificiis atque insanis substructionibus protulerat. *Albanam Arcem* appellant Tacitus (12) et Iuvenalis (13). lege, si vacat, Corradini (14) et Vulpii explanationes (15) in *Veteri Latio*. ibi nunc Albanum oppidum, et prope ab eo Alba olim fuerat, ab Ascanio Aeneae filio condita, ab rege Hostilio deleta. binas hoc nomine urbes in Latio fuisse, contendit Xaverius Mattejus (16), primam ab ipso Aenea prope Tiberim aedificatam, alteram ab Ascanio montem inter et lacum Albanum: quod tamen Virgilii, quos adducit, versus haud evincunt (17). imo alii ex eodem (18), atque in primis Varronis auctoritas refellit, qui *oppidum, quod primum conditum in Latio stirpis Romanae, Lavinium* dicit (19): *nam ibi*, inquit, *Dii Penates nostri.*

(1) de Imp. Rom. n. 17.
(2) in Hadr. c. 8.
(3) p. 66. n. 7.
(4) p. 402. n. 298.
(5) H. N. l. 3. c. 13. n. 18.
(6) Appian. B. C. l. 4. p. 520. et l. 5. p. 678.
(7) Dio l. 45. p. 428. E.
(8) lib. 6. epist. 18.
(9) ibid. epist. 20.
(10) in Domit. c. 9. n. 8.
(11) id. ibid. c. 4. n. 12.
(12) Agric. c. 45.
(13) Satyr. 4. v. 145.
(14) tom. 2. p. 190.
(15) tom. 7. p. 75.
(16) Exerc. 2. n. 4.
(17) Aen. l. 8. v. 42. etc.
(18) ibid. l. 11. v. 301. etc.
(19) de L. L. l. 4. c. 32.

Porro in Albanum tres e Decem Primis Ordinis Faleriensis, ex iis nempe, quorum praecipua in administranda republica cum Duumviris aut Quatuorviris erat auctoritas, Decurionum Decreto missi: quorum primus negotii publici procuratione, reliqui legatione publica fungerentur. *Curam* enim dixere veteres ipsum munus magistratuum sive administrationem rei publicae. hinc et *Curam capere* apud Sallustium (1) (*a*). et *Curam agere* apud Petronium leges (2). eodem item sensu *Cura Agentes* dicti, qui ex munere sive ex delegatione publica aliquid faciundum suscepissent.

CCCXVII. (Plin. l. 10. ep. 98. Grut. p. 454. n. 3.)

IMP · CAES · NERVA · TRAIANVS · AVG · GER ·
DAC · PONT · MAX · TR · POT · COS · V · P · P ·
SALVTEM · DICIT
C · PLINIO · CAECILIO · SECVNDO · LEG · PRO · PRAET · PROV · PONTI · CONS · POTEST ·

ACTVM · QVEM · DEBVISTI · MI · SECVNDE · IN · EXCVTIENDIS · CAVSSIS · EORVM · QVI CHRISTIANI · AD · TE · DELATI · FVERANT · SECVTVS · ES · NEQVE · ENIM · IN · VNIVERSVM ALIQVID · QVOD · QVASI · CERTAM · FORMAM · HABEAT · CONSTITVI · POTEST · CONQVIRENDI NON · SVNT · SI · DEFERANTVR · ET · ARGVANTVR · PVNIENDI · SVNT · ITA · TAMEN · VT QVI · NEGAVERIT · SE · CHRISTIANVM · ESSE · IDQVE · RE · IPSA · MANIFESTVM · FECERIT ID · EST · SVPPLICANDO · DIS · NOSTRIS · QVAMVIS · SVSPECTVS · IN · PRAETERITVM FVERIT · VENIAM · EX · POENITENTIA · IMPETRET · SINE · AVCTORE · VERO · PROPOSITI LIBELLI · NVLLO · CRIMINE · LOCVM · HABERE · DEBENT · NAM · ET · PESSIMI · EXEMPLI NEC · NOSTRI · SAECVLI · EST

Reseriptum Trajani celeberrimum ceteris praeferendum erat, ut Christianae religionis monumenta, quatenus propositi ratio sineret, libenter amplecti videremur.

Scripserat Plinius ad Trajanum (3), quia cognitionibus de Christianis interfuisset nunquam, ideo neseire se, quid et quatenus aut puniri soleret aut quaeri: se quidem, quum ad eum Christiani deferrentur, hunc sequutum esse modum: *Interrogavi*, inquit, *ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci jussi: neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, pervicaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos.*

Addebat autem, ex iis, qui defecissent, se cognovisse, *Hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium.* quod ipsum facere desierant post edictum ejus, quo secundum Trajani mandata Hetaerias esse vetuerat. quamobrem ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid es-

(1) in Jugurt. c. 3.
(*a*) At cit. Sallustii loco non *curam capere*, sed *curam cupere* legitur.
(2) in Satyr. c. 106.
(3) lib. 10. epist. 97.

set veri, etiam per tormenta quaesivit. *sed nihil*, inquit, *aliud inveni, quam superstitionem pravam et immodicam: ideoque dilata cognitione ad consulendum te decurri. visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum.* haec Plinius, Christianorum ex Bithynia religioni constantiaeque, quam ex errore improbabat, testimonium laudis locupletissimum impartitus.

Iamvero Trajanus primo C. Plinii *Actum* laudat, id est οἰκονομίαν sive in agendo rationem, quam sequutus erat: ei scilicet legati munus, quod *Actus* aliquando appellatus est (1), implevisse Plinius videbatur. praescribit deinde, quo pacto cum Christianis in posterum agi vellet: *Conquirendi*, inquit, *non sunt: si deferantur, et arguantur: puniendi sunt.* in hanc vero sententiam sic declamavit Tertullianus (2): *O sententiam necessitate confusam: negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. parcit et saevit, dissimulat et animadvertit: quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non et inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis?*

Ceterum Longolius (3), quum ipse quoque iniquam Trajani sententiam diceret, Tertulliani tamen aculeos retundi posse arbitrabatur, si ingenue ageremus: aliud quippe esse, damnare accusatos convictosque, aliud non inquirere in eos, qui delati non essent: neque vero judiciorum unam omnium esse conditionem: quaedam privata, quaedam publica esse: et modo ordinaria, modo extraordinaria: itaque et publicorum criminum quaedam esse potuisse, in quibus quaesitor accusatorem exspectare non deberet; quaedam vero, in quibus ordo vetus judiciorum servari posset. atqui ea fere crimina Christianis objiciebantur, quae rempublicam peterent, et saluti communi adversarentur: quare si vera ea esse Trajanus putabat, conquirendi omnino Christiani et damnandi erant: sin falsa esse agnoscebat, nec conquirendi nec damnandi erant. itaque quum et horum innocentiam tueri, et leges item sequi vellet, neutri satisfecit.

Laudandus tamen, quod libellis sine auctore propositis fidem haberi noluerit. idem Ulpianus *de officio Proconsulis* scripsit (4): *Si cui*, inquit, *crimen objiciatur, praecedere debet in crimen subscriptio: quae res ad id inventa est, ne facile quis prosiliat ad accusationem: quum sciat inultam sibi accusationem non futuram.*

Putavit autem Longolius, hoc Trajani Rescriptum eo quoque pertinuisse, ut, si quis Christianus captus esset, ne torqueretur ad socios indicandos; imo de iis ne interrogaretur quidem: quod a Tertulliano illis verbis significari existimabat (5): *Ad socios, ad conscios inquisitio usque extenditur: solum Christianum inquiri non licet.* sed haec Tertulliani sententia non est, ut, quae sequuntur, declarant: *Offerri*, inquit, *licet: quasi aliud esset actura inquisitio, quam oblatio.* idem nimirum inculcat, quod Trajanus constituerat, Christianos conquirendos non esse; at si offerrentur, puniendos. verum fuisse leges, quae vel Christianos in caput aliorum interrogari vetarent, satis indicat Sancti Martyris Cypriani responsum, qui ad ea Paterni Proconsulis verba, *Volo ergo scire ex te, qui sint Presbyteri, qui in hac civitate consistunt*, haec subjecit: *Legibus vestris bene atque utiliter censuistis, delatores non esse:* itaque *detegi et deferri a me non possunt. in civitatibus autem suis invenientur* (6).

(1) Plin. l. 10. ep. 37.
(2) Apolog. c. 2.
(3) ad Traj. epist. n. 2.
(4) l. 7. D. de accus. et inscr.
(5) Apolog. c. 2.
(6) Ruinart. Act. Procos. S. Cypr. n. 1.

§· II·

DIPLOMATA IMPERATORVM

CCCXVIII. (Maff. Ist. Dipl. p. 30. emendatior Marin. Frat. Arv. p. 449.)

O

SER · GALBA · IMPERATOR · CAESAR · AVGVST
PONTIF MAX · TRIB · POT · COS · DES · II
VETERANIS QVI · MILITAVERVNT · IN LEGIONE
I · ADIVTRICE · HONESTAM · MISSIONEM · ET
CIVITATEM DEDIT · QVORVM · NOMINA · SVB
SCRIPTA · SVNT · IPSIS LIBERIS · POSTERISQVE
EORVM · ET · CONVBIVM · CVM · VXORIBVS
QVAS TVNC HABVISSENT · CVM · EST · CIVITAS
IIS DATA · AVT · SIQVI · CAELIBES ESSENT CVM
IIS · QVAS · POSTEA DVXISSENT · DVM · TAXAT
SINGVLI · SINGVLAS · A · D ·

O O O

O

TI · IVLIVS BARDALA · SARD
C · IVLI · CHAR MI · SARDIAN
TI · CLAVDI QVI · FIDINI · MAO
NIAN
C · IVLI · C · F · COL LIBON · SARD
TI · FONTEIVS CERIALIS · SARD
P · CVALTI · P · F · AEM · PROVIN
CIAL
IPESIVS
M · ARRI RVFI SARDIAN

O O O

O O O

XI · K · IAN ·
C · BELLICO NATALE
P · CORNELIO SCIPIONE COS (1)

DIOMEDI ARTEMONIS F
PHRYGIO

DESCRIPTVM ET RECOGNITVM EX · TABVLA · AE
NEA · QVAE · FIXA · EST · ROMAE · IN CAPITOLIO
IN ARA GENTIS IVLIAE

O

O O O

SER · GALBA · IMPERATOR · CAESAR · AVGVSTVS
PONTIF · MAX · TRIB · POT · COS · DES · II
VETERANIS · QVI MILITAVERVNT · IN LEGIONE
I · ADIVTRICE HONESTAM MISSIONEM · ET · CIVI
TATEM · DEDIT · QVORVM · NOMINA · SVBSCRIPTA
SVNT · IPSIS · LIBERIS · POSTERISQVE · EORVM
ET · CONVBIVM · CVM · VXORIBVS · QVAS · TVNC
HABVISSENT · CVM · EST · CIVITAS · IIS · DATA · AVT
SI QVI CAELIBES · ESSENT · CVM · IIS · QVAS POSTEA
DVXISSENT · DVM · TAXAT · SINGVLI · SINGVLAS
A · D · XI K · IAN
C · BELLICO NATALE P · CORNELIO
SCIPIONE COS
DIOMEDI ARTEMONIS F ·
PHRYG LAVDIC
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TABVLA · AENEA
QVAE FIXA EST · ROMAE · IN CAPITOLIO
IN ARA GENTIS IVLIAE

O

(1) Cos. Suffect. An. Varr. 821.

Insigne hoc monumentum publici juris se primum fecisse, gloriatur Gorius (1), Maffejumque perstringit, qui libro, quem ei donum miserat, accepto, id tamen a nemine adhuc in lucem prolatum scripserit.

Diplomata civitatis Romanae memorat Svetonius (2), quae Nero ephebis, qui pyrrhicham saltaverant, singulis obtulit. eodem nomine hoc quoque appellandum est, quo et *Honesta Missio* et *Civitas Romana* et *Conubium* Militibus Veteranis a Galba datum: quippe ipsae tabellae aeneae, quibus constat, Diploma esse ostendunt: Διπλοῦμαι enim Graecis est *Duplico:* quamquam Graeci Imperatorias hujusmodi litteras Συνθήματα potius aut Δίπλας appellarunt (3). Diplomatis autem hujus, quod Stabiis in veteri sarcophago repertum est, haec forma esse dicitur. laminae aeneae duae vix palmares, libelli instar, sic conjunctae sunt, ut diduci adducique possint. tota autem inscriptio, excipe testium nomina, utramque paginam implet interiorem: rursus frons nna transversa eandem continet totam, altera vero nomina tantum, quae linea ducta sejunxi (*a*). iteratae scripturae hanc rationem reddit Maffejus (4), ne corrumpi posset. nam tabellae istae *filo*, ut ille ait, *per foramina media trajecto colligatae ac signatae aperiri et inspici sine publici custodis interventu non poterant: et tunc demum authentici documenti vim habebant, si ob necessitatem quamdam quaesitae, ab externo nihil omnino differre interius scriptum inveniretur.*

Enimvero sollennem hic formulam habes, quae in ipsa tabula ad aram gentis Iuliae fixa legebatur, in qua praeterea nomina subscripta erant omnium Veteranorum legionis I. Adjutricis, quibus Galba honestam missionem et civitatem dederat: atque hos inter Diomedes hic erat Artemonis filius e Phrygia in vico natus, cui nomen *Vdic*, si Maffejo credimus; sin Hagembuchio assentimur, natus *Phryg. Laudic.* sive Phrygia Laudicea: sic enim legendum hic putat (5) (*b*). ut autem Artemoni huic Diploma datum vides, sic haud negatum ceteris credas, quo quisque tuto civitatem usurpare, et jus suum Diplomate prolato facile tueri posset. Romae quidem si quis jus eorum interpellasset, ad Capitolinam ipsam tabulam provocare poterant; sed in provincia Descriptum illis et Recognitum ostendendum erat, cui testes nomen suum et signum addidissent: quae mihi alio loco explicanda sunt.

Artemonis filium Diomedem militum septem, qui infra scripti sunt, procuratorem fuisse qui putat, plane fallitur, ut mea fert opinio, idque certo argumento demonstrari potest. nempe in Domitiani Diplomate apud Gruterum (6) (*c*), quo data civitas datumque conubium dicitur *Peditibus Et Equitibus, Qui Militant In Cohorte* III. *Alpinorum Et In* VIII. *Voluntariorum*, infra demum legitur, *Pediti Veneto Diti F. Davers Et Madenae Plarentis Filiae Vxori Ejus Dermiust. Et Gajo F. Ejus:* quae quidem verba non adeo obscura, ut non optime appareat, Venetum hunc, atque adeo et Diomedem, e militibus fuisse, quibus civitas conubiumque datum; quippe quum et uxor ejus et filius cieatur, ad quos ea Diplomatis verba spectant *Liberis Posterisque Eorum Civitatem Dedit Et Conubium Cum Vxoribus Quas Tunc Habuissent.* nam si

(1) Inscr. t. 3. p. 149.
(2) in Ner. c. 12. n. 4.
(3) Maff. Ist. Dipl. p. 32.
(*a*) Id porro inculcandum erat cl. Auctori, qui duo haec monumenta nec integra, nec ex autographis desumpta protulerat. Verum quum Marinius Frat. Arval. a p. 432. ad 468. haec eadem, et his similia accuratissime ex autographis descripserit, et omnium primus recte hasce tabulas interpretatus fuerit, ideo ex illius opere ea desumenda, et eadem verborum dispositione, quae in aeneis tabulis apparet, typis committenda curavi. Quo vero pleniorem habeas horum monumentorum interpretationem, eumdem Marinium loc. cit. consulas velim.
(4) Mus. Ver. p. 99.
(5) Epist. Epigr. p. 356.
(*b*) Quemadmodum et Marinius Frat. Arv. p. 478. b.
(6) p. 574. n. 6.
(*c*) Ipse tamen descripsi ex Marin. Frat. Arv. p. 458.

Venetus procurator erat, quorsum pertinebat uxorem simul et filium eo loco enunciari? porro et in Philipporum diplomate apud Fabrettum (1) civitas eodem modo data legitur *T. Fl. T. Fil. Alexandro N. Ital. D. Misen. Et Marc. Proculae Vx. Ei. Et Marc. Alexandro Et Fl. Marco Vlp. Sabino Aurel. Faustae Fil. Eius:* quae in aliis Diplomatis ideo desiderari videntur, quia milites illi caelibes, ut plerique, erant.

At cur data *civitas* dicitur veteranis *legionariis?* neque enim in legione nisi cives militabant: ac si qui erant peregrinae conditionis, ii etiam, ut legionarii fierent, civitate in ipso militiae exordio donabantur: quod Aristides (2) diserte tradidit. ita sane; sed Diploma, inquit Maffejus, tum solum accipiebant, quum impletis stipendiis dimitterentur (3). quin adde cum Bimardio (4), etiam qui parentes cives Romanos habuerant, si in municipiis aut coloniis extra Italiam nati essent, ita saepe cives fuisse, ut militare quidem in legione possent, suffragii tamen aut honorum petendorum jure carerent (5). quare ut reliquis civibus aequarentur, civitas dabatur. ceterum milites istos peregrinae conditionis fuisse certum habeo: Legio enim I. Adjutrix, teste Svetonio (6), ex Classiariis constabat, *quos Nero ex remigibus justos milites fecerat:* quemadmodum multis ostendit Bimardius (7).

Vxorem miles habere non poterat: quam ob rem Claudius Aug. ut est apud Dionem (8), τα των γεγαμηκοτων δικαιωματα εδωκε. quid igitur dare se Galba dicit *conubium cum uxoribus, quas tunc habuissent?* nimirum *Vxores* appellari puto, quas jurisconsulti *Contubernales* dixissent, quod jus conubii legitimi miles non haberet. jamvero si vel civem Romanam in contubernio miles habuisset, non impetrato conubii jure, liberi, quos ex ea suscepisset, neque pro legitimis haberi, neque patris haereditatem adire poterant. id vero multo magis valebat, si conjunx barbara fuisset: quacum nemini connubium esse poterat, nisi si concessum fuisset (9), uti neque cum servis. idcirco in Diplomate Philipporum Augg. leges (10) *Ius Tribuimus Conubii Dumtaxat Cum Singulis Et Primis Vxoribus, Vt Etiam Si Peregrini Iuris Feminas In Matrimonio Suo Iunxerunt, Proinde Liberos Tollant, Ac Si Ex Duobus Civibus Romanis Natos.* id est, quod et Galba militibus veteranis legionis primae Adjutricis concessit, ut jam uxores haberent jure civili Romanorum legitimas, cumque his commoda civium communicarentur, et liberi earum cives Romani essent.

DVM · TAXAT Priscianus (11) docet compositum esse ab adverbio et verbo, ut si diceres *Dum Taxetur hoc unum;* propterea interpunctione separantur. Hagembuchius (12) ubi *Ipesius* legitur, pro *Ephesius* esse putat: Asiatici certe reliqui omnes sunt, Sardiani quinque, id est Sardibus in Lydia nati: unus Maonianus, sive, ut Gorius supplet, Maeonianus, ex eadem scilicet Lydia, quae et Maeonia dicta: vel, ut Maffejus opinatur (13) e Iudaeae oppido, cui nomen *Maon*.

Ridiculum illud videri possit, quaedam testium nomina recto casu scribi, reliqua patrio efferri; tum P. Gualtii Provincialis patriam nominativo casu designari, quum ejus nomen obliquo praecedat. hujus rei caussam, si haec etiam afferenda est, hanc puto fuisse, quod eorum nomina ita incisa sint, quemadmodum ipsi in Descripto subscripserant: qui tam procul a Latio nati, ne miremur, quapropter peregrinantes videantur.

De *Descripto* et *Recognito* ac de *Ara Gentis Iuliae* item de testibus, mox dicemus.

(1) Fabr. p. 687. n. 96.
(2) Εγκωμ. Ρωμ. p. 380. C. ed. Canter. 1604.
(3) Mus. Ver. p. 323.
(4) apud Maff. M. V. p. 347.
(5) Sigon. de ant. jur. Ital. l. 2. c. 7.
(6) in Galb. c. 12. n. 3.
(7) ibid. p. 348.
(8) l. 60. p. 961. B. *Iura maritorum concessit*.
(9) Vlp. Regul. tit. 6.
(10) Maff. M. V. p. 325.
(11) l. 15. p. 1014. ed. Putsch.
(12) Epist. Epigr. p. 356.
(13) M. V. p. 100. in fin.

CCCXVIIII. (Grut. p. 575. n. 1. emendatior Marin. Frat. Arv. p. 454.)



O

IMP · CAESAR · VESPASIANVS · AVG · PONT
MAX · TR · POT · II IMP VI PP COS III DESIG
IIII VETERANIS QVI MILITAVERVNT IN
CLASSE RAVENNATE SVB SEX LVCILIO BASSO
QVI SENA ET VICENA STIPENDIA AVT PLVRA
MERVERVNT ET SVNT DEDVCTI IN PANNO
NIAM QVORVM NOMINA SVBSCRIPTA
SVNT IPSIS LIBERIS POSTERISQVE EORVM
CIVITATEM DEDIT ET CONVBIVM CVM

O O O

O

T · IVLI RVFI — SALONIT · EQ · R ·
P · VIBI · MAXIMI — EPITAVR · EQ · R
T · FANI · CELERIS — IADESTIN · DEC
C · MARII · PROCVLI — IADESTIN · DEC
P · CAETENNI · CLEM — ENTIS · SALON
P · LVRI · MODERA — TI · RISINITAN
Q · POBLICI · CRES — CENTIS · IADEST

O O O

O O O

VXORIBVS QVAS TVNC HABVISSENT CVM
EST CIVITAS IIS DATA AVT SIQVI CAELIBES
ESSENT CVM IIS QVAS POSTEA DVXISSENT
DVMTAXAT SINGVLIS SINGVLAS NON APRIL ·
CAESARE·AVG·F·DOMITIANO·CN·PEDIO·CASTO·COS
PLATORI · VENETI · F · CENTVRIONI MAEZEIO
DESCRIPTVM · ET RECOGNITVM EX TABVLA
AENEA QVAE FIXA EST ROMAE·IN·CAPITOLIO·AD
ARAM GENTIS IVLIAE·DEFORAS·PODIO·SINISTERIO
RE · TAB · I · PAG · II · LOC · XXXXIIII

O

O

IMP · CAESAR · VESPASIANVS · AVG · PONT
MAX · TR · POT · II · IMP · VI · COS · III · DESIG
IIII · VETERANIS · QVI · MILITAVERVNT · IN
CLASSE · RAVENNATE · SVB · SEX · LVCILIO
BASSO · QVI · SENA · ET · VICENA · STIPENDIA
AVT · PLVRA · MERVERVNT · ET · SVNT · DE
DVCTI · IN · PANNONIAM · QVORVM NO
MINA · SVBSCRIPTA · SVNT · IPSIS · LIBE
RIS · POSTERISQVE · EORVM · CIVITATEM
DEDIT · ET · CONVBIVM · CVM · VXORIBVS
QVAS TVNC HABVISSENT · CVM · EST · CIVI
TAS EIS · DATA · AVT · SIQVI · CAELIBES · ESSENT
CVM IIS · QVAS · POSTEA DVXISSENT · DVM
TAXAT · SINGVLIS · SINGVLAS · NON · APRIL
CAESARE · AVG · F · DOMITIANO CN PEDIO CASTO · COS
PLATORI · VENETI F · CENTVRIONI
MAEZEIO
DESCRIPTVM · ET · RECOGNITVM · EX TABVLA
AENEA QVAE · FIXA · EST · ROMAE · IN
CAPITOLIO · AD ARAM · GENTIS · IVLIAE · DE
FORAS · PODIO · SINISTERIORE · TAB · I ·
PAG · II · LOCO XXXXIIII

O

De militibus Classicis deque eorum stipendiis actum supra est ad inscr. CXXV. Veteranis hisce, qui in classe Ravennate militaverunt, non honesta missio data, sed deducti in Pannoniam sunt, et ex Classicis legionarii facti; dataque iis civitas et connubium, antequam dimitterentur. hanc nempe his gratiam Vespasianus retulit, quod auctore Lucilio Basso, quem Vitellius Ravennati simul ac Misenati classibus praeposuerat (1), bello civili partibus suis aggregati essent. facile autem eos ad defectionem pellexit Bassus, quod, ut ait Tacitus (2), *magna pars Dalmatae Pannoniique erant, quae provinciae Vespasiano tenebantur*. Taciti dictum Diplomate hoc confirmatur: qui enim infra testes nominantur, Dalmatae sunt aut finitimi Dalmatarum, Salonae nati aut Iaderae aut Risinii aut Epidauri; quarum urbium nomina mendose fere scripta sunt, sed ita, ut nullo negotio agnoscantur.

Primum consulatum gessit Domitianus anno Varr. DCCCXXIII. suffectus patri Vespasiano, habuitque collegam M. Licinium Crassum Mucianum: in cujus denique locum sublectum esse hunc *Castum* putat Almeloveenius. ego ante *Castum* suffectum crediderim, quam Mucianum; nonis enim Aprilibus jam *Consul* ille appellatur; nec nisi post tertium mensem Coccejus consul ordinarius magistratu abiisse putandus est (*a*).

Diploma tulit Plator Veneti filius Centurio, Amezeius, sive, ut Gudius legit, Miezeius: undenam sic dictus (*b*)? patriam designari manifestum est, quae tamen cum Artemonis vico *Vdic* de celebritate certare possit. porro is quoque, quamquam centuriatum adeptus jam erat, quia tamen in honestae missionis tabula veteri nomine ciendus fuerat, *Plator* est, qui deinde audire fortasse coepit *T. Flavius Plator*. Diploma huic et ceteris, quicumque jam cives facti peterent, sic datum puto: Quaestores aut praefecti aerarii, nam modo ad hos, modo ad illos tabularum publicarum cura pertinuit (3), rogati a veterano formulam e tabula honestae missionis a scriba descriptam in laminis duabus incidendam curabant subscripto nomine ejus, qui diploma petebat: tum ad tabulam publicam ibatur, ut recognoscerent, num exemplar archetypo responderet: affirmantibus id testibus, laminae jam filo obligatae obsignabantur dabanturque ei, quem testes ipsum esse qui peteret, confirmassent. signis locum inter ipsa testium nomina medium relinquebant: quae deinde parva lamella obtegebat, ut plumbi ibidem reliquiae ferruminationis caussa in Diplomatis quibusdam (4) satis indicant. id scilicet erat *Descriptum Et Recognitum*. meminit autem hujus formulae Cajus quoque jurisconsultus (5): *Si quae sunt*, inquit, *cautiones haereditariae, eas judex curare debet, ut apud eum maneant, qui majore ex parte haeres sit: ceteris* Descriptum et Recognitum *faciant cautione interposita, ut quum res exegerit, ipsae exhibeantur*.

Iam archetypum hujus in Capitolio adservabatur *Ad Aram Gentis Iuliae*. aram hanc Ryequius (6) ex his esse putat, quas Svetonius Iulio Caesari a senatu decretas perhibuit (7): quae tamen *Divi Iulii* potius dicenda erat. eam ego antiquiorem fuisse arbitror, nec aliam fortasse, quam in qua gentis Iuliae sacra fierent. ita genti Fabiae

(1) Tac. Hist. l. 2. c. 100.
(2) Hist. l. 3. c. 12.
(*a*) At Marinius Frat. Arval. p. 141. ex fragmento marmoris Albani probat post Castum, aut mortuum in magistratu, aut abdicare coactum, suffectum fuisse C. Valerium Festum: Licinium vero Mucianum, cui Caii non Marci praenomen fuerat, suffectum consulem processisse anno posteriore.
(*b*) Si, ut est in tabula, legimus *Maezeio*, is putandus Dalmata, nam Mazaei sunt gens Dalmatica, cognita Plinio H. N. l. 3. c. 22. n. 26. Strabon. l. 7. p. 570. et Dion. l. 55. p. 805. In quibusdam vero Ptolemaei codd. dicuntur et Μαιζαιοι.
(3) Tacit. Ann. l. 13. c. 28.
(4) in Mus. Florent.
(5) l. 5. D. Famil. ercisc. v. et Grut. p. 214.
(6) de Capit. c. 56.
(7) in Iul. c. 76. n. 2.

sacrificium erat statum, ut narrat Livius (1), in colle Quirinali: et sua item ceteris, ut Clodiae genti et Calpurniae apud Tullium (2).

Distinguebantur autem hujusmodi Tabulae, inquit Ryequius (3), *in Capitolio characterum quorundam notis, paginarum numeris et loculorum diversitate*. ita et Brotiero (4) visum, qui sic legit, *Tabula Prima, Pagina Secunda, Loco Quadragesimo Quarto:* hoc nimirum loco *Plator* inter alios veteranos legebatur. censet etiam idem Ryequius, *podia ista templi porticibus circumposita ad speciem aliquam, vel forte ad profanam turbam amovendam* (5). aram scilicet in templo fuisse arbitrabatur, quam ego, quia de templo mentio fit nulla, sub divo potius constitutam crediderim, atque ad loci religionem tuendam podio esse circumclusam. hanc vero ceteris omnibus augustiorem factam, postquam Iulii principatum in republica obtinuerant, facile sibi quisque persuaserit. nec tamen una haec ara fuit, ad quam honestarum missionum tabulae figerentur. alio in Diplomate apud Maffejum leges (6), *Descript. Et Recognit. Ex Tabula Aen. Quae Fix. Est Rom. In Mur. Post Templum Divi Augusti Ad Minervam:* in alio apud sodales Herculanenses (7) *Quae Fixa Est Romae In Capitolio Aedis Fidei Populi Romani Parte Dexteriore:* in alio item, quod Marinius edidit (8), *In Capitolio Post Tropaea · · · · T. Ad Aedem Fidei P. R.*

Demum quae nomina in Diplomatis fronte exteriore incisa dixi, ea testium esse affirmavi: quod Maffejus et Gorius ne cogitarunt quidem; at et sodales Herculanenses (9) suspicati sunt, et Marinius aperte indicavit (10). rem ita esse, multa porro confirmant. primum enim cur singulis in Diplomatis septem omnino nomina legimus? aut quorsum ea spectant, siquidem subscriptio habenda illa non sit? cur vacuum omnibus in exemplis spatium singuli nominum versus in medio habent, nisi eo loci testes Diploma anulo suo signare debebant? id certe antiquitus constitutum tradit Iustinianus (11), ut uno eodemque tempore *septem testibus adhibitis et subscriptione testium, signacula testamentis imponerentur*. codem modo rationes, tabulae, litterae publicae signabantur: itaque Paullus Iurisconsultus respondit (12), *Legis Corneliae poena omnes teneri, qui etiam extra testamenta, cetera falsa signassent*. id vero plane ostendit inscriptio Sponiana (13) partim Graeca partim Latina, quae libellum exhibet Sextilii Acutiani ab Antonino Pio petentis, ut nescio quam sententiam ab Hadriano latam sibi describere liceret. nam et Rescriptum Antonini adnuentis legitur, et scribae verba, quae sunt hujusmodi: *Rescripsi Recogn. Vndevicensimus. Act. VI. Idus April. Romae Caes. Antonino II. Et Praesente II. Cos.* post haec additum Εσφραγισθη εν Ρωμη προ τριων νωνων Μαιων iisdem consulibus; ac septem testes adfuisse dicuntur, Παρησαν Τ. Φλ. Μακρεινος et alii sex, quorum subscripta nomina sunt.

(1) l. 5. c. 25. n. 46.
(2) pro Dom. sua c. 13. n. 34. de Harusp. Resp. c. 15. n. 32.
(3) de Capit. c. 36.
(4) in not. ad Hist. Tac. l. 2. c. 100.
(5) de Capit. c. 36.
(6) M. V. p. 325. n. 1. et Grut. p. 573. n. 2.
(7) t. 1. Bronz. p. 39.
(8) Giorn. Pis. t. 14. in fin.
(9) t. 1. Bronz. pref. p. 28. n. 54.
(10) Giorn. Pis. t. 14. p. 292.
(11) Inst. l. 2. t. 10. §. 3.
(12) l. 16. D. de L. Corn. de fals.
(13) p. 352. n. 92.

PARS V.

INSCRIPTIONES MENSVRARVM AC PONDERVM PVBLICORVM

§. I.

INSCRIPTIONES MENSVRARVM PVBLICARVM

CCCXX. (Fabr. p. 526. n. 372.)

IMP · CAESARE
VESPAS · VI ·
T · CAES · AVG · F · IIII · COS · (1)
MENSVRAE · EXACTAE
IN · CAPITOLIO
P · X · (2)

Inscriptio est *Congii*, quem Fabrettus *Farnesianum* appellat, Gruterus (3) Angeli Colotii fuisse dicit, additque, exacta saepe mensura tum vino tum aqua, repertum ab eodem Colotio, librarum decem esse, quot numerus indicat. id vas ex aere est oblongum, cui venter et fundo et collo latior.

Erat autem *Congius* Amphorae pars octava, continens sextarios sex, heminas duodecim (4), mensura liquidorum. congios olei memorat Livius (5), vini Plinius (6), ut vini Capitolinam amphoram Iulius Capitolinus (7).

Ac Mensuras hujusmodi in Capitolio fuisse, quasique archetypa ceterarum, quae in urbe essent, habita esse, indicat vetus inscriptio (8), in qua *Auctore Sanctissimo Augusto Missae* dicuntur *Per Regiones*, urbis nempe, *Mensurae Ad Exemplum Earum, Quae In Capitolio Sunt*. nec quod putavit Villalpandus (9), mensuras etiam, quibus cives Romani in coloniis uterentur, Roma petitas esse, id in controversiam vocari nunc potest, quum jam Herculani Congius, sive, ut Martorellio placet (10), Quartarius repertus sit eodem omnino titulo, quo hic noster, insignis: unde intelligas, Herculanenses ab urbe et hunc et ceteras mensuras accepisse. nam quod inscriptio, quae sequitur, mensuras a Compsano magistratu lege civitatis factas ostendit, quis vetat dicere, sublatis veteribus mensuris, quae iniquae essent, hac lege novas esse factas, ut in urbem missae ad Capitolinarum exemplum exigerentur?

Censet autem Fabrettus (11) illud *Mensurae Exactae* patrium casum esse, cui rectus praeire fingatur, nempe *Congius*, quemadmodum in aliis etiam titulis verbum

(1) An. Varr. 828.
(2) *Pondo Decem*.
(3) p. 223. n. 3.
(4) Festus et Fann. de ponder. v. 67.
(5) l. 25. c. 2. n. 2.
(6) H. N. l. 14. c. 22. n. 28.
(7) in Maximin. c. 4.
(8) Gor. Inscr. t. 1. p. 262.
(9) in Ezech. t. 3. part. 2. l. 3. c. 25.
(10) Th. Cal. p. 378.
(11) de Aq. et Aquaed. diss. 2. n. 130.

saepe aliquod subaudiendum est. haec scilicet sententia est: *Congius mensurae, quae exacta sive examinata est et probata publica auctoritate in Capitolio, Vespasiano VI. Tito IIII. Cos. continetque liquidorum libras decem.* id quambrevissime dici potuit *Congius Capitolinus*, ut *Capitolina Amphora* et hujusmodi.

CCCXXI· (Grut. p. 223. n. 1.)

C · VMBRIVS · EVDRASTVS
FORTVNATVS · IIII · VIR
MENSVRAS · LEGE · CIVITATIS
PROPRIO · SVMPTV

Compsae in Hirpinis, ubi inscriptio inventa est, quum quatuorviratum gereret Vmbrius, Mensuras publicas ad veterem normam sua pecunia fecit. *verbum*, inquit Fabrettus (1), *quod* principale *Grammatici vocant* INSTAVRAVIT, POSVIT, *vel simile deficit*. mihi FECIT magis arridet, quum et apud Donium (2) legerim, *Pondera Ad Macellum Cum M. Turranio Sua Pecunia Fecit*. de ipsa inscriptione, in vase ne, an in saxo incisa fuerit, nihil a Grutero traditum est. ad hunc Vmbrium pertinere videtur titulus honorarius, quem edidit Muratorius (3), in quo *Patronus Coloniae Beneventanorum* appellatur.

CCCXXII· (Murat. p. 483. n. 7.)

M · SALVIDIENVS
VETTIAN ·
PRAEF · AED · POT · (4)
MENSVR · OLEAR ·
ET · SIGNVM
SVA · PECVNIA

Aedilium fere in municipiis fuit *de mensura*, ut ait Iuvenalis (5), *jus dicere, vasa minora frangere*, et *heminas iniquas*, ut est apud Persium (6). sic et Tusculi, quod ex antiqua inscriptione (7) constat, *Aediles Mensuras Et Pondera Iniqua Tolli Iusserunt*. qui autem aedilitatis suae atque etiam liberalitatis monumentum exstare aliquod vellent, mensuras novas sua pecunia faciundas curabant, ut hic Brixiae Salvidienus, Praefectus Aedilicia potestate, qui fortasse magistratus extraordinarius fuit, et Anxani in Frentanis Aediles ordinarii, qui *mensuras* item et *pondera* fecisse dicuntur (8): sed ille et signum in Ponderario statuit, puta Herculis aut Mercurii.

(1) de Aq. et Aquaed. diss. 2. n. 150.
(2) Cl. 2. n. 4. p. 61.
(3) p. 2016. n. 4.
(4) *Aedilicia Potestate*.
(5) Sat. 10. v. 102.
(6) Sat. 1. v. 130.
(7) Don. Cl. 5. n. 26.
(8) Murat. p. 483. n. 9.

§· II.

INSCRIPTIONES PONDERVM PVBLICORVM

CCCXXIII· (Reines. Cl. 2. n. 56.)

· BRA · Q

SANVLIS · F · L · SAINAI · D

S · C ·

L · LVCRETIVS · L · F · TRICIPITINVS

Q · VRB ·

Inscriptio est lapidei ponderis, quod Quaestores urbani probarunt. ad eos autem, republica incolumi, pertinuisse hoc muneris, hinc recte colliges: quod deinde Praefectorum urbis fuit (1). Quaesturam a Silano et Tricipitino gestam putat Reinesius circa annum Vrbis DCXXXX·

De hujusmodi ponderibus lapideis, quorum ingentem adhuc in urbe numerum videre licet, loquutus Lupio (2) videtur Horatius, ubi ait (3):

Mercemur servum, qui dictet nomina, laevum
Qui fodicet latus, et cogat trans Pondera *dextram*
Porrigere.

sic enim explicat, Qui cogat *dextram porrigere Cetariis et Salgamariis aut vilibus hujusmodi propolis, qui merces vendunt ponderatas, etiamsi haec prensatio in eorum officinis fieri debeat et ad telonia ponderibus occupata, trans quae manus extendenda sit, ut mangoni porrigatur post illa stanti et suffragium tibi daturo.*

Enimvero pondera et mensurae quae esse deberent, veteri plebiscito constitutum erat, ita ut ne magistratus quidem augere aut imminuere possent. ejus plebiscitі verba, quae supersunt, haec sunt, ut a Scaligero (4) emendata prodiere. *Ex Ponderibus Pobliceis, Quibus Hac Tempestate Popolus Oetier Solet, Vtei Coaequetur Sedolo, M.* (5) *Quadrantal Vinei Octoginta Pondo Siet, Congius Vinei Decem P.* (6), *Siet, Sex Sextari Congius Siet. Vinei Duodequinquaginta Sextari Quadrantal Siet. Vinei Sextarius Aequus Cum Librario Siet, Sexdequinq. Librae In Modio Sient.*

Si quis Magistratus Adversus Haec D. M. (7) *Pondera Modiosque Vasaque Poblica, Modica Minora Majorave Faxit Iussitve Fieri, Dolumve Adduit, Quo Ea Fiant, Eum Quis Volet Magistratus Multare, Vtei Dum Minore Patris Familias Taxat, Liceto, Sive Quis In Sacrum Iudicare Voluerit, Liceto.*

(1) Spon. Misc. sect. 9. p. 303.
(2) Epist. 1. p. 1.
(3) l. 1. epist. 6. v. 50.
(4) in Not. ad Fest. p. 392. ed. Amst. 1700.
(5) M. *Mensura*.
(6) P. *Pondo*.
(7) D. M. *Dolo Malo*.

CCCXXIIII· (Spon. Misc. sect. 9. p. 303. Rein. Cl. 2. n. 91.)

TIB · CLAVDIO · CAES · AVG · IV ·
L · VITELLIO · III · COS · (1) P · II ·

Lucius hic Vitellius pater est A. Vitellii Imp. de ejus magistratibus haec tradidit Svetonius (2): *Lucius ex consulatu Syriae praepositus Artabanum Parthorum regem summis artibus, non modo ad colloquium suum, sed etiam ad veneranda legionum signa pellexit. mox cum Claudio Principe duos insuper ordinarios consulatus censuramque gessit.*

Pondo idem aliquando ac *pondus*, ut exempli gratia apud Plautum (3): *Neque piscium ullam unciam hodie pondo cepi.* sed quandocumque absolute positum invenias, librae pondus significari scito: ita apud Quintilianum (4): *Torques aureus centum pondo*, et apud Tullium (5), *Auri quinque pondo abstulit.* leges igitur *Pondo duo*, neutro scilicet genere, nam et Plinius scripsit (6), Populum Romanum Carthagini victae argenti *XII. pondo annua* imperitasse.

CCCXXV· (Spon. Misc. sect. 9. p. 303.)

EX · AVCTORITATE
CAES · M · AVR · ET · L · VER ·
P · $\overline{X}$ · ℈ · (7)

Pondus hoc lapideum, ex auctoritate Impp. M. Aurelii et L. Veri signatum, ad mensarios sive trapezitas pertinuisse, credibile est: de his enim leges a M. Aurelio latas esse, scripsit Capitolinus (8). nec vero vel tum praeter consuetudinem erat, si pecuniae vis magna attribuenda esset, appendi nummos, non numerari. de Antonio dixit Tullius (9): *Tanti acervi nummorum apud istum construuntur, ut jam appendantur, non numerentur pecuniae.* quin eadem de caussa in templo Opis, ubi etiam aerarium aliquando fuit (10), pondera fuisse, inscriptio, quae sequitur, satis declarat.

CCCXXVI· (Donat. de V. Roma l. 2. c. 10. ex Mus. Kirch.)

V ·
TEMPL · OPIS · AVG ·

Pondus aereum est litteris argenteis. adnotavit Donatus, quinque librarum esse, quae tamen sacoma nostrum unciis duabus exeedant: ut alterum, quod item in Museo Kircheriano est, quum librarum duarum notam habeat, uncia fere binas libras nostri ponderis exsuperat. haec vero in Opis ne templo, quod in Capitolio erat, an in Vici Iugarii aede, an alibi usquam fuerint, incertum est: nam ne illud quidem scimus, quo

(1) An. Varr. 800.
(2) in Vitell. c. 2. n. 7.
(3) Rud. 4. 2. 8.
(4) Inst. l. 6. c. 3.
(5) pro Cluent. c. 64. n. 179.
(6) H. N. l. 33. c. 3. n. 14.
(7) *Pondo* 10. *et semissis*.
(8) in M. Aurel. c. 9.
(9) Phil. 2. c. 38. n. 97.
(10) Cic. ibid. c. 37. n. 93.

ex Opis templo pecuniam Caesaris Antonius, Tullio teste (1), sustulerit. et auget difficultatem appellatio *Opis Augustae*, quae templi conditorem Augustum significare videtur.

CCCXXVII. (Grut. p. 222. n. 8.)

EXACT · IN · C · ST · (2)

Adscripsit Gruterus, unciam esse ex argento cum hisce litteris, eamque Horatii Vallis fuisse. at unciae et aliorum ponderum usus in statera nullus esse poterat, quum haec aut nullam haberet lancem, aut unam tantum. describitur a Vitruvio (3), ubi ille de vectis ferrei usu ad onera extollenda disserit. *Id autem*, inquit, *ex trutinis, quae* staterae *dicuntur, licet considerare. quum enim ansa propius caput, unde lancula pendet, ubi ut centrum est collocata, et aequipondium in alteram partem scapi per puncta vagando, quo longius, aut etiam ad extremum perducitur, paullo etiam pari pondere amplissimum, pensionem parem perficit, per scapi librationem et examinationem longius a centro discedentem; ita imbecillior aequipondii brevitas majorem vim ponderis momento deducens sine vehementia molliter ab imo sursum versum egredi cogit.*

Igitur aequipondium illud parvae staterae, non unciam fuisse, statuendum est: quod ipsa etiam figura, quam Gruterus exhibet, satis demonstrat: anulus enim apparet in superiore parte, qua staterae scapus trajiceretur.

(1) Phil. 2. c. 37. n. 93. (2) *Exactae in Capitolio Staterae.* (3) lib. 10. c. 8.

PARS VI.

DECRETA ET ACTA COLLEGIORVM

§. I.

DECRETA COLLEGIORVM

CCCXXVIII. (Murat. p. 563. n. 1. Grut. p. 1101. n. 1.)

IMP · CAES · M · AVRELIO
ANTONINO · PIO · AVG ·
FELICE · VI · M · PETRONIO · SEPTIMI
ANO · COS · (1)
X · KAL · APRIL · IN · TEMPLO · COLLEGI · FABRVM
ET · CENTONARIORVM · REGIENSIVM
QVOD · REFERENTIB · P · SAENIO · MARCELLINO
ET · C · AVFIDIO · DIALOGO · QVAESTORIBVS · V · F · (2)
TVTILIVM · IVLIANVM · VIRVM · ET · VITA · ET · MODESTIA · ET
INGENITA · VERECVNDIA · ORNATVM · ET · LIBERALEM
OPORTERE · COLLEGI · NOSTRI · PATRONVM · COOPTARI · VT
SIT · CETERIS · EXEMPLO · IVDICI · NOSTRI · TESTIMONIVM
Q · F · P · D · E · R · I · C · (3)
SALVBRI · CONSILIO · TAM · HONESTAM · RELATIONEM · A · QVAESTORIB ·
ET · MAGISTRIS · COLLEGI · NOSTRI · FACTAM · ET · SINGVLI · ET · VNIVERSI
SENTIMVS · ET · IDEO · EXCVSANDAM · POTIVS · HONESTO · VIRO
IVLIANO · HVIVS · TARDAE · COGITATIONIS · NOSTRAE · NECESSITAT ·
PETENDVMQ · AB · EO · LIBENTER · SVSCIPIAT · COLLEGI · N · PATRONAT · (4)
HONOREM · TABVLAMQVE · AEREAM · CVM · INSCRIPTIONE · HVIVS
DECRETI · IN · DOMO · EIVS · PONI · CENSVERVNT

Germanorum Antoninorum hic ultimus est, nempe Commodus, qui primus *Felix* appellatus est a senatu, quum Perennem occidisset (5). eodem spectare videntur nummorum ejus inscriptiones FELICIA · TEMPORA ·, FELICITATI · CAES ·, FELICITATI · PERPETVAE AVG · (6) et hujusmodi. post Commodum autem omnes fere Imperatores PII · FELICES a senatu nuncupati sunt: qua de re plura Spanhemius (7): quamquam huic Tillemontius

(1) An. Varr. 943.
(2) V. F. *Verba Facta*.
(3) *Quod Fieri Placuit, De Ea Re Ita Censuerunt*.
(4) *Nostri Patronatus*.
(5) Lampr. in Comm. c. 8. v. Hard.
Hist. Aug. Op. sel. p. 790.
(6) Vaill. Impp. t. 1. in Comm.
(7) Diss. 12. p. 441.

de anno ejus appellationis non assentitur (1); Biragi scilicet nummum attendens, in quo Commodus *Trib. Pot.* VI· jam *Felix* dicitur, id est anno a Marci patris morte primo, vel secundi initio. quod sane Lampridii quoque auctoritatem elevat; nisi potius de nummi illius vetustate dubitandum est (*a*).

Centonarii ii erant, inquit Fontaninus (2), *qui arcibus, navibus et militibus* Centones *offerendos curabant. Centones* autem, qui Graecis κεντρωνες sunt, dixere stragula ex lana coacta, aut ex frustulis pannicolorum coloris cujusque consuta: quibus scilicet in urbium oppugnationibus adversus ignem hostium et tela tormentis missa vineas ceterasque bellicas machinas obtegebant (3): ex his etiam tunicas sibi aut tegumenta faciebant milites, quibus sagittarum ictus vitarent (4). animadvertit item Fontaninus, a Leone Imp. commendari *Centones laxos* (5), quibus equos integi jubet, qui frontalia, lateralia et pectoralia ferrea vel cornea non habeant. inde jam, opinor, intelligis, cur saepe in antiquis inscriptionibus Centonarii et Fabris et Dendrophoris conjuncti occurrant: rem quippe bellicam simul omnes curabant. ut vero aliis in urbibus horum collegia erant, sic et Regii Lepidi fuit, ubi decretum hoc repertum est: qua illi ex urbe ad Gallicas expeditiones evocari percommode poterant. horum corpora *frequentia hominum multiplicari*, e republica esse putabat Constantinus Magnus (6).

Magistros collegiorum passim reperies: hic vero iidem et *Magistri* appellantur et *Quaestores*, ideo fortasse, quod et Collegio praecessent et Collegii aerario sive arcae.

Honorem patronatus deferri a collegio vides eodem fere modo, quo patronatum ordinis a municipiis delatum diximus (7); quippe in collegiis quoque, ut in ordine decurionum, sodalium gradus erant diversi: exemplum reperies apud Gruterum (8), in quo quum recenseantur qui ex *Ordine Corporatorum* pecuniam ad ampliandum templum contulissent, primi omnium appellantur *Patroni*, qui vero post primos scripti, dicuntur *Quinquennales Perpetui*, qui tertio loco *Quinquennalicii*: denum sodales reliqui nullo titulo referuntur. qua porro ex urbe patronus hic fuerit, non est additum: Tutiliam tamen gentem ex Mediolanensibus fuisse, inscriptiones quaedam Gruterianae demonstrant (9), quae aut Mediolani aut in agro Mediolanensi inventae sunt. Tutilium porro Iulianum Quaestores Patronum cooptandum censebant cum ob merita ejus, tum ut honorem eum ambirent, hinc intelligere possent, quos viros ac quibus ornatos virtutibus patronos sibi Collegium adoptandos putaret. Collegae vero relationem primum singuli et universi probarunt; tum id quoque sentire se dixerunt, excusatione potius cum Iuliano utendum esse, quod ipsi maturius eum honorem deferre non potuerint, petendumque ab eo, ut et honorem susciperet, et *susciperet* item sive permitteret Tabulam aeream cum inscriptione decreti in domo ejus poni: cujus loquutionis haud multum dissimilis videtur haec Tulliana (10): *Qui, quod tota in hac caussa difficillimum est, Suscipiunt posse animum manere corpore vacantem*. haec demum in templo, quo convenerant, scripta ac recitata quum essent, de communi sententia probata sunt, adjectumque ex more sollemne verbum *Censuerint*.

(1) in Comm. art. 2.
(*a*) Dubitat enimvero Eckhel Doctr. N. V. t. 7. p. 135. imo affirmat, diversum a Birago docere numos non ignave, sed maturo examine descriptos, atque hos Commodum nonnisi labente anno V. C. 938. *Felicem* denique salutare. Stet igitur integra Lampridii auctoritas.
(2) Ant. Hort. l. 2. c. 5. n. 3. et Finestr. Syll. Inscr. Cl. 7. n. 9.
(3) Caes. B. C. l. 2. c. 3. n. 9.
(4) idem B. C. l. 3. c. 15. n. 44.
(5) De bell. appar. c. 6. §. 8. et 13.
(6) Cod. Th. l. 14. tit. 8. l. 1.
(7) v. inscr. 310.
(8) p. 196. 197. v. et p. 1077.
(9) Grut. p. 476. n. 10. p. 477. n. 1. p. 759. n. 7.
(10) 1. Tuscul. c. 32. n. 78.

CCCXXVIIII. (Fabr. p. 724. n. 443.)

LEX · COLLEGI · AESCVLAPI · ET · HYGIAE

SALVIA · C · F · MARCELLINA · OB · MEMORIAM · FL · APOLLONI · PROC · AVG · QVI · FVIT · A PINACOTHECIS · ET · CAPITONIS · AVG · L · ADIVTOR · (1) EIVS · MARITI · SVI · OPTIMI PIISSIMI · DONVM · DEDIT · COLLEGIO · AESCVLAPI · ET · HYGIAE · LOCVM · AEDICVLAE CVM · PERGVLA · ET · SIGNVM · MARMOREVM · AESCVLAPI · ET · SOLARIVM · TECTVM IVNCTVM · IN · QVO · POPVLVS · COLLEGII · S · S · (2) EPVLETVR · QVOD · EST · VIA · APPIA AD · MARTIS · INTRA · MILLIARIVM · I · ET · II · AB · VRBE · EVNTIBVS · PARTE · LAEVA INTER · ADFINES · VIBIVM · CALOCAERVM · ET · POPVLVM

ITEM · EADEM · MARCELLINA · COLLEGIO · S · S · DEDIT · DONAVITQVE · H-S · L · M · N · HOMINIBVS · N · LX · (3) SVB · HAC · CONDICIONE · VT · NE · PLVRES · ADLEGANTVR · QVAM NVMERVS · S · S · ET · VT · IN · LOCVM · DEFVNCTORVM · LOCA · VENIANT · ET · LIBERI ADLEGANTVR · VEL · SI · QVIS · LOCVM · SVVM · LEGARE · VOLET · FILIO · VEL · FRATRI VEL · LIBERTO · DVMTAXAT · VT · INFERAT · ARKAE · N · PARTEM · DIMIDIAM · FVNERATICI ET · NE · EAM · PECVNIAM · S · S · VELINT · IN · ALIOS · VSVS · CONVERTERE · SED · VT EX · VSVRIS · EIVS · SVMMAE · DIEBVS · INFRASCRIPTIS · LOCVM · CONFREQVENTARE · EX REDITV · EIVS · SVMMAE · SI · QVOD · COMPARAVERINT · SPORTVLAS · HOMINIB · N · LX · EX DECRETO · VNIVERSORVM · QVOD · GESTVM · EST · IN · TEMPLO · DIVORVM · IN · AEDE · DIVI TITI · CONVENTV · PLENO · QVI · DIES · FVIT · V · ID · MART · BRVTTIO · PRAESENTE · ET IVNIO · RVFINO · COS · (4) VTI · XIII · K · OCT · DIE · FELICISSIMO · N · ANTONINI · AVG · N · PII · P · P · SPORTVLAS · DIVIDERENT · IN · TEMPLO · DIVORVM · IN · AEDE · DIVI · TITI C · OFILIO · HERMETI · Q · Q · P · P · (5) VEL · QVI · TVNC · ERIT · ⊗ · III · AELIO ZENONI · PATRI · COLLEGI · ⊗ · III · SALVIAE · MARCELLINAE · MATRI · COLLEGI · ⊗ · III · IMM · SING · (6) ⊗ · II · CVR · SING · (7) ⊗ · II · POPVLO · SING · ⊗ · I ·

ITEM · PL · PR · NON · NOV · N · (8) COLLEGI · DIVIDERENT · EX · REDITV · S · S · AD · MARTIS IN · SCHOLAM · N · (9) PRAESENTIBVS · Q · Q · ⊗ · VI · (10) PATRI · COLLEGI · ⊗ · VI · MATRI · COLLEGI · ⊗ · VI · IMM · SING · ⊗ · IIII · CVR · SING · ⊗ · IIII · PANES IIII · VINVM · MENSVRAS · Q · Q · -S- (11) VIIII · PATR · COLL · -S- VIIII · IMM · SING · -S- VI · CVR · SING · -S- VI · POPVLO · SING · -S- III ·

ITEM · PR · NON · IAN · STRENVAS · DIVIDERENT · SICVT · S · S · EST · XIII · X · OCT ·

ITEM · VIII · K · MART · DIE · KARAE · COGNATIONIS · AD · MARTIS · EODEM · LOCO · DIVIDERENT SPORTVLAS · PANE · ET · VINVM · SICVT · S · S · EST · PRID · NON · NOV ·

ITEM · PR · ID · MART · EODEM · LOCO · CENAM · QVAM · OFILIVS · HERMES · Q · Q · OMNIBVS ANNIS · DANDAM · PRAESENTIBVS · PROMISIT · VEL · SPORTVLAS · SICVT · SOLITVS · EST · DARE

(1) *Adjutoris.*
(2) S. S. *Supra Scripti.*
(3) *Sestertium* 50000 *nummum homin. Numero* 60.
(4) Cos. an. Varr. 906.
(5) Q. Q. P. P. *Quinquennali Perpetuo.*
(6) *Immunibus Singulis.*
(7) *Curatoribus Singulis.*
(8) *Placuit, Pridie Nonas Novembres, Natali etc.*
(9) *Nostram.*
(10) *Quinquennali Denarios 6.*
(11) *Quinquennali Sextariorum.*

ITEM · XI · K · APR · DIE · VIOLARI · EODEM · LOCO · PRAESENTIBVS · DIVIDERENTVR · SPORTVLAE VINV · ET · PANE · SICVT · DIEBVS · S · S · ITEM · V · ID · MAI · DIE · ROSAE EODEM · LOCO · PRAESENTIB · DIVIDERENTVR · SPORTVLAE · VINV · ET · PANE · SICVT DIEBVS · S · S · EA · CONDICIONE · QVA · IN · CONVENTV · PLACVIT · VNIVERSIS · VT · DIEBVS S · S · II · QVI · AD · EPVLANDVM · NON · CONVENISSENT · SPORTVLAE · ET · PANE · ET VINV · EORVM · VENIRENT · ET · PRAESENTIBVS · DIVIDERETVR · EXCEPTO · EORVM · QVI TRANS · MARE · ERVNT · VEL · QVI · PERPETVA · VALETVDINE · DETINETVR

ITEM · P · AELIVS · AVG · LIB · ZENON · EIDEM · COLLEGIO · S · S · OB · MEMORIAM · M · VLPI AVG · LIB · CAPITONIS · FRATRIS · SVI · PIISSIMI · DEDIT · DONAVITQVE · H-S · X · M · N · VT · EX · REDITV · EIVS · SVMMAE · IN · CONTRIBVTIONE · SPORTVLARVM · DIVIDERETVR QVOD · SI · EA · PECVNIA · OMNIS · QVAE · S · S · EST · QVAM · DEDIT · DONAVIT · COLLEGIO S · S · SALVIA · C · F · MARCELLINA · ET · P · AELIVS · AVG · LIB · ZENO · IN · ALIOS · VSVS CONVERTERE · VOLVERINT · QVAM · IN · EOS · VSVS · QVI · S · S · S · QVOS · ORDO · COLLEGI N · DECREVIT · ET · VTI · HAEC · OMNIA · QVAE · S · S · S · SVIS · DIEBVS · VT · ITA · FIANT DIVIDANTQVE · QVOD · SI · ADVERSVS · EA · QVID · EGERINT · SIVE · QVID · ITA · NON FECERINT · TVNC · Q · Q · VEL · CVRATORES · EIVSDEM · COLLEGI · QVI · TVNC · ERVNT · SI ADVERSVS · EA · QVID · FECERINT · Q · Q · ET · CVRATORES · S · S · VTI · POENAE · NOMINE ARKAE · N · INFERANT · H-S · XX · M · N ·

HOC · DECRETVM · ORDINI · N · PLACVIT · IN · CONVENTV · PLENO · QVOD · GESTVM · EST · IN TEMPLO · DIVORVM · IN · AEDE · DIVI · TITI · V · ID · MART · G · BRVTTIO · PRAESENTE · A. IVNIO · RVFINO · COS · Q · Q · C · OFILIO . HERMETE · CVRATORIB · P · AEL · AVG · LIB · ONESIMO · ET · C · SALVIO · SELEVCO

Omnibus veterum inscriptionum libris pervolutatis, ut Decretum alterum sine mendis integrumque, si quod esset, eligerem describeremque, post inutilem integri prope mensis laborem, hoc denique ceteris, quae exstant, praeferendum fuit: in quo si quid te usquam scribae lapicidaeve oscitantis inscitia offendet, hoc memineris facito, cetera, quae a Muratorio aliisque edita sunt, quae sunt perpauca, quamquam satis antiqua, adeo tamen insulsa esse, totque scatere vitiis mendisque, ut cum hoc ne comparanda quidem videantur. hoc porro inter Barberiniana marmora exquisitiorem eruditionem spirantia praecipuum esse, ait Fabrettus: qui tamen doctrinae suae parcus ac tenax, Sponii adnotationibus (1), quae levissimae sunt, contentus fuit.

Inscriptio haec in marmore versus habet non amplius vigintiquatuor, quos includere his chartis non licuit integros. continet autem tamquam historiam instaurati collegii, cui Schola erat via Appia prope Martis templum. eo conveniebant Cultores Aesculapii et Hygiae sive Salutis, quibus Marcellina donum dedit locum, in quo aediculam aedificarent, imo et pergulam, id est podium edito in loco apertum porrectumque, cui aediculam et statuam imponerent: tum proximum huic solarium tectum quasi cenaculum ad epulum instruendum: locus vero iste medius erat inter viam agrumve publi-

(1) Misc. erud. ant. p. 54.

cum et praedium Vibii Calocaeri. demum huic dono adjecit Marcellina sestertiûm nummorum quinquaginta millia, eamque imitatus est levir ejus P. Aelius Zeno, qui sestertiûm nummorum decem millia eidem collegio donavit: quamobrem illa *Mater*, hic *Pater Collegii* appellantur.

Iamvero collegii hujus sodales in posterum numero sexaginta esse debebant, nec alii unquam adlegendi erant, nisi *in locum* sive *loca defunctorum*, iique liberi. quod si quis tamen testamento legare locum suum voluisset filio vel fratri vel liberto dumtaxat, id ea condicione permittebatur, si antea collegio ejus pecuniae partem dimidiam solvisset, qua ad funus ejusdem opus erat: quae hic *Funeraticum* dicitur: collegii nempe sumptibus omnes fortasse sodales efferri mos erat (1). tum hoc etiam praescripserat Marcellina, ne pecunia, quam collegio donaverat, in alios usus converteretur, et ut usuris ejus summae ad locum adsignandis diebus confrequentandum sportulasque dividendas uterentur.

Quum igitur sodales in templum Divorum universi convenissent, haec ad Marcellinae praescriptum statuta sunt: primum ut ex reditu pecuniae, sive ea foenori data, sive ex ea fundus comparatus esset, in eodem templo, quo tum convenerant, sportulae dividerentur die Natali Antonini Pii, quem Capitolinus (2) quoque natum esse scribit *tertiodecimo cal. Octobres Flavio Domitiano duodecimo et Cornelio Dolabella Cos.* accipere autem debebant Quinquennalis et Pater Materque collegii sportulam quisque denariorum trium; Immunes vero, ii scilicet, qui ob aetatem a collegii muneribus vacabant, et Curatores singuli sportulam denariorum duorum: reliqui sodales, qui *Populus* appellantur, denarium singuli unum.

Deinde id quoque placuit, ut pridie nonas Novembres, qui dies Natalis collegii erat, omnibus, qui extra urbem in Scholam convenissent, sportulae dividerentur majores, et panis etiam ac vinum adderetur. quum tamen Patri collegii sextarii novem dandi essent, Matri ne unus quidem dandus dicitur: quod ex veteri disciplina factum puto: quippe, ut ait Plinius (3), *Non licebat id feminis Romae bibere;* et Cato ideo propinquos feminis osculum dare scripsit, *ut scirent, an temetum olerent.*

Sportulae item, ut in die Natali Antonini Pii, distribuendae erant pridie nonas Ianuarias. quia vero strenae initio anni, omnis boni gratia, vulgo darentur, idcirco sportulae hoc loco *Strenae* appellantur, sive, ut lapicida maluit, a Deae nomine *Strenuae*.

At VIII. cal. Martias et sportulae et panes ac vinum: pridie vero idus ejusdem mensis cena dari debebat vel sportulae, sed sumptibus Quinquennalis, utroque die ad Martis. rursus eodem loco sportulae et panes ac vinum die Violari et die Rosae, quos dies frustra, opinor, in antiquis scriptoribus quaeres (*a*). verum duobus hisce diebus qui non adfuissent, nisi forte trans mare essent, aut diuturno morbo detinerentur, eorum partes dividi placuit, et redactam pecuniam distribui praesentibus. enimvero haec omnia praestare collegium debebat ex usuris ejus summae, quam Marcellina donaverat. ex reditu vero summae, quam Zeno dederat, denarios aliquot singulis sportulis accrescere necesse erat, quos ille simul distribui jussisset.

Illud demum multis modis ac legulejorum, ut mos, formulis inculcatur, ne quid a Quinquennali aut a Curatoribus adversus ea, quae decreta essent, fieret; qui, si quid

(1) v. inscr. 133.
(2) in Anton. c. 1.
(3) H. N. l. 14. c. 13. n. 14. Gell. N. A. l. 10. c. 23. v. Henel. Ot. Vratisl. c. 26.

(*a*) Ita enimvero: sed horum dierum mentio est tantum in antiquo lapide apud Marin. Frat. Arv. p. 639. Qui tamen dies non semper aut ubique stati fuisse videntur; nam dies rosae hic est V. idus Majas, in alia vero inscript. quam videsis in Append. ad Lexic. Aegid. Forcellini in V. *Rosatio*, est XII. Kal. Iunias.

ausi essent, poenae nomine areae collegii sestertiûm viginti millia nummûm inferrent. Decretum autem gestum, id est factum dicitur *In Templo Divorum In Aede Divi Titi:* id ego templum puto esse, quod *Flaviae templum gentis* appellat Svetonius (1), et ab Domitiano excitatum scribit. templum certe Titi et Vespasiani memorat P. Victor, quod Donatus (2) sub Capitolio contra Palatinum fuisse docet: atque id recte *Divorum Templum* dicitur, quum unum duorum esset; quamquam aedes utrique sua, sive cella erat: qua de caussa adjectum est *In Aede Titi* (*a*). id ipsum autem si fuit, quod *Flaviae Gentis Templum* appellabatur, eodem et Iuliae Titi filiae et ipsius Domitiani cineres illatos, constat (3). sed fabella adversari videtur, quae Romae abhinc annos amplius ducentos narrabatur, Titi Vespasiani ossa in Sancti Sabbae aede condita esse: praesertim quum Novidius Fraceus in eo Kalendario, quod Fastis Sacris praeposuit, adscribere non dubitarit, *Non. Sabbae. Titi Vespasiani Ossa In Eius Templo Visuntur* (4).

De sportulis, de Scholis collegiorum deque templo Martis, satis a me superius dictum est (5). Flavium illum Apollonium Procuratorem Aug. cujus memoriam Marcellina honestare voluit, e libertorum Flaviorum numero exime: liberti filius fuisse videtur, quum patronum cieat nullum. idem *A Pinacothecis* fuisse dicitur, quod in domo Augusta tabulas pictas celeberrimorum pictorum custodiret, et qui spectatum veniebant, admitteret. *Adiutor* autem ei datus fuerat Capito Aug. libertus, qui vicariam ei operam praeberet.

§· II·

ACTA COLLEGIORVM

CCCXXX· (Grut. p. 883. n. 15.)

CN · CINNA · MAGNO
L · VALERIO · VOLESO · COS · (6)
AD · XIII · K · APRILIS
AD · MONVMENTVM · SOCIORVM
IN · CONVENTV · HABENDO · CVRATORE
C · PETRONIO · C · F · FAL · VARIA · ACTVM · EST
ET · ITA · DECREVERVNT · LOCVM · L · SEMPRONI
O · L · HILARI · ET · OLLAS · V · DARI · ADSIGNARI
C · PETRONIO · C · F · FAL · VARIAE · CVRATORI
OB · PIVM · OFFICIVM · INDVSTRIAM · ERGA · SOCIOS
EIVS · MONVMENTI · ET · SOCIVMQ · EVM · ADSCIVER ·

Inscriptionem hanc a Fulvio Vrsino accepit Gruterus Romae repertam. ea ad Cultores Herculis, puta, aut Saturni aut alterius e Diis veterum pertinebat. hi enim,

(1) in Domit. c. 5. n. 3.
(2) De V. R. l. 2. c. 20. v. Mart. l. 9. ep. 2. 4. etc.
(*a*) Haec minime probat Marinius Frat. Arv. p. 83. quibus vero de caussis dissentiat ab cl. Auctore, videsis apud eumdem loc. cit.
(3) Svet. in Dom. c. 17. n. 6.
(4) M. Decembr.
(5) v. inscr. 99. 111. 224.
(6) An. Varr. 738.

ut jam adnotavimus (1), sepulcra habuere communia. Cultorum igitur collegium Sempronium quemdam Hilarum Cajae libertum, qui fortasse Curator antea fuisset, ob aversam collegii pecuniam aut ob scelus aliud hujusmodi, ex albo suo expunxerat, et communi pariter sepultura privarat. Petronio autem in ejus locum suffecto, quum is officium industriamque illis probasset suam, iidem conventu indicto, locum in monumento, qui fuerat Hilari, et ollas quinque ad suorum cineres condendas dari adsignari voluerunt, et *Sociumque* sive socium quoque adsciverunt. haec deinde in Acta Collegii referri, ac marmori incidi placuit: quod in Scholae atrio constitutum locus ipse indicabat, cujus collegii esset.

Nam plura utique vel ante Augustum fuisse in urbe collegia minorum etiam gentium, nec artificum modo opificumque (2), sed etiam sodalium, cultorum, libertorum, cum priscae inscriptiones aliquot, tum veteres quidam scriptores declarant (3).

CCCXXXI. (Torr. Mon. Vet. Ant. p. 586.)

LOCA · ADSIGNATA · IN · AMPHITEATRO
L · AELIO · PLAVTIO · LAMIA · Q · PACTVMEIO · FRONTONE · COS ·
ACCEPTVM · AB · LABERIO · MAXIMO · PROCVRATORE · PRAEF · ANNONAE
L · VENNVLEIO · APRONIANO · MAG · CVRATORE · THYRSO · L ·
FRATRIBVS · ARVALIBVS · MAENIANO · $\overline{I}$ · CVN · $\overline{XII}$ · GRADIBVS · MARM · VIII · GRADV · I · P · VS = ℒ (4)
GRADV · III · PED · V · ≡ ℒ) F · PED · XXXXIIS · (5) GRADV · I · VNO · P · XXIIS · ET · MAENIANO · SVMMO
$\overline{II}$ · CVN · $\overline{VI}$ · GRADIB · MARM · $\overline{IV}$ · GRADV · I · VNO · P · XXIIS · ET · MAENIANO
SVMMO · IN · LIGNEIS · TAB · LIII · (6) GRADIBVS · XI · GRADV · $\overline{I}$ · PED · V · = = ℒ GRAD ·
XI · PED · V · = = —) F · PED · LXIIIS = = — ℒ
SVMMA · PED · CXXVIIIIS = = — ℒ (*a*)

Vltimum partitionis primae exemplum habeto Amphitheatri Flavii monumentum pulcherrimum, quod unum ad ejus molis structuram et formam describendam conferre plurimum possit. quamquam, quia obscurior fere atque implicatior visa oratio erat, nihil prope a Torrio, qui primus vulgavit, ne dum a Marangonio (7), qui ab eo accepit, subscriptum est: nec Maffejus ipse nisi pauca quaedam, eaque obiter delibavit (8). repertum id via Ostiensi, quarto ab urbe lapide, inter monumenta Fratrum Arvalium, exstatque in Capitolio, quo marmor transferendum curavit vir ille magnus et optimorum studiorum cultor idem et fautor, Alexander Albanus Cardinalis.

Laberium hunc Maximum non Praefecti Annonae, cujus nomen non apparet, sed ipsius *Amphitheatri Procuratorem* fuisse arbitror, uti exempli caussa apud Gruterum (9) legimus *Procuratorem Ludi Magni*, eundemque *Praefectum Annonae:* quem ideo utroque munere functum arbitror, quod ad Praefectum annonae pertineret panem (10),

(1) v. inscr. 205. et 206.
(2) v. inscr. 123.
(3) v. Sig. de A. I. C. R. l. 2. c. 12. Guth. Rittersh. etc.
(4) *Pedes* 5. *unciae* 8. *semis*.
(5) *Pedes* 5. *unciae* 3. *semis*. *Faciunt Pedes* 42. *semis*.
(6) *Tabulatione* 53.
(*a*) Licet cl. Auctor affirmet, se hunc lapidem et vidisse, et accurate descripsisse, tamen plurima eidem inesse menda arguit Marinius Frat. Arval. p. 224. et seqq., eumque accuratius ipse descripsit atque aliter interpretatus est. Sed quum ea, quae Marinius attulit ad illum illustrandum, prolixiora sint, ideo omnia ita, ut scripsit cl. Auctor, relinquenda esse putavi: si quis vero accuratiora desiderat, ad illud Marinii opus loc. cit. eumdem remitto.
(7) Colass. p. 8. n. 11.
(8) Anfit. l. 2. c. 13.
(9) p. 389. n. 7.
(10) v. inscr. 193.

sive potius tesseras frumentarias (nam panes Aurelianus primus dedisse fertur) plebi in gradibus distribuere, ut frumentum deinde acciperet a *Curatoribus Frumenti Populo Dividundi*. a Laberio igitur, quum L. Vennulejus Collegii magister esset, Curator vero Thyrsus libertus, *Fratribus Arvalibus*, id est horum commodo, *Acceptum*, spatium nempe in Amphitheatro, unde spectarent. formula ea est, ut *Datum, Expensum*, cui ex consuetudine optime cohaerent *Loca, Pedes*, et similes casus pluralis numeri.

Discas hinc primum velim, quod antea non in theatro solum, legibus Cornelia et Roscia, obtinebat, sed vel in Circo ab Augusto (1) potissimum constitutum fuerat, ut praeter senatores atque equites, aliis etiam milites, aliis mariti, et feminae ipsae et praetextati gradibus spectarent; idem deinde in Amphitheatro quoque ab ipsa ejus dedicatione sub Tito Aug. factum esse: et collegis etiam ac sodalitiis descripta atque adtributa loca, quae alius nemo occupare posset. atque hinc etiam contemnas, licebit, quae e Latino codice bibliothecae Augustae Vindobonensis (2), cui titulus *Imperia Caesarum*, a Ianningo olim descripta, Brotierus nuper ad Tacitum prioris editionis (3) vulgavit: inepte enim auctor ejus, quisquis ille fuit, nec antiquissimus, quum de Vespasiano haec protulisset, *Hic prior tribus gradibus Amphitheatrum dedicavit;* de Tito subinde adnotavit, *Hic Amphitheatrum a tribus gradibus Patris sui duos adjecit:* et de Domitiano, *Hoc Imp. multae operae fabricatae sunt: atria* VII· *horrea piperataria* .... *Amphitheatrum usque ad clypea* .... nimirum inscriptio haec ipsa, cui lucem afferre conamur, vel una satis declarat, singulis jam partibus absolutis amphitheatrum sub Tito Aug. dedicatum esse, et gradus in eo factos multo plures, quam ille tradiderit. tum illud animadvertas, loca in amphitheatro Collegiis sic esse adsignata, ut qui ex eodem corpore essent, non eodem plerique gradu, sed alter potius supra alterum gradibus diversis spectaret. Arvales certe ministrosque eorum prope omnes ita in Amphitheatro sedisse apparet, ut alter fere alteri superstarent, a primo fortasse usque ad ultimum gradum. neque enim absimile veri est, cuneum duodecimum maeniani inferioris, sextum superioris, et tabulationem quinquagesimam tertiam, initio numerorum diverso, inter lineas perpetuas duas processisse. id vero commodi ea sedendi ratio afferebat, ut discedente collegio, iisdem omnes scalis ostiisque abirent, unumque in locum facile congregari possent.

Porro *Maeniana* hic appellantur tres Amphitheatri totius gradationes, quae praecinctionibus intermediis sejunctae, spatium omne latiori semper orbe recedentes obibant. erat autem *Praecinctio* veluti gradus quidam ceteris altior ac latior, non ad sedendum, sed ad ingrediendum: qua de re Vitruvius (4), *Praecinctiones*, inquit, *ad altitudines theatrorum pro rata parte faciendae videntur, neque altiores, quam quanta praecinctionis itineris sit latitudo*. ipsas vero gradationes ideo *Maeniana* vocata esse censeo, quia, quum infra haberent gradum unum perpetuum, in quo spectatores in coronam sederent, hunc in podii speciem, ut in Circo (5), perpetua praecinctionis lorica claudebat vallabatque, gradationes enim sive maeniani gradus crebrae secabant scalae, per quas ad locum quisque suum descendebat. hae autem, quum ab majore ambitu in minorem descenderent, haud aequis spatiis gradus dividebant. ea igitur spatia ob figurae similitudinem *Cuneos* appellarunt, numerisque singulos suis distinxerunt. sed maeniano ultimo in ligneis gradibus nulli erant cunei, sive quod gradus depressiores essent, ita ut facile scandi possent; sive etiam quod architectus tantam locorum jacturam facere plebis caussa noluerit. ceterum ibi pro cuneis *Tabulationes* numerantur, quas Vi-

(1) Svet. in Aug. c. 44. n. 1. etc.
(2) n. 548.
(3) t. 4. p. 234. in H.
(4) lib. 5. c. 3.
(5) Ovid. Amor. l. 3. el. 2. v. 64.

truvius etiam memorat (1), *lignea theatra* scribens *Tabulationes habere complures*. has vero transversis saltem regulis divisas fuisse, nemo inficiabitur (2).

Venio jam ad ipsa loca, quae Arvalibus adsignata dicuntur. spatium antiquitus ad spectandum pedis unius quadrati singulis datum videtur: quod satis, opinor, querela illa Clodii apud Tullium (3) indicat de sorore, quae, quum Metelli consulis uxor esset, ac multos ad spectacula consulari loco accipere posset, uni se locum relicturam dixerat: *Soror*, inquit, *quae tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat*. neque plus datum dixeris Servilii liberis, circa statuam patris, qui in legatione ad Antonium mortuus erat, quum decreverit Cicero (4), placere senatui, eos *ludis gladiatoribusque quaquaversus pedes quinque habere*. at sesquipedem singulis in Amphitheatro datum, summa pedum, quae in Actis adscribitur, plane ostendit: nisi quod uncia aliquando aut semuncia detracta vel addita videtur. quum enim maeniano primo, cuneo duodecimo loca data dicantur gradibus marmoreis octo, ita ut primo tantum adsignati sint pedes quinque semis, unciae duae semis, et tertio pedes quinque, unciae tres semis; subjectum tamen est *Faciunt Pedes quadraginta duos semis*, additis nempe pedibus viginti duobus semis gradus primi unius: quae summa minime constat, nisi sex gradibus reliquis sesquipes singulis, sive pedes novem dati intelligantur. gradus porro ille extra ceterorum numerum *Primus* et *Vnus* appellatur, quod infra octo maeniani gradus esset, podio senatorum proximus, neque cuneorum scalis divisus.

Dati igitur his gradibus pedes quadraginta duo semis. item maeniano secundo, quod *summum* dicitur, quia superius erat, cuneo sexto adsignata loca quatuor, singula singulis gradibus pedis unius semis, qui sunt pedes sex: at in gradu primo uno sive integro pedes vigintiduo semis: in ligneis demum sedilibus, quia magis remota erant, et minore in pretio habebantur, loca data sunt ampliora, nempe in singulis item gradibus Tabulationis quinquagesimae tertiae, quae hic pro Cuneo numeratur; sed in primo pedes xxv· ℈ in undecimo xxv ===– in reliquis singulis sesquipes: unde summa existit *Pedum* LXIII S ===– ℈ cui summae addito Maeniani I· *Pedes* XXXXII S· et Maeniani II· *Pedes* XXVIII S, numerus jam pedum omnium erit *Ped.* C XXXIII S ===– ℈. Mendum in numeris esse manifestum est, nec summa constabit, nisi emendationem nostram probes, et lapicidam unum culpes: lapidem enim ipsum in Capitolio vidi ipse, et accurate descripsi. porro errata hujusmodi fabrilia saepe occurrunt.

Iamvero ultimo maeniano familiam collegii sedisse puto, quum ipsi Arvales in primis spectarent: quippe ne apparitores quidem magistratuum cum ipsis magistratibus spectabant: quod illa Taciti (5) verba declarant: *Liberto et accusatori praemium operae locus in theatro inter Viatores tribunicios datur*. ligneos autem ibi gradus ideo fuisse arbitror, ne, si marmorei facti essent, ipsa vi ponderis compages muri solveretur: quod Veronae accidisse constat. quamquam ejus prolapsionis causam ad ipsum murum interius in fastigium decrescentem referre quidam maluerunt, existimantes superiorem muri ambitum externa mole trahente exisse a centro. Flavii quidem Amphitheatri gradus extremos fuisse ligneos, Dio etiam significavit, ubi Macrino imperatore ipsum Amphitheatrum sic deflagrasse narrat (6), ὥστε τὴν τε ἄνω περιβολὴν αὐτοῦ πᾶσαν καὶ τὰ ἐν τῷ τοῦ κύκλου ἐδάφει πάντα κατακαυθῆναι, κἀκ τούτου τὰ λοιπὰ πυρωθέντα ἔραυσθῆναι: vides enim incensam τὴν ἄνω περιβολὴν πᾶσαν, id est maenianum totum: at infra τὰ ἐν τῷ τοῦ κύκλου ἐδάφει πάντα, quae in circuli pavimento erant omnia, tabulas scilicet, quibus gradus omnes tecti erant (7).

(1) lib. 5. c. 5.
(2) v. Ovid. l. c. v. 19.
(3) ad Attic. l. 2. ep. 1.
(4) Phil. 9. c. 7. n. 16.
(5) Ann. l. 16. c. 12.
(6) l. 78. p. 1332. E. *ut et superior ejus circuitus omnis, et quae in circuli pavimento erant, omnia igne absumpta sint, atque inde reliqua accensa pessum ierint.*
(7) Dio l. 59. p. 909. C.

Quod reliquum est, illud scire permagni interest, pars ne graduum, an omnes, qui in Amphitheatro erant, hic numerentur? mitto podium, de quo mentio non fit, in quo gradus nullos fuisse compertum habeo; fallique Maffejum puto atque Torrium, qui maenianum primum ipsum esse podium opinati sunt. podium enim, ut ipsa Amphitheatri vestigia ostendunt, tot illos gradus capere non poterat, habebatque in recessu arcus et ostia, quae gradibus obstructa quis putet? in podio item cubiculum erat Principis, ibique e senatoribus multi sellis curulibus sedebant, quae gradibus imponi non poterant. illud quaero, num gradus omnes a podio ad summam porticum quinque tantum et viginti fuerint? quot nempe in hac inscriptione recensentur.

Scio a Fontana architecto totum Amphitheatrum alia forma descriptum in tabulis, nec ullam in gradibus vel distribuendis vel multiplicandis inscriptionis, quam certo viderat (1), rationem habitam esse. mihi tamen molem illam, et, quae adhuc manent, gradationum vestigia contemplanti, ut Fontanae descriptio ab exemplo aberrare, sic distributio haec nostra quadrare optime visa est. quare neglectam ab eo inscriptionem putavi, ne opus fortasse absolutum invitus retractare cogeretur. neque vero spatium ipsum ab Amphitheatri muro ad arenam gradus capere multo plures potuisse dicas. nam quum Fontana invenerit (2), a muro ad arenam pedes esse centum octoginta, primum ex his amplius quinquaginta ipsi gradus numero viginti quinque sibi vindicabant. praescripserat enim Vitruvius (3), ut latitudines graduum *ne minus pedes duo* constituerentur: quippe idem gradus non modo sedile esse debebat, sed etiam ὑποπόδιον, eorum scilicet, qui in superiore sedebant. aliquot deinde pedes crassitudo muri et columnarum auferebat: multo autem plures summa porticus et praecinctiones tres et podium et euripus: quem in Circo maximo βάθος τε καὶ πλάτος δεκαπόδα fuisse constat (4): ut si locus his tribuatur suus, vix jam spatium ullum aliis gradibus constituendis relinquatur. sed de his viderint architecti. si quis vero, recordatus, quae a P. Victore traduntur, Amphitheatrum cepisse locorum octoginta millia, gradus viginti quinque pancliores esse ducat, quam numerus requirebat; is, velim, animadvertat, praeter podium et scalas et ipsa ostia, in quibus non exiguus numerus consistere poterat, in porticu, quae in summo maeniano lignea muroque juncta procul dubio fuit, qualis et in theatris Vitruvio teste (5) omnino erat, ob amplitudinem totius ambitus quammaximum multitudini locum fuisse.

Quae quum ita sint, totius jam Amphitheatri Flavii structura intrinsecus haec mihi fuisse videtur: ara stabat in medio sive templum (6); circum eam arena euripo cincta. deinde podium, supra quod praecinctio prima ostiis distincta in podium patentibus. post hanc gradus primus unus, tum maenianum primum gradibus octo. his praecinctio altera imminebat et ostia, per quae populus in inferius maenianum descenderet. rursum gradus primus unus, et maenianum secundum quatuor tantum gradibus, ne, si plures fuissent, qui in remotioribus sederent, et ob sedilium retractiones et ob interjectum podium prospectu arenae magna his ex parte carendum esset. jam praecinctio tertia cum ostiis altior quam ceterae, ut qui in maeniano tertio spectarent, despectus in arenam habere possent patentes; sic enim illud et magis attollebatur et minus recedebat, quam si gradibus maeniani inferioris continuum fuisset. ultimum maenianum in ligneis, cujus gradus undecim: post hos porticus et murus et vela.

Haec sunt, quae mihi veri quam simillima visa: alii vera prodant, atque utinam minore labore, quam mihi haec steterint.

(1) v. Anf. l. 3. c. 6.
(2) l. 2. c. 1.
(3) l. 5. c. 6.
(4) Dion. Halic. l. 3. p. 201. *profunditate et latitudine aeque pedum decem.*
(5) lib. 5. c. 7.
(6) v. inscr. 236.

PARTITIO SECVNDA

CONSECTARIA INSCRIPTIONVM MIXTI GENERIS QVATERNA

Quae olim Lucretius apum more ex Epicuri chartis se legere ajebat, eadem e veterum monumentis, quaecumque haec sint,

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta;

atque eo rursum consilio e singulis generibus satis multa huic libro mandamus, ut quaecumque veteres imitatione digna reliquerunt, eorum exempla cuique ad imitandum abunde suffecisse videamur. neque enim ea ipsa, quae jam prolaturi sumus, adeo minoris esse pretii putanda sunt, ut post ea, quae superius proposuimus, non aequo his jure locum sedemque tribuamus. nam, ut singula attingam, temporariae quidem inscriptiones publice fere proponuntur, et argumenti dignitate insignes esse solent: tum nummariae, quamquam exiguo verborum numero constant, rerum tamen magnitudine saepe ceteris praestant omnibus. nec si titulis rerum privarum et ipsis etiam poëticis inscriptionibus tenues plerumque res videas subesse, non ideo leporem etiam in his et suavitatem desideres; quo uno nomine ecteraé ctiam inscriptiones non raro omnium laudibus commendantur. quare his etiam, ut sua cuique dignitas est, ita sedes esse debuit: nosque ut superiores diligenti studio exposuimus, sic has quoque, quantum fas est, utili commentatione illustrabimus.

CAPVT I.

Specimen inscriptionum temporariarum, sive inscriptiones ex iis, quas veteres, nulla posteritatis habita ratione, ad breve tempus proposuerunt

Etsi e temporariis inscriptionibus nullae ferme superesse potuerunt, nisi quas Latini scriptores in commentarios suos relatas posteris tradidere; complures tamen multis de caussis perscriptas olim et propositas fuisse, ex ipsis scriptoribus antiquis plane constat. primum enim veteres precationum sollemnium caussa atque ad vota nuncupanda formulas quasdam tabulis inscribendas curasse, easque palam propositas praeeunte fere Pontifice Maximo recitasse, nemo, qui Romanam historiam attigerit, infitiabitur. insignis est Svetonii loeus in vita Augusti, de quo, quum narrasset, mortem eum suam evidentissimis quibusdam ostentis praeeognovisse, subjecit, vota, quae in proximum

lustrum suscipi mos esset, collegam suum Tiberium nuncupare jussisse (1). *Nam se*, inquit, *quamquam conscriptis paratisque jam Tabulis, negavit suscepturum, quae non esset soluturus*. idem de studio et amore populi Romani erga Cajum Aug. scribens (2), *Ut vero*, inquit, *in adversam valetudinem incidit, pernoctantibus cunctis circa Palatium, non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute aegri, quique capita sua Titulo proposito voverent*. eodem pertinent tituli illi, qui victimis mactandis praeferebantur, e quibus is fuit, quem quidam patres familiarum testamento caverunt, ut haeredes sui ductis in Capitolium victimis praeferrent; cujus hanc esse sententiam volucre (3), *Votum se pro illis solvere, quod superstitem Augustum reliquissent*. tabularum autem hujusmodi, peractis sacrificiis, nullum fuisse usum facile intelliges, siquidem animadvertas, non alia eas de caussa esse propositas, quam ut sciret populus vel quid sacrorum tempore Deos ipse rogare deberet, vel quo se alii voto aut exsolverent aut obligarent.

Iamvero pomparum etiam et ludorum diebus multos passim titulos prostitisse temporarios, fatendum est. nam per eos dies temporaria etiam theatra exstruere, et forum comitiumque signis ac tabulis pictis undique conquisitis ornare (4), vel antiquissimi aediles solebant. Caesar vero in aedilitate *etiam Capitolium*, ut auctor est Svetonius (5), *ornavit porticibus ad tempus exstructis, in quibus abundante rerum copia pars apparatus exponeretur*. his porro inscriptiones praefigendae fuerunt, ut de muneratiis, de ludis, de dedicatione populum edocerent. Circensi item pompa et quae, sub Augustis maxime (6), feriis aliquot sollemnibus ad delubra Deorum ducebantur, quum triumphali fere more pararentur, nullum sine titulo ferculum processisse puto. adde his, quos in adventu Principis non Romae solum, sed etiam in provinciis, subitariis arcubus, altaribus, templis passim excitatis, propositos fuisse, aut etiam praefixos hastis praelatosque legimus (7). quemadmodum et de Alexandrinis, qui bello civili Severiano a Pescennio stabant, accepimus a Suida (8), in urbis eos portis tum inscripsisse, ΤΟΥ · ΚΥΡΙΟΥ · ΝΙΓΡΟΥ · Η · ΠΟΛΙΣ: quae verba Septimius Severus Aug. quum victo Nigro Alexandriam intraus, deleta non esse indignaretur; illi, ut erant ingeniosi, satis probabilem defensionem extemplo attulerunt, iramque Augusti hac usi interpretatione mitigarunt: Συ γαρ ει ὁ Κυριος του Νιγρου. hos porro omnes titulos, qualescumque essent, temporarios fuisse, nec diuturniores, quam ipsos apparatus, nemo non videt.

De ipsis autem triumphis compertum habeo, id primum obtinuisse, ut ab eo, cui triumphus decretus esset, tabula in Capitolio proponeretur, in qua res a se gestas referret: ejusmodi fuisse arbitror quam Plinius (9) de Pompejo scribens *Praefationem*

(1) in Aug. c. 97. n. 3. v. Val. Max. l. 4. c. 1. n. 10.
(2) in Cajo c. 14. n. 3.
(3) idem in Aug. c. 59. n. 2.
(4) Ascon. in Verr. p. 86. Plin. H. N. l. 35. c. 14. n. 49.
(5) in Iul. c. 10. n. 1.
(6) Herod. l. 1. c. 9. et l. 5. c. 6.
(7) Tacit. Hist. l. 2. c. 70. Buonarr. Medagl. p. 152. Svet. in Ner. c. 24. 3.
(8) Exc. p. 724. D.
(9) H. N. l. 7. c. 26. n. 27.

triumphi appellat: idque usitato more diu factum, Atilius quoque Fortunatianus confirmat, de quo mihi paullo post dicendum erit (1). nihil deinde a Latinis Graecisve scriptoribus, ubi de triumphis agunt, commemorari video frequentius, quam titulos ferculorum, rerum scilicet indices a triumphatore gestarum, de quibus Propertius, *et titulis*, inquit, *oppida capta legam*. triumphi enim caussa Πήγματα, ut Iosephus vocat (2), construebantur, quibus non modo hostium spolia, sed etiam urbium captarum ac fluminum montiumque simulacra imponerent, magnificum populo Romano spectaculum praebitura, quae tamen omnia, quia plerumque lignea erant (3), acto triumpho, una cum titulis suis in armamentario, ut arbitror, consenescebant. gentium item urbiumque nomina et simulacra in triumpho Garamantico ducta a Cornelio Balbo, et quo etiam ea issent ordine prodidit Plinius (4), idemque a Vopisco traditum de Aureliani triumpho (5): *Ductae*, inquit, sunt *et decem mulieres, quas virili habitu pugnantes inter Gotthos ceperat: quum multae essent interemptae, quas de Amazonum genere titulus indicabat. praelati sunt enim tituli gentium nomina continentes:* quibus in titulis Ducum etiam nomina eminebant, qui quosque vicissent, ut ab Ovidio diserte jam traditum est (6):

Ergo omnis poterit populus spectare triumphos,
Cumque Ducum titulis oppida capta leget:

Ducum nempe, qui Imperatoris Augusti auspiciis bellum in Germania tum gesserant, Tiberii atque Germanici.

Denique ne ipsa quidem magnorum virorum funera inscriptionibus caruerunt. titulos enim in pompa etiam funebri praelatos esse, multi tradiderunt. de Augusti funere Tacitus (7): *Tum consultatum*, inquit, *de honoribus, ex quis maxime insignes visi: ut porta triumphali duceretur funus, Gallus Asinius; ut legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur, L. Arruntius censuere*. atque hunc jam morem Virgilius antiquissimum ut faceret, in Pallantis funere titulos Aeneae jussu in tropaeis inscriptos esse adnotaverat (8):

Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.

alia hujusmodi de Imp. Severi funere a Dione prolata sunt (9). sed ipsam quoque pyram imperatoriam, quotiescumque Ἀποθεώσις in campo celebraretur, inscriptionibus distinctam fuisse plane sentio: quibus sane nullas alias aevi brevioris fuisse vides: quippe, rogo incenso, omnia igne consumebantur. porro inter pyrae ornamenta ut inscriptiones quoque recenseam, ille me Herodiani locus admonet Severi funus describentis (10): Ἐξωθεν δε, pyra

(1) ad inscr. 341.
(2) B. I. l. 7. c. 24.
(3) Quint. Inst. l. 6. c. 3. Dio l. 43. p. 369. C.
(4) H. N. l. 5. c. 5. n. 5.
(5) in Aurel. c. 34.
(6) Trist. l. 4. El. 2. v. 19.
(7) Annal. l. 1. c. 8.
(8) Aen. l. 11. v. 83.
(9) l. 74. p. 841.
(10) Hist. l. 4. c. 2. *extra autem intextis auro stragulis atque eboreis signis* inscriptionibusque variis *ornata est*.

scilicet imperatoria, χρυσοϋφεσι στρωμναις, ελεφαντινοιστε αγαλματι, γραφαιστε ποικιλαις κεκοσμιται. scio, rogos aliquando vel contra leges, quae ne ascia quidem poliri concedebant, pictos fuisse, quod Plinius (1) ac Statius (2) demonstrant. at hic non de vulgari rogo, sed de Imperatorio sermo est, quem stragula auro intexta ac signa eburnea obtegebant distinguebantque, ut picturatis tabulis linteisque locus esse non posset. itaque contra Politiani de picturis interpretationem ποικιλαι illae Γραφαι mihi *inscriptiones* sunt, uti etiam Appiano Alexandrino, ubi Africani majoris triumphum describens, πυργοιτε, inquit (3), παραφερονται μιμηματα των ειλημμενων πολεων και Γραφαι και σχηματα των γεγονοτων. atque hinc etiam majores nostros eam consuetudinem accepisse dixerim, quam et nos adhuc servamus, ut in funeribus Principum feretri fulcrum et apparatum, tamquam epicediis (4), funebribus inscriptionibus decorarent. ceterum veteres ad exsequias carorum cohonestandas pyrae saepe ornatu contenti non fuere. in foro ipso exsequiae celebrabantur, quas deinde usque ad rogum frequentabant: de Messalini patre sic Ovidius (5):

Cui nos et lacrimas supremum in funere munus,
Et dedimus medio scripta canenda foro:

Υμνους και παιανας Herodianus (6) dixit, quae fortasse in tabulis descripta praeferebantur: cujusmodi in Plotinae quoque luctu Hadrianum composuisse Dio tradidit (7). in Iulii Caesaris funere rogus quidem, ut a Svetonio proditur (8), in campo juxta Iuliae tumulum extructus est; at pro Rostris *aurata aedes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata, intraque lectus eburneus, auro ac purpura stratus, et ad caput tropaeum cum veste, in qua fuerat occisus*. fratrem Salvidieni Rufi, auctor est Dio (9), Caesare Octaviano triumviro, publice elatum esse, ponte in Tiberi propter hoc ipsum facto, γεφυρας επ' αυτο τουτο ποιηθεισης. in municipiis etiam honores excogitati singulares, quibus clarorum virorum funeri justa persolverent. itaque illa sunt apud Fabrettum (10), *Huic Decuriones Funus Publicum, Statuam Equestrem, Clipeum Argenteum, Locum Sepulturae Decreverunt, Et Vrbani Statuam Pedestrem:* et in Beneventanis inscriptionibus leges (11), *Hos Decuriones Funere Publico De Foro E Tribunali Efferendos, Et Hic Humandos Censuerunt*. hujusmodi autem templa, pontes, suggestus, ipsorum etiam clypeorum et statuarum typos ac formas, quae pyrae, opinor, imponebantur, aut in foro ante feretrum constituebantur, nemo, ut arbitror, sine inscriptione fuisse affirmabit.

Quae quum ita sint, habes jam, quae capitis hujus distributio esse debeat. quatuor nimirum in partes distribuendae mihi sunt inscriptiones veterum temporariae, quascum-

(1) H. N. l. 35. c. 7. n. 31.
(2) Theb. l. 6. v. 56.
(3) de B. Pun. p. 35. D. *et turres praetervehuntur ad imitationem captarum urbium et* Tituli *atque simulacra rerum gestarum*.
(4) Scalig. Poët. l. 3. c. 122.
(5) ex Pont. l. 1. ep. 7. v. 29.
(6) Hist. l. 4. c. 2.
(7) l. 69. p. 1159. E.
(8) in Iul. c. 84. n. 1.
(9) l. 48. p. 550. E.
(10) p. 463. n. 92. v. inscr. 159.
(11) Vit. p. 38. n. 1. v. Tacit. Ann. l. 2. c. 83.

que veluti ex naufragio colligere datum est: quae magni sane faciendae sunt, quum eas nobis ipsa veterum, qui exscripserunt, diligentia et cura commendet. prima pars eas continebit, quae precationibus votisque nuncupandis confectae videantur: altera, quae pompis ludisque propositae sint: tertia triumphales: quarta funebres. quamquam in hac postrema egregie tibi imponere cogito, et inscriptiones quasdam fere sepulcrales pro funebribus venditare. eo me scilicet adduxit egestas exemplorum, ut quod receperim, sine aliqua fallacia praestare omnino non possim. nam de titulis quidem funebribus, ut paullo ante ostendebam, scriptores utique non pauci mentionem aliquam fecerunt; at qui verba etiam descripserit, inscriptionesque mandarit litteris, invenire neminem potui. ergo ut promissi tamen fidem servasse aliquatenus viderer, quum scirem exstare inscriptiones quasdam, quae quamquam epitaphium imitantur, singulari nihilominus forma compositae sint, nullumque de tumulo aut de spatio sepulturae verbum habeant; has mihi pro funebribus, quae nusquam fortasse manent, naviter supponendas putavi: praesertim quum haud incredibile sit, eas primum ad rogum propositas idcirco adhuc exstare, quod deinde eaedem et tumulis aptae visae sint.

PARS I.

INSCRIPTIONES SACRAE PRECATIONVM ET VOTORVM CAVSSA

CCCXXXII. (Liv. l. 5. c. 12. n. 21.)

TVO · DVCTV · PYTHICE · APOLLO
TVOQVE · NVMINE · INSTINCTVS
PERGO · AD · DELENDAM · VRBEM · VEIOS
TIBIQVE · HINC
DECIMAM · PARTEM · PRAEDAE · VOVEO
TE · SIMVL · IVNO · REGINA
QVAE · NVNC · VEIOS · COLIS
PRECOR · VT · NOS · VICTORES
IN · NOSTRAM · TVAMQVE · MOX · FVTVRAM
VRBEM · SEQVARE · VBI · TE
DIGNVM · AMPLITVDINE · TVA · TEMPLVM
ACCIPIAT

Magnam habeas Livio gratiam, qui Furium Camillum tam scite loquentem induxerit: nam ipsius quidem Camilli precationem si haberemus, Oedipo conjectore opus esset. *Pythicum* vocari Apollinem a Pythone dracone, quem ille sagittis confecisse dicebatur, nemo ignorat. cur autem e tot Diis, quos Romani colebant, hunc potissimum appellaret Camillus, ea erat caussa, quod legati jam Delphis venerant, sortem oraculi

ejus offerentes, insisteret audax hostium muris, memor, quam per tot annos obsideret urbem, ex ea Romano fatis victoriam datam (1). ideireo etiam ei Deo praedae decimam partem vovit, quod idem, bello perfecto, donum amplum ad sua templa portari jusserat.

Ceterum ut omnia e sententia succederent, evocanda etiam fuit Iuno, quae Vejos colebat: illi scilicet in arce templum erat, Vejisque propitia esse putabatur. de hoc Romanorum more agit Macrobius (2), et formulam quoque affert, qua imperator ante urbium oppugnationem Deos invitabat, ut hostium sedibus relictis, Romam concederent, ibique esse mallent: quibus etiam templa et ludos se facturum vovebat. captis autem Vejis, quo pacto Iunonis simulacrum in urbem Romani asportaverint, Livii verbis exponam. *Delecti*, inquit (3), *ex omni exercitu juvenes, pure lotis corporibus, candida veste, quibus deportanda Romam Regina Iuno adsignata erat, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus, quod id signum more Etrusco nisi certae gentis sacerdos attrectare non esset solitus. deinde quum quidam seu spiritu divino tactus, seu juvenili joco* Vis ne Romam ire Iuno? *dixisset, annuisse ceteri Deam conclamaverunt. inde fabulae adjectum est vocem quoque dicentis* Velle, *auditam. motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo accepimus levem ac facilem translatu fuisse: integramque in Aventinum aeternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam: ubi templum ei postea idem, qui voverat, Camillus dedicavit.*

CCCXXXIII· (Liv. l. 29. c. 17. n. 27.)

DIVI · DIVAEQVE · QVI · MARIA · TERRASQVE · COLITIS
VOS · PRECOR · QVAESOQVE
VTI · QVAE · IN · MEO · IMPERIO · GESTA · SVNT · GERVNTVR · POSTQVE
GERENTVR · EA · MIHI · POPVLO · PLEBIQVE · ROMANAE · SOCIIS · NOMINIQVE
LATINO · QVI · POPVLI · ROMANI · QVIQVE · MEAM · SECTAM · IMPERIVM
AVSPICIVMQVE · TERRA · MARI · AMNIBVSQVE · SEQVVNTVR · BENE · VERRVNCENT
EAQVE · VOS · OMNIA · BENE · IVVETIS · BONIS · AVCTIBVS · AVXITIS · SALVOS
INCOLVMESQVE · VICTIS · PERDVELLIBVS · VICTORES · SPOLIIS · DECORATOS
PRAEDA · ONVSTOS · TRIVMPHANTESQVE · MECVM · DOMOS · REDVCES · SISTATIS
INIMICORVM · HOSTIVMQVE · VLCISCENDORVM · COPIAM · FAXITIS · QVAEQVE
POPVLVS · CARTHAGINIENSIS · IN · CIVITATEM · NOSTRAM · FACERE
MOLITVS · EST · EA · VT · MIHI · POPVLOQVE · ROMANO · IN · CIVITATEM
CARTHAGINIENSIVM · EXEMPLA · EDENDI · FACVLTATEM · DETIS

Hac precatione usum Africanum majorem tradit Livius, quum ex Sicilia solveret bellum Africae illaturus, ut Hannibalem ex Italia detraheret. Divi Divaeque, quos Scipio compellavit, ii sunt ex Varronis doctrina (4), qui perpetui haberentur, neque ex hominibus Dii facti: quod Virgilius quoque sentire visus est, ubi de Iunone Iuturnam adloquente dixit (5), *Turni sic est affata sororem Diva Deam*. at Servius ad contrariam opinionem abiit, Deosque esse docuit, qui perpetui sive ab origine Dii fuissent, Divos, qui ex hominibus inter Deos recepti essent, quod Imperatorum etiam,

(1) Liv. l. 5. c. 19. n. 16.
(2) Saturn. l. 3. c. 9.
(3) ibid. c. 12. n. 22.
(4) Serv. in V. Aen. v. 45.
(5) Aen. l. 12. v. 138.

qui consecrabantur, appellatio confirmare videtur. sed tamen poëtae vetustiores, imo aliquando et Tullius; Deos quoscumque *Divos* appellarunt (1), ut sentire rectius videantur, qui utroque vocabulo idem plane significari putaverunt.

Bene Verruncent, id est *Bene Vertant*, ut Accius apud Nonium (2):

Te, sancte, venerans precibus, invicte, invoco,
Portenta ut populo patriae verruncent bene.

CCCXXXIIII. (Liv. l. 36. c. 1. n. 2.)

SI · DVELLVM
QVOD · CVM · ANTIOCHO · REGE · SVMI
POPVLVS · IVSSIT
ID · EX · SENTENTIA · SENATVS · POPVLIQ · ROMANI
CONFECTVM · ERIT
TVM · TIBI · IVPITER · POPVLVS · ROMANVS
LVDOS · MAGNOS · DIES · X · CONTINVOS · FACIET
DONAQ · AD · OMNIA · PVLVINARIA · DABVNTVR
DE · PECVNIA · QVANTAM · SENATVS · DECREVERIT
QVISQVIS · MAGISTRATVS
EOS · LVDOS · QVANDO · VBIQVE · FAXIT
HI · LVDI · RECTE · FACTI · DONAQVE · DATA
RECTE · SVNTO

In haec verba, praeunte P. Licinio pontifice maximo, votum Iovi nuncupavit M'. Acilius consul, cui jam Graecia sortitione provincia evenerat, bellumque cum Antiocho gerendum erat: ejusque rei causa supplicationem etiam ex senatus consulto imperaverat.

Ludi Magni et Circenses iidem erant, ut docuit Asconius (3) (*a*); hique Romani appellati. sed quos Acilius vovit, Circenses extraordinarii habendi sunt, uti et dona, quae ad omnia pulvinaria danda erant, id est ad omnium templorum Deos supplicationis causa in pulvinaribus, tamquam tricliniaribus lectis ad convivium locatos. id lectisternium appellabant, deosque singulis lectis binos fere jungebant. audi enim Livium (4): *Lectisternium per triduum habitum, decemviris sacrorum curantibus, sex pulvinaria in conspectu fuere. Iovi ac Iunoni unum, alterum Neptuno ac Minervae, tertium Marti ac Veneri, quartum Apollini ac Dianae, quintum Vulcano ac Vestae, sextum Mercurio ac Cereri.* statuas autem ad eam rem, accumbentium habitu reclinatas, protulisse puto, ceteris in loculis suis manentibus: quod significare Livius idem mihi videtur, ubi ait (5), *In foris publicis, ubi lectisternium erat, Deorum capita, quae in lectis erant, averterunt se, lanaque cum integumentis, quae Iovi opposita fuit, decidit.*

Porro quum Acilius ignoraret, quo anno quove duce bellum conficiendum esset, adjecit voto clausulam, ut a quocumque magistratu, quocumque tempore, ac ubicumque ludi fierent, donaque darentur, et ludi recte facti, et dona recte data essent.

(1) Horat. l. 1. od. 3. v. 1. etc. Cic. l. 2. de nat. Deor. c. 2. n. 6. etc.
(2) c. 2. n. 895.
(3) in Verr. 2. c. 10. n. 31.
(*a*) Id enimvero negat contra Asconium Mazochius Tab. Heracl. p. 357. quem videsis non inepte haec de re disputantem.
(4) lib. 22. c. 7. n. 10.
(5) l. 40. c. 52. n. 59.

CCCXXXV· (Fabr. p. 470. n. 112. Grut. p. 83. n. 15.)

SAECVLO · FELICI
PHISIAS · SACERDOS · ISIDIS · SALVTARIS
CONSECRATIO
PONTIFICIS · VOTIS · ANNVANT · DII · ROMANAE
REIP · ARCANAQVE · VRBIS · PRAESIDIA · ANNVANT
QVORVM · NVTV · ROMANO · IMPERIO · REGNA · CESSERE

Temporariam fuisse inscriptionem, quae ex lapide descripta sit, mirari noli: non una est, atque aliae infra afferentur. veteres scilicet ad sacra anniversaria diesque festos celebrandos saepe tenui apparatu contenti non erant: nec, si quod templum aut arcus aut scena temporaria exstruenda erat, ligneis tantum tabulis linteisve pictis, ut nunc mos est, sed marmoribus etiam et statuis omnis generis, maxima saepe molitione utebantur. *Aedili atque praetori Hortensio,* inquit Asconius (1), *et item Metellis rapta ex provinciis signa ad ornandum forum et comitium commodaverat Verres.* quid vero Plinius? *Trecentas sexaginta columnas M. Scauri aedilitate ad scenam theatri temporarii, et vix uno mense futuri in usu, viderunt portari silentio legum* (2): idemque in ejusdem theatri scena tria millia signorum fuisse scripserat (3): ipsius autem scenae imam partem e marmore fuisse tradit, mediam e vitro, summas denique columnas e tabulis inauratis (4). itaque quo loco tot marmora tantis sumptibus congesta visebantur, eodem et operis ipsius titulos in marmore incisos prostitisse, ne dubitandum quidem est.

Ceterum inscriptionem hanc non magna aliqua in mole, sed in aedicula aut ara propter viam fuisse puto, in qua Phisias, dum Isidis orgia magna pompa transferrentur, sacra facturus, votaque nuncupaturus esset *Saeculo Felici,* id est ob publicam felicitatem. vetus ea consuetudo erat, ipsique Duces et Imperatores, non modo Dii, eo ritu excipiebantur. De Caesare et Antonio, pace constituta, in urbem redeuntibus Appianus Italiam totam ea laetitia elatam scribit (5), *Ωστε παροδευουσιν αυτοις, οια Σωτηρσιν, εγιγνοντο θυσιαι.* ipse Caligula post Tiberii mortem a Miseno in urbem *inter altaria et victimas ardentesque taedas densissimo et laetissimo obviorum agmine* venisse dicitur (6). Phisiam porro ex Aegypto Commodus Imp. forsitan arcessiverat: quippe et Isiaca sacra primus per urbem portasse videtur (7), de quibus infra mihi agendum erit. non aliter e Phrygia acciti fuerant, qui Matris Ideae sacra procurarent (8).

Consecratio idem hic atque Carmen sive Precatio: quam in sententiam Lampridius quoque usurpavit, scribens Marcomannos a M. Aurelio amicos P. R. factos *carminibus et consecratione* (9). *Pontifex* autem ipse Imperator erat, qui in Isiacis sacris Anubim portabat (10). at *Arcana Vrbis Praesidia* Dii dicuntur, quibus imperium stare putabatur, quorum nomina occulta erant, ne scilicet ab hostibus evocari possent. *constat,* inquit Macrobius (11), *omnes urbes in alicujus Dei esse tutela, moremque Romanorum arcanum et multis ignotum fuisse, ut quum obsiderent ur-*

(1) in Verr. 2. l. 1. c. 22. n. 58.
(2) H. N. l. 36. c. 2. n. 2.
(3) ibid. l. 34. c. 7. n. 17.
(4) ibid. l. 36. c. 15. n. 24.
(5) B. C. l. 5. p. 715. *ut praetereuntibus ipsis tamquam conservatoribus sacrificia fierent.*
(6) Svet. in Cajo c. 13. n. 2. et in Ner. c. 25. n. 5.
(7) Lamprid. in Comm. c. 9.
(8) v. inscr. 45.
(9) in Helag. c. 9.
(10) Lamprid. in Comm. c. 9.
(11) Saturn. l. 3. c. 9.

bem hostium, eamque jam capi posse confiderent, certo carmine evocarent tutelares Deos, quod aut aliter urbem capi posse non crederent, aut, si posset, nefas aestimarent, Deos habere captivos.

CCCXXXVI· (Cato de R. R. n. 141.)

MARS · PATER · TE · PRECOR · QVAESOQVE
VTI · SIES · VOLENS · PROPITIVS · MIHI · DOMO
FAMILIAEQVE · NOSTRAE
QVOIVS·REI·ERGO·AGRVM · TERRAM · FVNDVMQVE · MEVM · SVOVITAVRILIA · CIRCVMAGI
IVSSI · VTI · TV · MORBOS · VISOS · INVISOSQVE · VIDVERTATEM · VASTITVDINEMQVE
CALAMITATES · INTEMPERIASQVE . PROHIBESSIS · DEFENDAS · AVERRVNCESQVE
VTIQVE · TV · FRVGES · FRVMENTA · VINETA · VIRGVLTAQVE · GRANDIRE · BENEQVE
EVENIRE · SIRIS · PASTORES · PECVAQVE · SALVA · SERVASSIS · DVISQVE · BONAM
SALVTEM · VALETVDINEMQVE · MIHI · DOMO · FAMILIAEQVE · NOSTRAE
HARVNCE · RERVM · ERGO · FVNDI · TERRAE · AGRIQVE · MEI · LVSTRANDI · LVSTRIQVE
FACIENDI · ERGO · MACTE · HISCE · SVOVITAVRILIBVS · LACTENTIBVS
IMMOLANDIS · ESTO · MARS · PATER · EIVSDEM · REI · ERGO
MACTE · HISCE · SVOVITAVRILIBVS · LACTENTIBVS · ESTO

Hac formula villicos agrum lustrare jubebat Cato, et suovitaurilia circumagi cum Divis volentibus: quod illi sacrum Majo mense faciundum esse, ex Kalendario sciebant. quidam *Solitaurilia* appellatum contendunt: alii legere *Suovetaurilia:* sed adnotavit Petrus Victorius, se et in Catonis et in Taciti optimo exemplari, item in aliis manu scriptis reperisse *Suovitaurilia*. eodem autem sacrificio et agri et urbs et populus exercitusque, ipsae etiam areae novis aedificiis adsignatae lustrabantur (1), sue nempe, ove, tauro circumactis, et post lustrationem immolatis. porro hostias in hoc sacrificio *lactentes* mactari jubet Cato, quod novum non erat: nam et Livius prodigiorum procurandorum caussa Decemviros nocte *lactentibus* rem divinam fecisse scribit (2). Tullius vero de legibus (3), *Illud*, inquit, *ex institutis Pontificum et Haruspicum non mutandum est, quibus hostiis immolandum cuique Deo, cui majoribus, cui Lactentibus, cui maribus, cui feminis.*

Precationem hanc paucis versibus complexus est Tibullus, ambarvale sacrum describens (4):

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agrestes:
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.

Sed Tibullus Bacchum ac Cererem, Cato Martem invocat: haud tamen bellipotentem illum Deum Romani generis auctorem, sed arvorum ac nemorum praesidem, quem *Martem Silvanum* appellabant. idem enim Cato, *Votum*, inquit (5), *pro bobus, ut valeant, sic facito: Marti Silvano in silva, interdius, in capita singula boum votum facito.*

(1) Varro l. 2. R. R. c. 1. Liv. l. 1. c. 44. Ascon. in Divin. Verr. c. 3. n. 8. Tacit. Hist. l. 4. c. 53.
(2) l. 37. c. 4. n. 3.
(3) l. 2. c. 12. n. 29.
(4) l. 2. el. 1. v. 17.
(5) de R. R. c. 85.

Viduertas a viduando dicta, ut *Vastitudo* a vastando. *Calamitatem* autem vocabant cladem calamorum in segete, sive eam grando sive turbo intulisset. quin etiam robigo, qua culmi pereunt, *Calamitas*, ut Servius docuit (1), a rusticanis appellabatur. *Siris* est pro *Siveris*, uti apud Plautum (2): eodemque modo cetera, αρχαϊκως. *Macte Esto*, id est hoc munere et oblatione major, honoratior, beatior fias: est enim *Mactus* idem ac magis auctus: idque iteratur, ad religionem, ut arbitror, integritatemque sacrificii testandam.

Iulius Pontedera (3), ingenio liberaliter dum abutitur, hoc etiam commentus est, *Averruncare* dictum esse ab *Verruco*, quod ille spicarum vitium putat esse, quasi ορρογκον sive seri tumorem, quum folliculi superiores lac, quo grana turgent, sic hauriunt, ut ad infimos tantum serum defluat. ex quo nihil densari et in granum grandescere possit. enimvero quid sit *Verruncum*, sic Varro exposuit (4), *Quod in infima spica ad culmum stramenti summum, item minus quam granum est:* quid vero hoc ad verbum *Averrunco?* at *Verruncare* est Vertere (5); itaque etiam *Averruncare* idem atque Avertere. jubetur autem Villicus petere a Marte, ut morbos visos invisosque prohibeat, viduertatem vastitudinemque defendat, calamitates intemperiasque averruncet.

PARS II·

INSCRIPTIONES POMPARVM AC LVDORVM

CCCXXXVII· (Maff. M. V. p. 95. n. 4.)

TI · CAESARI · DIVI
AVGVSTI · F · DIVI · IVLI
NEPOTI · AVG · PONTIFICI
MAXIMO · COS · $\overline{V}$ ·
IMP · $\overline{VIII}$ · TR · POT · $\overline{XXXVIII}$ ·
AVGVRI · $\overline{XV}$ · VIR · SACR ·
FACIEND · $\overline{VII}$ · VIR · EPVLON ·
L · SCRIBONIVS · L · F · VOT · (6) CELER
AEDIL · EX · D · D ·
PRO · LVDIS

Vias *pro ludis* silice stratas legisti supra, inscr. CCXXXVIII· hanc vero, quae nullius operis publici mentionem facit, ad municipii alicujus circum amphitheatrumve temporarium referas, quod ex decreto decurionum Aedilis Scribonius construendum curaverat, ut ludi in honorem Tiberii ederentur. quamquam, quia ludi Diis sacris habebantur; ne Tiberio quasi Deo facti dicerentur, quod ille aversatus esset: (quippe et templa et flamines et sacerdotes decerni sibi (7); imo et statuas, ut jam monui, atque

(1) ad Virg. 1. Georg. v. 151.
(2) Bacch. 3. 3. 64.
(3) Antiq. R. epist. 1. p. 164.
(4) de R. R. l. 1. c. 48.
(5) v. inscr. 333.
(6) *Voturia tribu*.
(7) Svet. in Tib. c. 26. n. 4.

imagines, nisi permittente se, poni prohibuerat) idcirco non ludi ipsi, sed ludorum, ut reor, apparatus Tiberio dedicatur ludorum caussa. at quod potestatis tribunicae numerus excedat annos principatus, id Augusto tribuendum, qui Tiberium tribunicae potestatis consortem adsumpserat, eamque bis illi a patribus postulaverat (1). eundem annum xxxviii· in nummo Tiberii apud Froelichum (2) leges. ceterum quum Tiberius mortem obierit anno imperii tertio et vicesimo, datam autem ei tribuniciam potestatem bis *in quinquennium* tantum scripserit Svetonius (3), annus ejus ultimus tribunicae potestatis, adjectis decem prioribus, non alius esse potuit, quam tricesimus tertius. hic vero ne haereas, praesto est Dio, qui post adoptionem, datam Tiberio tribuniciam potestatem testatur, non ut antea in quinquennium, sed in decennium. sic enim de Augusto scribit (4). Τον δε Τιβεριον και επεισηγατο, και επι τους Κελτους ετεμψε, την εξουσιαν αυτω την δημαρχικην ες Δεκα Ετη δους. quare annus tricesimus octavus tribuniciae potestatis, nisi eam iterum ante excessum Augusti in aliud quinquennium acceperit, idem omnino fuit atque annus imperii vicesimus tertius, quo Tiberius decessit. Svetonium autem eo loco non carere mendo, atque *in decennium*, non *in quinquennium* legendum esse, recte existimaveris.

Marmor Romae repertum, scripsit Maffejus: quod equidem ex finitimo potius municipio in urbem invectum crediderim. addit idem: *Tiberium Caesarem Augustum Augurem, Quindecimvirum et Septemvirum fuisse, nulla hactenus inscriptio docuerat.* ceterum nec opus fuerat: quippe a Dione jam acceperamus (5), Caesares Imperatoresve εν πασαις ταις ιερωσυναις ιερωσθαι qui et caussam ex imperii arcanis protulit: quod hi nempe, sacerdotiis omnibus initiati, παντων αυτοι και των οσιων ιερων κυριευουσιν. pertinet eodem nummi inscriptio de Nerone: SACERD · COOPT · IN · OMN · COLL · SVPRA · NVM. (6) quo etiam referenda sunt Lampridii verba de Commodo Aug. (7) *Assumptus est in omnia Collegia sacerdotalia Sacerdos* XIII· *calendas Invictas*, id est Februarias, *Pisone et Iuliano Cos.* apud Vaillantium autem nummus occurrit (8), in quo ad rem eamdem designandam Pontificalia instrumenta expressa sunt, additaque inscriptio DESTINATO · IMPERATORE, Antonino scilicet Caracalla, cujus vultus in adversa nummi fronte exhibetur (*a*).

CCCXXXVIII· (Torr. de Diis Aquil. p. 318. n. 13.)

C · VELLAEVS · A · L · EROS
SEX · VIR · ARAM · SEDILIA
STRATVM · DAT

Inscriptioni huic ut certam hoc loco sedem deligerem, Torrii v· c· interpretatio effecit, quam totam subjiciam. *Cajus*, inquit, *Vellaeus Eros Cajae libertus sexvir Foroiuliensis, quum aram sacris faciundis erexisset, certis Diis paraturus lectisternium sive epulum, fortasse ipsi Iovi ac Iunoni Minervaeque, quibus in Capitolio Romae cenam dare mos erat, unde epulum Iovis dictum, stratum quidem seu*

(1) Tacit. Ann. l. 1. c. 3. Svet. in Tib. c. 16. n. 1.
(2) de util. rei num. c. 3.
(3) in Tib. l. c.
(4) l. 55. p. 785. E. *Tiberium vero adoptatum in Germaniam misit, tribunicia potestate in annos decem delata.*
(5) l. 53. p. 712. *sacerdotiis omnibus initiari ..... omnibus ipsi religionibus sacrisque praesunt.*
(6) Spanhem. Diss. 12. p. 367.
(7) in Comm. c. 12.
(8) Num. Imp. t. 2. p. 243.
(*a*) Etiam inscriptio exstat apud Grut. p. 235. n. 10. posita Tiberio AVGVRI · XV · VIRO · *Sacris Faciendis* · VII · VIRO · EPVLON ·

lectum Romano more Iovi, deabus vero Iunoni et Minervae sedilia sive sellas dedicavit. corrige cum Bertolo (1), et legito *Auli Libertus*, non *Cajae*.

Enim vero de hisce Dearum sedilibus sive sellis controversia oritur. *Feminae*, ait Valerius Maximus (2), *cum viris cubantibus sedentes cenitabant. quae consuetudo ex hominum convictu ad divina penetravit. nam Iovis epulo ipse in lectulum, Iuno et Minerva in sellas ad cenam invitantur*. idem et Tacitus confirmare creditur, qui ob incendium Neronianum propitiatam Iunonem scribens (3), *Sellisternia*, inquit, (alii tamen *lectisternia* legunt) *et pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant*. at eo, quem supra attuli (4), Livii loco duodecim Dii sex omnino pulvinaribus, Deus cum Dea collocati dicuntur. quare non modo Taciti, sed etiam Valerii Maximi auctoritas nonnihil elevatur. porro litem sic dirimendam putaverim, ut Deae tum solum in sedilibus, non in lectis, locatae dicantur, quum solae, aut certe seorsum a Diis epulo interessent.

CCCXXXVIIII· (Fabr. p. 488. n. 172.)

PRO · SALVTE · DOMVS · AVGVSTAE
EX · CORPORE · PAVSARIORVM · ET
ARGENTARIORVM · ISIDI · ET
OSIRI · MANSIONEM
DEDICAVIMVS

Inscriptionem hanc Salmasius quoque vulgavit (5), sed minus accurate: habet enim *Corpora* pro *Ex Corpore* et *Aedificavimus* pro *Dedicavimus:* Reinesius vero, morem suum servans, pro *Pausariorum* posuit *Aurariorum* (6). Maffejo demum (7) displicuit nomen *Pausariorum* et verbum *Aedificavimus*, quod sane germanum non erat. ceterum inscriptionis γνησιοτητα Fabrettus asserit, quo praede retinenda est. puto autem, quia in urbe prodiit, pompae Isiacae caussa, quam forsitan Commodus Imp. ducere coepit, marmori incisam esse, ut supra Mansionis sive aediculae fornicem emineret.

Nam Pausarios istos minime nauticos fuisse, et longe alios, atque porticulos, habendos esse, compertum habeo. erant nempe urbani Sacerdotes Sacris Isidis celebrandis, inter quos et Commodus, uti Spartianus loquitur, capite raso et Anubim portavit et *omnes pausas explevit* (8), sive *edidit*. id erat pompam peragere firmis infractisque viribus, quin alteri simulacrum aut orgia ferenda traderentur. tanta autem alacritate Anubim suum in illa pompa ferebat Commodus, ut etiam Isiacorum praecedentium capita *ore simulacri*, uti narrat Lampridius, *graviter obtunderet* (9). quamquam ne sacerdotes nimium ab onere laborarent, *Mansiones* sive tabernacula cum stibadio (10) propter urbis vias excitabantur, in quibus, operantes sacris, *pausarent*, et fessis, ubi opus esset, recentes succederent, qui viae, quod reliquum erat, spatium obirent: quo tamen levamento Commodus uti noluit.

Mansionem igitur hanc, ut alii alias, Pausarii aliquot apud tabernas, ut arbitror,

(1) Ant. Aquil. p. 110. n. 95.
(2) l. 2. c. 1. n. 2.
(3) Ann. l. 15. c. 44.
(4) v. inscr. 334.
(5) ad Spart. in Caracal. c. 9.
(6) Cl. 1. n. 139.
(7) Art. Cr. Lap. l. 3. c. 4. p. 396.
(8) in Pescenn. c. 6. in Carac. c. 9.
(9) in Comm. c. 9.
(10) v. Fabr. p. 676. n. 29. 30.

Argentariorum faciundam curarunt: in quod opus quum quidam etiam ex corpore Argentariorum aes contulissent, Mansio utriusque corporis sive sodalitatis nomine dedicata est, adscriptumque *Ex Corpore,* id est *Sodales ex corpore,* quemadmodum apud Tullium leges (1), *Ex magna hominum frequentia dicere jubent,* nempe homines ex magna frequentia, *si quis quid quaereret. Mansionem* autem tabernaculum illud, quodcumque fuit, appellavere; quod eo potissimum vocabulo nominabantur in viis militaribus diversoria, in quibus iter habentes pernoctabant, aut prandii et quietis caussa consistebant (2). peracta denique pompa, quia nullus plane usus esse poterat, non est, cur opus illud stabile fixumque fuisse arbitremur.

Additur Isidi Osiris, uxori vir, qui et συνθρονις: nec audiendus est Sponius, qui Osirim ab Osiride distinguit (3), ac inter ignota numina ablegat, quod semel *Hosiri* non *Osiridi* scriptum invenerit. nam et Iuvenalis scripsit (4),

Exclamare libet, populus quod clamat, Osiri
Invento,

et aspiratione veteres saepe licentius usi sunt. hujus vero pompae, in qua non Isis solum et Osiris et Anubis, sed omnis fortasse Aegyptiorum Deorum caterva ferculis sublata, succollantibus sacerdotibus, portabatur, pictura olim erat insignis opere vermiculato in Hortis Commodianis, quos Donatus (5) in Coelio fuisse ad aedes Laterani putat. de ea meminit Spartianus (6), pictumque inter ceteros Pescennium Nigrum testatur. *Hunc,* inquit, *in Commodianis Hortis, in porticu curva pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* quamobrem veri mihi quam simillimum videtur, Commodo Imp. primum Isiacam Romae pompam duci coeptam: quodque ea tum primum in urbe visa esset, ideirco ab eodem monumentum ejus posteris relictum esse: nam sacra quidem multo antea in urbem inventa fuisse, plane constat (7).

CCCXXXX. (Svet. in Aug. c. 58. n. 2.)

QVOD · BONVM · FAVSTVMQVE · SIT
TIBI · DOMVIQVE · TVAE
CAESAR · AVGVSTE
SENATVS · TE · CONSENTIENS
CVM · POPVLO · ROMANO
CONSALVTAT
PATRIAE · PATREM

Verba sunt Valerii Messalae, quibus in curia ex senatus populique Romani consensu *Patris Patriae* cognomen Augusto detulit: cui lacrimans respondit Augustus: *Compos factus votorum meorum, patres conscripti, quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc consensum vestrum ad ultimum vitae finem mihi perferre liceat* (8).

Ea porro verba hoc mihi loco tamquam pro exemplo describi posse visa sunt,

(1) de orat. l. 1. c. 22. n. 102.
(2) Svet. in Tito c. 10. n. 3.
(3) Misc. sect. 3. n. 73.
(4) Sat. 8. v. 28.
(5) de V. R. l. 3. c. 23.
(6) in Pescenn. c. 6.
(7) Lucan. l. 8. v. 833. Svet. in Oth. c. 12. n. 5.
(8) v. inscr. 359.

quod haud absimiles fuisse inscriptiones putarem, quas maxime in Principum adventu subitarii arcus aut pegmata olim praeferebant: quum scilicet πολις πασα, ut ait Dio (1), ανθεσιτε και δαφναις εστεφανωτο, και ιματιοις ποικιλοις εκεκοσμητο, φωτιτε και θυμιαμασιν ελαμπε: quum plena altaribus, augusta victimis cuncta, nec viae solum undique oppletae, sed tecta ipsa referta ac laborantia (2), acclamante populo, faustisque nominibus blandisque vocibus Principem salutante: quemadmodum Cajum Aug. *sidus* olim et *pullum* et *puppum* et *alummum* appellavit (3).

Nec vero non his etiam blanditiis et salibus adspersas aliquando inscriptiones ipsas crediderim: quippe interdum et senatores vel in curia, gaudio laetitiaque elati, de gravitate aliquid remittebant: quod facile is sibi persuadeat, qui Bernardini Ferrarii libros viderit *de veterum acclamationibus et plausu* (4). sed tamen alios praeterea titulos propositos esse, qui nempe res etiam ab Imperatore gestas indicarent, non obscure me docuit Svetonius, Neronis reditum e Graecia describens (5): *Reversus*, inquit, *e Graecia Neapolim, quod in ea primum artem protulerat, albis equis introiit, disjecta parte muri, ut mos hieronicarum est. simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. sed et Romam eo curru, quo Augustus olim triumphaverat, et in veste purpurea, distinctaque stellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympiacam, dextra manu Pythiam, praeeunte pompa ceterarum cum titulis* VBI *et* QVOS QVO CANTIONVM QVOVE FABVLARVM ARGVMENTO VICISSET: *sequentibus currum ovantium ritu plausoribus*. eadem porro ex Dione protulit Xiphilinus (6): Και μετ' αυτους ετεροι σανιδια τε επι δοματων ανατεινοντες εφ' οις επεγεγραπτο το τε ονομα του αγωνος και το ειδος του αγωνισματος, ὁτι τε Νερων Καισαρ πρωτος παντων των απο του αιωνος Ρωμαιων ενικησεν αυτο. quibus in verbis inscriptionum elementa quaedam et disjecta membra continentur, quae tamen componi facile ornarique possint. at exempla ipsa, quod maxime intererat, nec Latini nec Graeci scriptores in libros suos retulerunt.

Fornices contra et templa arasque temporarias in adventu Augustorum excitatas exhibent adhuc veteres nummi (7), quos inter contempleris, velim, M. Aurelii numisma missile pulcherrimum apud Vaillantium (8), in cujus aversa parte hinc templum et ara visitur, hinc fornix trigeminus, medius autem Imperator fornici successurus, quem signiferi duo praecedunt, Victoria pone sequens coronat: adscriptum autem supra IMP· VI · COS · II · infra ADVENTVS · AVG · aram ego ex hoc genere fuisse puto, quae binas inscriptiones exhibebat a Donio olim descriptas (9): prima est, EVENTVI · AVGVSTI · FELICITER VICTORIIS · AVG · FELICITER: altera vero SALVO · AVG · FELIX · MATERNVS · CVM · FILIIS: ad has aras populus Imperatore praetereunte sacrificabat.

(1) l. 74. p. 1242. C. *civitas universa floribus laureisque coronabatur et variis ornata vestibus erat, luminibus etiam et odoribus incensis colluccbat.*
(2) Plin. in paneg. c. 22.
(3) Svet. in Cajo c. 13. n. 2.
(4) Graev. t. 6. p. 18.
(5) in Ner. c. 25. n. 1.
(6) l. 63. p. 1040. D. *et post hos alii tabellas summis hastis praefixas ferentes, in quibus et nomen scriptum erat ludorum et certaminis genus: utque Nero Caesar primus omnium ab Vrbe condita in eo vicisset.*
(7) Buonarr. Medagl. p. 152.
(8) N. Impp. t. 3. p. 13 j.
(9) Cl. 1. n. 146.

PARS III.

INSCRIPTIONES TRIVMPHALES

CCCXXXXI. (Plin. H. N. l. 7. c. 26. n. 27.)

CN · POMPEIVS · CN · F · MAGNVS · IMP ·
ORA · MARITIMA · A · PRAEDONIBVS · LIBERATA
IMPERIOQVE · MARIS · POPVLO · ROMANO · RESTITVTO
EX · ASIA · PONTO · ARMENIA
PAPHLAGONIA · CAPPADOCIA · CILICIA · SYRIA
EX · SCYTHIS · IVDAEIS · ALBANIS
EX · IBERIA · EX · INSVLA · CRETA
EX · BASTERNIS
ET · DE · REGIBVS · MITHRIDATE · AC · TIGRANE
TRIVMPHAT

Hic nempe est ille titulus, quem Plinius *Praefationem triumphi* appellat, sive quod primus omnium in pompa praelatus sit, sive potius quod in Capitolio ante ipsum triumphum propositus fuerit. nam Atilius Fortunatianus (1) tabulas antiquas diserte nominat, *quas triumphaturi duces in Capitolio figebant*. verba autem Plinius fere omnia, non ipsam inscriptionis formulam retulit: itaque ea paullulum inflectenda fuerunt, ut inscriptionem tibi integram exhiberem, qualis mihi a Pompejo proposita videretur. id vero in hac tanta exemplorum egestate non modo ferendum aequo animo, sed etiam probandum est.

Res a Pompejo gestas, quas plerique veterum scriptorum descripserunt, attigi superius ad inscr. XXXII. liquet jam, quam vere ille in concione olim gloriatus sit (2), *Asiam* se *ultimam provinciarum accepisse, eandemque mediam patriae reddidisse*. triumphum hunc duxit ad tertium calendas Octobres M. Messala M. Pisone Cos. (3). in eo ut a Plutarcho accepimus, praelati ex more tituli devictarum gentium (4): Γραμμασι δε, inquit, προηγουμενοις εδηλουτο τα γενη, καθ' ὠν εθριαμβευεν. illa vero inscriptionum omnium pulcherrima fuit, quae populum Romanum edocebat, vetera reipub. vectigalia, tot provinciis imperio adjectis, prope jam Pompeii opera duplicata. Προς δε τουτοις, inquit Plutarchus, εφραζε δια των γραμματων, ὁτι πεντακισχιλιαι μεν μυριαδες εκ των τελων ὑπηρχον. εκ δε ὠν αυτος προσεκτησατο τη πολει, μυριαδας οκτακισχιλιας πεντακοσιας λαμβανουσιν.

Albani populi ad mare Caspium siti erant, quod totum Caucasiis montibus cingitur. *planitiem omnem*, inquit Plinius (5), *a Cyro usque* (amne) *Albanorum gens tenet, mox Iberum, discreta ab iis amne Alazone, in Cyrum e Caucasiis monti-*

(1) in Art. p. 2680. ed. Puts.
(2) Plin. H. N. l. c.
(3) An. Varr. 693.
(4) in Pomp. p. 642. E. *titulis autem praecedentibus indicabat nationes, de quibus triumpharet: tum titulo etiam admonebat, quum antea vectigalium summa essent quinque millia μυριαδων, ex iis, quae ipse urbi adquisivisset, facta esse octo millia μυριαδων.* μυριας autem numerus est decem millium.
(5) H. N. l. 6. c. 10. n. 11.

bus defluente. Basternae vero Sarmatiam aut finitimam huic regionem in Europa coluisse dicuntur. omnes enim Scytharum gentes ad Istri ora collocat Plinius (1); ultra montes autem saltusque Dacorum ad Pathissum amnem, *Adversa*, inquit, *Basternae tenent aliique Germani*. Livius *Bastarnas* appellat, quos a Philippo Persei patre ad populandam Italiam olim destinatos fuisse tradit (2).

CCCXXXXII· (Svet. in Iul. c. 37. n. 4.)

VENI
VIDI
VICI

De hoc titulo Svetonius: *Pontico triumpho* (Iulius Caesar) *inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum ..... non acta belli significantem, sicut ceteri, sed celeriter confecti notam*. ipsum autem titulum a breviloquentia laudat Plutarchus (3): Ρωμαῖοι τὰς λεξεις εἰς ὁμοιον ἀπολῆγουσαι σχημα ῥηματος, οὐκ ἀπιθανον την βραχυλογιαν ἐχουσιν. porro in ferculo Pharnacis effigies fugientis erat, de cujus fuga populum, qui triumphi pompam spectabat, satis jucunde risisse, auctor est Appianus (4). illum enim Caesar, sine praelio, ex Ponto fugaverat, regnoque spoliarat.

Pontici triumphi apparatum scribit Vellejus ex acantho fuisse, ut Gallici ex citro, Alexandrini ex testudine, Africi ex ebore, Hispaniensis ex argento rasili constitit (5). est autem hoc loco Acanthus arbor exotica, quae in Aegypto maxime provenit, nec alia fortasse, quam quae a Plinio (6) *Spina Aegyptia* appellatur. eam Virgilius (7) *semper frondentem* dixit, et balsamis baccisque insignem. quod autem ex eadem arbore triumphi apparatus, id est omnia fluminum, montium, urbium captarum simulacra, ceteraque id genus ornamenta confecta sint, apparet magnam fuisse, lignumque ex ea non modo operi bonum, sed etiam colore ac nitore spectandum.

CCCXXXXIII· (Plin. H. N. l. 33. c. 3. n. 16.) CCCXXXXIII·

TI · CLAVDIO
DRVSI · F · CAES · AVGVSTO
GERMANICO · BRITANNICO
HISPANIA · CITERIOR
P · $\overline{VII}$ · (8)

TI · CLAVDIO
DRVSI · F · CAES · AVGVSTO
GERMANICO · BRITANNICO
GALLIA · COMATA
P · $\overline{VIIII}$ · (9)

Claudius Aug. ut a Plinio accepimus, *quum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas unam septem pondo habuit, quam contulisset Hispania Citerior, alteram novem, quam Gallia Comata, sicut titulus indicavit*. his e verbis binae inscriptiones expressae, quas fortasse coronae illae aureae ambibant: nam et in nummis tituli hujusmodi in medio apparent, coronaque cincti sunt (10): tum de civica corona,

(1) H. N. l. 4. c. 12. n. 25.
(2) lib. 40. c. 31. n. 57.
(3) in Caesar. p. 731. E. *verba latine, quum similiter cadant, haud ingratam habent breviloquentiam.*
(4) B. C. l. 2. p. 491.
(5) Hist. l. 2. c. 56.
(6) H. N. l. 24. c. 12.
(7) Georg. l. 2. v. 118.
(8) *Pondo* 7.
(9) *Pondo* 9.
(10) v. Prud. de Coron. hym. 7.

quae in vestibulo Palatinae domus suspensa erat, haec cecinit Ovidius (1):

Caussa superpositae scripto tēstata coronae
Servatos cives indicat hujus ope.

Porro *triumphales coronae,* inquit Gellius (2), *sunt aureae, quae Imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. id vulgo dicitur* aurum coronarium. *hae antiquitus e lauro erant, post fieri ex auro coeptae.* ceterum multo ante bellum Punicum tertium, Cn. Manlio proconsuli, ei qui Gallos Tectosagas vicit, coronas aureas a civitatibus Asiae adlatas, scripsit Livius (3): eundemque in triumpho ducentas tulisse, duodecim pondo (4), omnes aureas. de ipsa coronarum collatione plura, si libet, apud Gothofredum invenies (5).

Claudium Aug. ob res in Britannia gestas *Britannicum* a senatu appellatum, Dio testatur (6): Μαθουσα δ' ἡ γερουσια τα κατειργασμενα, Βρεττανικον τε αυτον επεκαλεσε, και τα επινικια αυτῳ πεμψαι εδωκε. itaque in triumphi titulis novum illud cognomen omissum esse, nemo dixerit, ut ut in nummis non legatur.

Illud potius in controversiam vocari potest, coronae illae, quas florentissimae provinciae contulerant, eo ne pondere, quod adscriptum est, an multo majore fuerint. nam Plinius, antequam de his diceret, sic praefatus est: *Et nos fecimus, quae posteri fabulosa arbitrentur:* tum id ut ostenderet, subjecit de Caesaris aedilitate, munere eum patris funebri, omni apparatu arenae argenteo usum esse: ferasque argenteis hastis incessere, tum primum visum. post haec de scena C. Antonii argentea dixit, et de L. Muraenae et Caii Principis pegmate, in quo fuere argenti pondo CXXXIIˑ his autem statim adjunxit Claudii Aug. coronas, quarum altera septem, altera novem pondo esset. enimvero illa quidem fabulosa forsitan videri possint, at haec non item; quippe auri libras sexdecim vel binae nec opulentissimae urbes sine magno civium incommodo conferre possint. itaque in eo Plinii loco, quamquam ab Harduino nihil adnotatum est, mendum cum Lipsio inesse suspicor. augent autem suspicionem meam ipsa Plinii verba, quae non eadem sunt omnia in omnibus, qui editi sunt, libris. nam quum in Plinio officinae Elsevirianae (7) ea legantur, quae supra attuli, in Harduini Plinio ita scriptum est: *Claudius . . . . . cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas* VIIˑ *pondo habere, quam contulisset Hispania Citerior,* IXˑ *quam Gallia Comata, titulis indicavit.* saepe vero in describendis numeris peccasse librarios, eruditi docent. scripserat, opinor, Plinius LVIIˑ et LVIIIˑ ac singulas auri libras totidem populi fortasse contulerant. coronas certe hoc pondere insignes atque inter miracula commemorandas Plinius haud immerito duxerit: quamquam si Lipsium audias (8), hae quoque parvae, nec vel Claudio vel tam ditibus provinciis dignae videri debent: quarum ille primam DCCˑ pondo, alteram DCCCCˑ aut pluribus fuisse putat.

(1) Trist. l. 3. el. 1. v. 47.
(2) lib. 5. c. 6.
(3) l. 38. c. 24. n. 37.
(4) l. 39. c. 5. n. 7.
(5) ad Cod. Th. lib. 12. t. 13. l. 4.
(6) l. 60. p. 959. D. *quum didicisset senatus quae gesta fuerant,* Britannicum *ipsum appellavit, et triumphum eidem decrevit.*
(7) Lugd. Batav. 1635.
(8) de Magn. Rom. l. 2. c. 9.

CCCXXXV. (Capitol. in Gord. III. c. 27.)

MISITHEO · EMINENTI · VIRO
PARENTI · PRINCIPVM
PRAEF · PRAET · PRAEF · VRBIS
TVTORI · REI · PVBLICAE
S · P · Q · R ·
VICEM · REDDIDIT

Socer Gordiani Aug. Misitheus erat, idemque dux bello clarus, cujus consilio potissimum atque opera bellum Persicum administratum atque confectum fuerat. eum Gordianus ad senatum scribens parentem appellarat suum, ejusdemque laudibus commemoratis, gratiae ei publicae ut agerentur, auctor fuerat. itaque litteris in Senatu lectis, primum quidem, ut tradit Capitolinus, *Quadrigae elephantorum Gordiano decretae sunt, utpote qui Persas vicisset, ut triumpho Persico triumpharet: Misitheo autem quadriga equorum et triumphalis currus et titulus hujusmodi:* qui nempe in triumpho ante currum praeferretur.

At titulus mendose a librariis descriptus est. legimus enim *Praetorii Praefecto Et Totius Vrbis*. porro aliis aliter, sic mihi, ut scriptum vides, tertius ille versus emendari posse visus est.

PARS IIII.

INSCRIPTIONES FVNEBRES

CCCXXXVI. (Capitol. in Gord. III. c. 34.)

DIVO · GORDIANO
VICTORI · PERSARVM
VICTORI · GOTTHORVM
VICTORI · SARMATARVM
DEPVLSORI · ROMANARVM · SEDITIONVM
VICTORI · GERMANORVM
SED · NON · VICTORI · PHILIPPORVM

Gordiani Aug. ἀποθεωσιν Romae senatus consulto celebratam, tradit Capitolinus (1): (senatus) *appellato,* inquit, *Principe Philippo et Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter Deos retulit.* sed quum in titulo sepulcri, quod ei milites in Persidis finibus, ubi occisus fuerat, fecerunt, *Divum* appellent, a militibus etiam omnia sibi adrogantibus statim ab interitu inter Deos relatus videtur. itaque pyrae Imperatoriae haec fortasse fuerat inscriptio, quae deinde et Graecis, ut ait Capitolinus,

(1) Capitol. in Gord. III. c. 31.

et Latinis et Persicis et Iudaicis et Aegyptiacis litteris in ejus tumulo perscripta est, ut ab omnibus legeretur.

De Persis, quos Misithei soceri consilio ac virtute vicerat (1), sic ipse Gordianus ad senatum scripserat: *Post haec P. C. quae dum iter agimus, gesta sunt, quae ubique singulis triumphis digna, sunt actitata, etiam Persas,* qui nempe ante Severum Alexandrum Parthi nominabantur, *ab Antiochensium cervicibus, quas jam nexas Persico ferro gerebant, et reges Persarum et leges amovimus. Carras deinde ceterasque urbes imperio Romano reddidimus. Nisibin usque pervenimus: et, si Dii faverint, Ctesiphonta usque veniemus.*

Victoria vero, quam de Gothis, Sarmatis, Germanis adeptus erat, designari a Capitolino videtur, ubi ait (2): *Praetextato et Attico Cos.* (3) *Gordianus, aperto Iano Gemino, profectus est contra Persas . . . . . fecit iter in Moesiam, atque in ipso procinctu quidquid hostium in Thraciis fuit delevit, fugavit, expulit atque submovit.* at seditiones Romae per eum sedatae, quum Caesar primum dictus est, quod Herodianus quoque attigit (4).

Mirum videri possit, in oculis Philipporum Augg. subjectum esse *Sed Non Victori Philipporum:* quorum nempe jussu Gordianus interfectus fuerat. nam etsi additum videri poterat, quia Gordianus, ut adnotavit Capitolinus, *in campis Philippicis ab Alanis tumultuario praelio victus abscesserat;* nihil tamen manifestius significabatur, quam eum a Philippis Augg. sublatum esse. verum meminisse oportet, quanta tum esset militum licentia et dominatio, quibus jam Imperatores parebant magis, quam imperabant. titulum porro sustulit Licinius imperium adeptus, quod a Philippis originem se ducere gloriaretur (5): monumentum ipsum Ammiani Marcellini aetate etiamtum manebat (6).

CCCXXXVII. (Grut. p. 399. n. 5.)

C · CVRIATIO · L · F ·
FLAMINI · DIVI · AVGVSTI
PRIMIPIL · TRIB · MILIT · II ·
PRAEFECT · CASTROR ·
PRAEF · FABR ·
ARBITRATV · HYACINTHI · LIB ·

Nolae inscriptio est, ubi flaminem Divi Augusti fuisse, mirari non debes. in eo enim municipio diem suum obierat Augustus (7), ibique Tiberius templum ei tamquam Deo dedicaverat (8).

Curam autem funeris sui Curiatius Hyacintho liberto demandaverat. is funus ac sepulcrum sine sordibus quum fecisset, adjecit in titulo, Arbitratu suo factum esse. huc pertinent Tiresiae praecepta illa apud Horatium (9):

. . . . . *sepulcrum*
Permissum arbitrio, sine sordibus exstrue: funus
Egregie factum laudet vicinia.

(1) idem ibid. c. 27.
(2) ibid. c. 26.
(3) Ann. Varr. 995.
(4) l. 7. c. 10.
(5) Capitol. ibid. c. 34.
(6) lib. 23. c. 5.
(7) Svet. in Aug. c. 98. n. 6.
(8) idem in Tib. c. 40. n. 1.
(9) lib. 2. Sat. 5. v. 104.

Servilia nomina, quae liberti retinebant pro cognominibus, saepe a gemmis desumpta: unde, opinor, et huic Hyacintho est. occurret tibi apud Gruterum Amethystus, Beryllus, Sardonix, Vnio, Zmaragdus aliique. ceterum et a floribus quaedam ducta esse, translatitium est.

CCCXXXXVIII· (Maff. M. V. p. 96. n. 5.)

D · M · S · T · FLAVIO
AVG · LIB · TROPHIMO · CONSTITV
TORI · COLLEGI · NVMINIS · DOMINORVM
QVOD · EST · SVP · TEMPLO · DIVI · CLAVDI
QVI · VIXIT · ANNIS · LXXXVII · V · V · V · (1)
ALIQVANDO · SECVRVS · SVM

Claudii templum in Coelio a Vespasiano conditum esse, dixi ad inscr. LXXVII· sub eo templo Schola fuisse videtur, ubi Collegium Numinis Dominorum Trophimo auctore constitutum sit. nam *Sup Templo* scriptum puto pro *Sub Templo:* sic et *Apsens* scripsere pro *Absens*, et in compositis passim leges *Suppar, Suppono* et similia, in quibus *Sup* est pro *Sub*.

Domini autem erant Vespasiani filii Titus Aug. cujus libertus erat Trophimus, et Domitianus Caesar. *Numen Dominorum* vel pater Vespasianus, quem inter Deos retulerant, vel Genius ipsorum, aut ipsa Majestas et dignitas Imperatoria.

De postremis verbis, quibus veteres valere mortuos jubebant, nonnulla habes ad inscr. CLXXIII· addo, quod ex Varrone tradidit Servius (2): *Ideo mortuis* Salve *et* Vale *dici, non quod aut valere, aut salvi esse possint, sed quod ab his recedimus, eos numquam visuri.* sic apud Gruterum (3) in veteri arula, quae quandoque, dum funus duceretur, ante defuncti aedes libationum caussa forsitan stetit, inscriptum est, AVE · SEXTI IVCVNDE · VALE · SEXTI · IVCVNDE: haec tantum. at hic inducitur Trophimus salutantibus respondens, *Aliquando Securus Sum*, omnem scilicet jam curam deposui, et vacuitate omnis molestiae gaudeo. spectat eodem initium epitaphii in sepulcro communi apud Gruterum (4), *Securitati Cognationis Suae*. quis justa Trophimo fecerit, non appareret: sed elatum eum Collegii sumptibus, verisimile est.

CCCXXXXVIIII· (Grut. p. 757. n. 5.)

POMPIAE · HYGIAE
POMPIA · ROLICE
SOROR · ET
LVCINIVS · VITALIS
FIL · (5) MATRI · S · (6)

Pompiam Hygiam, civem fortasse Nemausensem, nam Nemausi lapis exstat, soror et filius extulere, eidemque *Aram*, opinor, ut aliis in titulis legimus (7), *Sacra-*

(1) *Vale Vale Vale*.
(2) ad Aen. l. 11. v. 97.
(3) p. 889. n. 8. v. inscr. 352.
(4) p. 586. n. 6.
(5) *Filius*.
(5) *Sacraverunt*.
(7) Grut. p. 1035. n. 5. etc.

verunt. hoc item usus verbo est Virgilius, de aris quum meminit, quas Aeneas in Anchisae funere excitaverat (1):

Ex quo relliquias divinique ossa parentis
Condidimus terra, moestasque sacravimus Aras.

idem vero de Miseni funere quum caneret, pyram ipsam appellavit *Aram* (2):

Haud mora, festinant flentes, Aramque sepulcri
Congerere arboribus, coeloque educere certant.

de aris sepulcralibus egi supra, ad inscr. CLXII·

CCCL· (Fabr. p. 405. n. 307.)

PHILLIAE · VICTO
RINAE · M · F · SACER
DOTI · AVGVST · (3) ANN ·
XXIII · VIXIT · ANN ·
XXXVIII · M · VIII ·
L · PHILLIVS · L · LIBER ·
OLYMPVS · PERAG · (4)
F · C · (5)

Nec feminis quidem aditum ad Augustalitatem interclusum fuisse, dixi ad inscr. VIIII· ubi vero Victorina sacerdotio functa sit, Romae ne, ut aliae quaedam mulieres primariae, an in municipio, non liquet. lapidem quidem apud Maffejos, Romae nempe, aliquando exstitisse, tradunt schedae Barberinianae, e quibus titulum descripsit Fabrettus. sed haud constat, de exsequiis ne Victorinae hic sermo sit, an de funere aliquo imaginario. funera enim, ut mox ex Tacito discemus, vel sine cadavere interdum, imo et multis locis in unius honorem celebrabantur. de Livia etiam scripsit Seneca (6), eam, quum Drusi filii reliquias longo itinere prosequeretur, *tot per omnem Italiam ardentibus rogis*, quasi totiens illum amitteret, irritatam. itaque nil mirum, si Olympus, ut sororis fortasse patroni sui memoriam honestaret, funus ipse novum Romae peragendum curaverit, postquam ea in municipio decurionum decreto publice elata jam esset. *Peragere Funus* idem atque Ovidio (7) *peragere justa:* quin et in veteri inscriptione (8) de ara vel donario leges, *Peragendum Curarunt*.

(1) Aen. l. 5. v. 47.
(2) ibid. l. 6. v. 177.
(3) *Augustali*.
(4) *Peragendum*.
(5) *Funus Curavit*.
(6) Consol. ad Marc. c. 3. v. Cic. pro Cluent. c. 9. n. 28.
(7) Metam. l. 2. v. 627.
(8) Don. Cl. 1. n. 115.

CCCLI. (Murat. p. 1044. n. 1.)

SACRVM
CALPVRNIAE
ILIADI
EBORENSI
EX · LVSITANIA
L · LVSIVS
MENECRATES
VXORI · SANCTISSIMAE

Ab Hispania ulteriore Romam usque sequuta virum Calpurnia, diem suum Romae obiit, ubi et lapis ejus sepulcralis inventus: Menecrates funus idem et sepulcrum fecit. *Sacrum* autem dici spatium ipsum potuit, quo corpus cremandum erat, siquidem cineres etiam ibidem condendi essent: quem deinde locum proprio nomine Bustum appellabant (1): aliquando etiam in epitaphio adscriptum, *Cujus Corpus Hic Crematum Est* (2).

Ebora Lusitaniae urbs, cujus nomen manet, Anam inter et Tagum sita: quae *Liberalitas Iulia* nominata est (3). in nummis et *Municipium* aliquando dicitur (4) (*a*).

CCCLII. (Maff. M. V. p. 160. n. 9.)

STAEDIAE · PAVLI
NAE · L · CANTINI
VS · HERMIPPVS
CONIVGI · INCOM
PARABILI

AVE · ANIMA
INNOCENTIS
SIMA · STAEDIA · PAVLIN·

Vt cippi sepulcrales saepe utrinque scripti sunt, imo interdum quot latera, totidem habent inscriptiones; ita etiam rogos non uno, opinor, titulo ornare mos fuit, quippe quos mole fere quadrata adtollerent. pyram certe Imperatoriam τετραγωνον τι και ισοπλευρον appellat Herodianus (5).

(1) Festus v. Bustum.
(2) Fabr. p. 704. n. 250.
(3) Plin. H. N. l. 4. c. 22. n. 35. Grut. p. 489. n. 9.
(4) Hard. N. A. Pop. et Vrb. E. p. 143.

(*a*) Apud Harduinum loc. cit. Ebora municipium minime appellatur, nec ullus innotescit nummus, quo idipsum firmari possit. Eboracum vero in Britannia, nunc *Yorck* municipium fuisse ex prava Cod. Parisini interpretatione conjicit Th. Galeus ad Antonini Itinerarium, cui tamen strenue contradicit Wesselingius ad id. Itinerar. p. 466.

(5) lib. 4. c. 2.

CCCLIII· (Don. Cl. 10. n. 111.)

MARCIAE · VITALI
FILIAE · DVLCISSIMAE
ET · AMANTISSIMAE
QVAE · VIXIT · ANNIS · XV ·
MENS · V · DIE · I · Q · MARCIVS
SVCCESSVS · PATER
FILIAE · INCOMPARABILI

Amorem pater suum et cari capitis desiderium prodit, *Filia* bis appellata: quam et dolori suo obsequutus, appositis ornat praeclaris.

Puellam eadem fere aetate mortuam eleganti olim ellogio junior Plinius commendavit (1): cujus particulam afferre praestat, ut si par quandoque argumentum tractandum fuerit, cetera etiam tibi legenda putes. *Fundani,* inquit, *nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil unquam festivius, amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate dignius vidi. Nondum annos quatuordecim impleverat, et jam illi anilis prudentia, matronalis gravitas erat; et tamen suavitas puellaris cum virginali verecundia* etc.

Hujusmodi laudes et, quae amorem parentum doloremque significarent, breves sententias in tabulis circa pyram inscriptas olim fuisse, vetera quaedam monumenta indicare videntur. nam exempli caussa in antiqui sarcophagi fronte, qui ad urbem in villa Panfiliorum visitur, quibusdam litteris vetustate deletis, haec tamen adhuc leguntur (2):

: : FL · VALERIANVS · PATER · CVIVS · FVNVS · FECI
: : VITAM · QVAM · VIDISSE · TANTVM · SCELVS

tum vero in eodem illo monumento scena etiam est anaglyptis variis expressa cum tragicis actoribus et citharistria: item filii defuncti imago adolescentis, cujus nomen in alio sarcophagi latere fuisse puto. quae autem ibi sculpta sunt, ea fortasse circa rogum jam picta fuerant, humanae vitae simulacra ut essent. *aetatis* enim *tamquam fabulae peractio* appellatur a Tullio (3) *senectus:* et Augustus supremo die amicos admissos percontatus dicitur (4), *Ecquid iis videretur mimum vitae commode transegisse?* rogos vero in funeribus pictos fuisse, docui superius. addit Plinius (5), gladiatoria etiam, quae dabantur, munera, pingi atque in publico exponi coepta a C. Terentio Lucano, qui avo suo, a quo adoptatus fuerat, triginta paria in foro per triduum dedit, tabulamque pictam in nemore Dianae posuit.

(1) lib. 5. epist. 16.
(2) Winckelm. p. 236. tab. 189. Fabr. p. 237. n. 634.
(3) de senect. c. 23. n. 86.
(4) Svet. in Aug. c. 99. n. 1.
(5) H. N. l. 35. c. 7. n. 33.

CCCLIIII. (Maff. M. V. p. 87. n. 2. et p. 254. n. 7.)

DIS

MANIBVS

Risum, inquies, teneatis amici: quanta haec, quam scita inscriptio est! atqui Maffejus, *in magno*, inquit, *stylobate nihil ultra visitur*. addit deinde: *Sepulcreto cuidam duobus his verbis fieri potuit satis*. id vero mihi minus arridet, nec inscriptio nisi inter funebres numeranda esse videtur. fugit scilicet Maffejum insignis Taciti locus, ubi Agrippinam Germanici sui cineres Romam ferentem describit (1): *Tribunorum*, inquit, *centurionumque humeris cineres portabantur: praecedebant incompta signa, versi fasces: atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites; pro opibus loci, vestem, odores aliaque funerum sollemnia cremabant. etiam quorum diversa oppida, tamen obvii, et victimas atque aras* DIIS MANIBVS *statuentes, lacrymis et conclamationibus dolorem testabantur*. en tibi quos in usus stylobates ille Maffejanus sive Ara funebris servaretur: eodemque ut reor, pertinet inscriptio altera, quae sequitur (2) SACRIS · MANIBVS · DATVM, et quae apud Gruterum (3), DIIS MANI · SAC · item apud Fabrettum (4).

Haec satis, ne sim impudentior, ac ne fucum facere videar. si quid deinceps aptius mihi vel amicorum diligentia expostulanti, vel fortuna ipsa quaerenti cupientique suppeditabit, id secundo libro opportune inseretur.

(1) Ann. l. 3. c. 2.
(2) Maff. ibid. n. 3.
(3) p. 664. n. 1.
(4) p. 21. n. 88.

CAPVT II.

Specimen inscriptionum nummariarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quae nummis veterum impressae sunt

Inscriptionum, quas nummi veterum exhibent, varium plane genus est, ingensque numerus. quid enim illi non his clarissimis monumentis testatum nobis consignatumque reliquerunt? in iis scilicet quaecumque vel ad temporum rationem, vel ad historiam, vel ad ipsam geographiam, vel ad religionem moresque veterum spectare videntur, omnia inesse affirmavit Spanhemius (1), idemque majorem ex nummis antiquis, quam ex litteratis marmoribus utilitatem in litteras derivatam esse contendit. ergo in hac tanta inscriptionum varietate atque copia, quae optimae visae sunt, ita hoc capite omnes dispertiam, ut suus cuique locus tribuatur. partes quidem capitis erunt binae tantum. ut altera nummorum inscriptiones habeat, quas in adversa eorum fronte legimus; altera vero eas, quae sunt in aversa. sed primae partis duos faciam articulos: referet primus adversas inscriptiones Imperatorum; referet alter adversas inscriptiones Domus Augustae. secundae autem parti articulos tribuam octo, eorumque inscriptiones sic digeram, ut in primo habeas titulos Diis adtributos, in secundo titulos adtributos Imperatoribus, in tertio titulos Augustarum et Caesarum, in quarto virtutes Augustorum, in quinto opera publica Augustorum, in sexto liberalitates Augustorum, in septimo res ab Imperatoribus gestas, in octavo honores Augustis habitos. haec fere sunt, quae nobis veterum cura in nummis repraesentavit. dictio vero inscriptionum eadem in omnibus: aut si quid singulare ac novum occurrit, sequioris fere aetatis est.

PARS I.

INSCRIPTIONES NVMMORVM ADVERSAE

§. I.

INSCRIPTIONES IMPERATORVM

CCCLV. (Vaillant. t. 2. Ed. Rom. p. 1.)

CAESAR · IMP ·

Primus apud Romanos C. Iulius Caesar, postquam senatu contempto vim regiae

(1) Dissert. 13. n. 3.

potestatis obsedisset, peculiaribus servis monetae praepositis (1), et quatuorviris pro triumviris constitutis (2), vultum in nummis suum regio more exprimendum curavit. uno autem titulo fere contentus fuit: nam aut *Imperator* aut *Parens Patriae* aut *Consul* aut *Dictator* appellatur. at quum Svetonius scripserit (3), decernente senatu, receptum ab eo *praenomen Imperatoris,* vides hic in nummo ejus praenomen illud post cognomen esse. id tamen *haud de alio*, inquit Spanhemius (4), *quam de summo illo* Imperatoris *titulo ei tum primum a senatu, nec diu ante ejus caedem concesso potest intelligi: quod, sicut in pluribus aliis Imperatorum Romanorum nummis occurrit, illud summae potestatis nomen in iis, non praenominis sed cognominis potius locum occupet.* in priorum certe Augustorum nummis aliquando legi, *Nero Caesar Aug. Imp.* et *Ser. Galba Imp.* et *Vitellius Germanicus Imp.* in aliis vero Iulii nummis, quia victoriae ejus designandae fuerant, adscriptum est *Imp. Quint. Imp. Sex.* itaque idem hic est *Caesar Imp.* atque Καισαρ ὁ Αυτοκρατωρ: quod Catullus notare voluisse mihi videtur, quum Caesarem *Imperatorem Vnicum* appellavit (5).

CCCLVI. (Vaill. t. 2. p. 9.)

C · CAES · IMP · PONT · III · VIR · R · P · C ·

En tibi C. Caesarem Octavianum, qui deinde Augustus est appellatus. is *Imperator* ob exercitum cui praerat, *Pontifex* dicitur, quod in Pontificum collegium cooptatus esset. *Triumvir* autem *Rei Publicae Constituendae* a Mutinensi bello per duodecim fere annos fuit, primum cum M. Antonio Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio (6). *in hoc velut foedus,* inquit Florus (7), *pax inter tres duces componitur. apud confluentes inter Perusiam et Bononiam* (*a*) *junguntur manus, et exercitus consalutant. nullo more Triumviratus invaditur: oppressaque armis republica, redit Sullana proscriptio.* hoc illi scilicet modo rempublicam constituerunt.

In altera nummi parte scriptum *M. Anton. Imp. Aug. III. Vir. R. P. C.* nulla de M. Lepido mentio fit. quare nummum percussum puto, postquam hunc collegae honore atque exercitu spoliatum, uno ei Triumviri nomine (*b*) et pontificatu maximo relicto, Circejos relegarant (8).

CCCLVII. (Vaill. t. 1. p. 2.)

CAESAR · AVGVST · PONT · MAX · TR · P ·

Cajus Caesar Octavianus, victo ad Actium Antonio, solus jam remp. tenuit rexitque annos quadraginta quatuor (9). anno ab ea victoria quarto *Augustus* a senatu

(1) Svet. in Iul. c. 76. n. 9.
(2) Spanhem. diss. 10. p. 167.
(3) ibid. n. 2.
(4) Diss. 12. p. 402.
(5) Carm. 29. et 54.
(6) Svet. in Aug. c. 8. n. 7.
(7) l. 4. c. 6. n. 3.
(*a*) Sveton. in Aug. c. 96. ait id actum prope Bononiam, Dio l. 46. p. 489. et Plutarch. in M. Ant. c. 19. in parva quadam insula illius fluvii, qui praeter Bononiam labitur, Appian. B. C. l. 4. c. 2. in Lavinii (torrentis nempe qui olim in Rhenum influebat) insula circa Mutinam (*corrige* Bononiam). Quum itaque cl. Philipp. Schiassius *Guida al Mus. d'Antich. di Bologna* p. 14. animadverterit non longe a Bononia locum esse, qui nunc *Peloso*, olim vero *Pulosia* et fortasse etiam *Pelusia* appellatus fuerit, majorem vero Rheni insulam sitam esse inter Pelusiam et Bononiam, concludendum putat in Flori Historia peccatum a librariis fuisse, qui Pelusiam, locum iis ignotum, in Perusiam nobilem quidem urbem, sed quae nimium a Bononia distat, mutaverint.
(*b*) At in Epit. Liv. lib. 129. haec habes: *M. Lepidus, abrogato triumviratus honore, vitam impetravit.*
(8) Svet. in Aug. c. 16. n. 9.
(9) idem ibid. c. 8. n. 7. etc.

Munatii Planci sententia est appellatus (1). id cognomen ab eo adsumptum idibus Ianuariis, cecinit Ovidius (2): sed Censorinus tradit (3), hunc illi honorem delatum *in ante diem* XVI· *cal. Feb.* anni Varr. DCCXXVII· (*a*) annos tamen Augustanos ab ipsis calendis Ianuariis ejusdem anni initium ducere, adnotavit: quo anno Cos. fuere ipse Augustus VII· et M. Vipsanius Agrippa III·

Pontificatum maximum cepit multo serius, anno scilicet urbis DCCXXXXI· quod cum, vel a populo delatum, vivo Lepido, recipere, quippe perpetuus erat, sibi fas esse haud duceret (4). at vero ut suscepit, uni jam sibi suprema Imperii ac Sacerdotii jura simul omnia delata esse putavit. itaque statim per eum quidquid fatidicorum librorum nullis aut parum idoneis auctoribus vulgo ferebatur, crematum est; Sibyllini, delectu habito, soli retenti: annus Iulianus iterum ordinatus, auctus sacerdotum numerus, veteres quaedam caerimoniae restitutae, de quibus plura Svetonius (5). pontificatum deinde, qui Augusto successere, Imperatores eodem omnes jure obtinuerunt, ita tamen, ut si bini essent Augusti, alter tantum Pontifex Maximus et esset et appellaretur. id certe diu servatum postea est: quumque M. Aurelius in nummis *Pont. Max.* dicatur; L. Veri, in quem ille omnia contulit (6), nummum vidi nullum, qui titulum hunc praeferat. nec Caracalla, quum Augustus a Severo patre dictus esset, in nummis nisi *Pontifex* tantum, Severo superstite, appellatur. primi Balbinus et Pupienus Pontificatum maximum geminasse videntur: uterque enim in nummis *Pontifex Maximus* audit: quos demum reliqui Augusti, qui simul fuerunt, imitati sunt (7). de Christianis Imperatoribus, quorum aliqui Pontificatum suscepisse videntur, lege, si vacat, Spanhemium (8) (*b*).

Tribunicia potestas Augusto decreta anno Varr. DCCXXXI· *Id summi fastigii vocabulum Augustus reperit,* inquit Tacitus (9), *ne regis aut dictatoris nomen adsumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia praemineret:* quae sane potestas a Vopisco (10) *Pars maxima regalis imperii* est appellata. quaedam de hac jam protuli ad inscr. III· cujus potestatis in marmoribus ac nummis omnium prope Imperatorum mentio fieri solet. numerus, qui fere adscribitur, tribuniciae ipsius potestatis annos designat, qui et imperii anni habendi sunt: quum Pauvinii sententiae docentis, tribuniciam potestatem ipso suscepti imperii die initam, et quotannis deinde renovatam esse, Spanhemius ipse adquieverit (11). quamquam et hoc obtinuisse aliquando fatendum est, ut novi Principes, consulum suffectorum more, ita tribunicia potestate primum fungerentur, ut quod demortuis supererat temporis ad annum explendum, id annus ipsorum primus haberetur (*c*). Nerva certe et in nummis et in lapidibus *Tribunicia Potestate* III· (*d*) auctus dicitur, qui vix annum et dimidium in principatu fuit: ut ejus potestatis annus primus coepisse dicendus sit anno Varr. DCCCXXXV· a die XV· cal. Octobres, qui

(1) Svet. in Aug. c. 7. n. 4. etc.
(2) Fast. l. 1. v. 587.
(3) de die nat. c. 21.
(*a*) Orosius l. 6. c. 20. VIII. idus Ian. at Fasti Verrii Flacci XVII. cal. Febr. quibus, tamquam monumento synchrono et marmoreo, prae Censorino major fides habenda. V. Foggin. ad Fastos Verrii p. 13., et quae ad conciliandas aliorum discrepantes sententias affert Fabricius ad Dion. l. 53. p. 710.
(4) App. B. C. l. 5. p. 743. etc.
(5) in Aug. c. 31. n. 1. seqq.
(6) Capit. in Ver. c. 3.
(7) Buonar. Medagl. n. 15. p. 291. et Graec. Th. t. 5. in Προλεγ. 2.
(8) Diss. 12. p. 413.
(*b*) Ac praecipue Eckhelium Doctr. N. V. t. 8. p. 380. et seqq.
(9) Ann. l. 3. c. 56.
(10) in Tacit. c. 1.
(11) Diss. 12. p. 434.
(*c*) Eckhelius tamen (Doctr. N.V. t. 8. p. 398. et seqq.) hoc adstruere conatus est, tribuniciam potestatem ab Augusto usque ad Hadrianum singulis annis eo die renovari solitam, quo accepta est; ab Antonino vero Pio usque ad Gallienum renovatam fuisse calendis Ianuariis.
(*d*) At idem Eckhelius loc. cit. p. 411. affirmat, duos tantum innotescere Nervae nummos, duas itidem inscriptiones, in quibus legitur TR· POT· III·, nummos a Goltzio, sublestae fidei auctore, esse prolatos; in inscriptionibus vero (quarum prima est apud Grut. p. 185. n. 4. altera apud Murat. p. 448. n. 4.) vel scalpendis quadratarium, vel exscribendis lectorem peccare potuisse.

fuit postridie ejus diei, quo Domitianus occisus est: secundus vero ac deinde tertius a die III· idus Decembres, quo non modo tribuni plebis, ut tradit Dionysius Halicarnasseus (1), magistratum inibant, sed ipsi etiam Imperatores una cum illis potestatem tribuniciam accipere solebant: nisi nos Dio fallit, cujus haec verba sunt (2): Την δε δη δυναμιν την των δημαρχων πασαν, ὁσηπερ τα μαλιστα εγενετο, προστιθενται, και δι' αυτης και ἡ εξαριθμησις των ετων της αρχης αυτων, ὡς και κατ' ετος αυτην, μετα των αει δημαρχουντων λαμβανοντων, προβαινει (3). Augustis nimirum hac potestate ornatis, non ideo sublati e republica Tribuni plebis, quos constat mansisse perdiu, specimen quodammodo veteris libertatis. hi autem quum extra urbem nullum jus aut potestatem haberent, nam ex vetere instituto ne pernoctare quidem extra urbem poterant (4); Imperatores contra etiam extra pomoerium ad primum lapidem, opem suam implorantibus praesidio esse poterant (5): quin Tiberius Caesar eandem potestatem vel Rhodi exercuisse videtur, ut a Svetonio adnotatum est (6). hac nempe potestate post Agrippam Tiberius quoque ornatus fuerat, et collega ab Augusto adoptatus: cujus postea exemplo plerique Augustorum filii, vel quos hi successores sibi destinassent, consortes facti sunt tribuniciae, qua illi praediti erant, potestatis multo ante, quam ipsum imperium susciperent.

CCCLVIII· (Vaill. t. 1. p. 10.)

TI · CAESAR · DIVI · AVG · F · AVGVSTVS · P · M · TR · POT · XXXVII ·

Primus ex Augustis Tiberius praenomen *Imperatoris* recusasse dicitur (7): sed ut de Claudio admonui ad inscr. LXXVI· ita hic de Tiberio subjiciendum est, non deesse nummos, in quibus ille vel invitus *Imperator* appelletur. *Divi* autem *Augusti Filius* ob adoptionem dictus, uti et ipse Augustus *Divi Filius,* id est Iulii Caesaris. at ceteri Augusti discriminis caussa, patris cognomine designati sunt, *Divi Vespasiani Filius, Divi Nervae Filius.*

CCCLVIII. (Vaill. t. 2. p. 55.)

TI · CLAVD · CAESAR · AVG · GERM · P · M · TRIB · POT · P · P ·

Cur Claudius Caesar cognomine *Germanicus* appelletur, dixi ad inscr. LXXVI· id autem primum est e cognominibus iis, quae Augusti veteri reipublicae more usurparunt: tuleratque illud ante Claudium Tiberius atque Cajus. singula autem a devictis gentibus sumpta senatus consulto aut acclamatione deferebantur. plerique imperatorum duobus, alii tribus ac pluribus ornati sunt, ut Nero, qui et *Germanicus* et *Armeniacus* dictus est: ut Trajanus, qui *Germanicus, Dacicus, Parthicus:* ut Volusianus, qui *Vandalicus, Finnicus, Galindicus, Vendenicus* (*a*). quin aliquando parum illu-

(1) l. 6. Antiq. p. 416.
(2) l. 53. p. 712. D. *porro tribunorum potestatem, quanta unquam maxima fuit, sibi adjungunt, et per hanc deinde anni quoque imperii eorum enumerantur: quippe eandem quotannis accipiunt cum iis, qui etiamnum tribunatum gerunt.*
(3) v. Mazzolen. Mus. Pis. t. 5. Animadv. 1. n. 13. 14.
(4) Dion. Hal. l. 8. p. 554.
(5) Dio l. 53. p. 711.
(6) in Tib. c. 11. n. 6.
(7) Svet. in Tib. c. 26. n. 6.
(*a*) At Eckhelius (Doctr. N. V. t. 7. p. 369.) invicte probat contra Vaillantium non a devictis gentibus sumpta haec nomina', sed familiae esse, eaque sic legenda VIBIUS AFINIUS GALLUS VENDUMNIANUS: ita ut Vibius Gallus sit a patre; Afinius a matre Afinia Gemina Bebiana; Vendumnianus fortasse ab avia.

stria ea cognomina visa sunt, nisi apposito aucta essent: quare appellati quidam sunt *Germanici Maximi, Parthici Maximi,* et hujusmodi, ut jam vidimus ad inscr. CCXXXXVI· quaedam tamen cognomina ex devictis gentibus repudiata vel ob ignobilitatem nationis, ut cognomen *Iudaici,* quod nemo e Flaviis tulit (1) nedum Hadrianus; vel ob affine aliquod humilioris rei vocabulum, ut *Carpici,* quo quum Aurelianum absentem senatus, ut olim Philippos, vocasset, senatui statim scripsisse Aurelianus fertur (2), *superest, P. C. ut me etiam Carpiculum vocetis,* quo nomine genus quoddam calceamenti appellabatur. eadem fere de caussa auctores quidam fuere Antonino Caracallae, qui fratrem germanum occiderat, ne se *Germanicum* nominaret (3).

Patris appellatio, qua nulla Regi, ut ait Philo (4), οἰκειοτέρα est, Romae in ipsis primordiis audita, Romulumque jam populus Romanus, postquam sublimem eum procella raptum patres affirmaverant, *Parentem Vrbis Romanae* salvere jusserat (5). ceterum qui *Pater Patriae* appellaretur, primus Cicero fuisse dicitur: de quo Plinius (6), *Salve,* inquit, *primus omnium Parens Patriae appellate.* post hunc Iulius Caesar non solum post mortem, sed etiam quum viveret, ut vel nummi ostendunt: tertius Augustus, cui cognomen illud delatum est nonis Februariis anni Varr. DCCLII· (7) idem ejus exemplo ceteri Principes recepere, pauci tamen initio principatus, plerisque modestia recusantibus. audi enim Plinium juniorem ad Trajanum (8): *At tu etiam nomen Patris Patriae recusabas: quam longa nobis cum modestia tua pugna? quam tarde vicimus? nomen illud, quod alii primo statim principatus die ut Imperatoris et Caesaris receperunt, tu usque eo distulisti, donec tu quoque beneficiorum tuorum parcissimus aestimator, jam te mereri fatereris.* similia vero de Hadriano etiam aliisque Imperatoribus traduntur.

CCCLX· (Vaill. t. 1. n. 32.)

IMP · CAES · VESP · AVG · P · M · TR · P · COS · IIII · CENS ·

Primum e quatuor hisce consulatibus consequutus fuerat Vespasianus sub Claudio Principe, nec ordinarius consul, sed suffectus per duos novissimos anni menses (9). nimirum in eujusque consulatibus numerandis ii etiam, quos quisque vel suffectus gesserat, nullo discrimine cum ordinariis censebantur: quem morem ab ipso Augusto coepisse constat (10). illud vero hoc loco animadvertendum, quae notae post litteras Cos. apponuntur, iis quidem honores imperatoribus delatos numerari; saepe tamen ultimum consulatum non eo anno susceptum esse, quo nummus pereussus sit: quod ille numerus usque ad novum Principis consulatum idem quotannis signaretur.

Censura jam ab ipso Iulio dictatore apud Caesares esse coepit, de qua deinde Valerianus etiamtum privatus ita ad Decium Aug. loquutus est (11): *Haec sunt, propter quae Augustum nomen tenetis, apud vos Censura desedit, non potest hoc implere privatus.* nomen *Censoris* ex Augustis tulere perpauci. Iulii Caesaris censuram Svetonius *Praefecturam Morum* appellat (12) (*a*): ut Pompejus a Tacito *Corrigendis*

(1) Xiphil. l. 66. p. 1082. C.
(2) Vopisc. in Aurel. c. 30.
(3) Casaub. ad Spart. Carac. c. 5.
(4) de provid. p. 1197.
(5) Liv. l. 1. c. 6. n. 16.
(6) H. N. l. 7. c. 30. n. 31.
(7) Ovid. Fast. l. 2. v. 121. Grut. p. 156. n. 2. v. inscr. 340.
(8) in Paneg. c. 21.
(9) Svet. in Vesp. c. 4. n. 3.
(10) Spanhem. diss. 12. p. 456.
(11) Trebell. in Valer. c. 2.
(12) in Iul. c. 76. n. 2.
(*a*) Ipse vero Iulius Caesar a Cic. l. 9. ad Fam. epist. 15. *noster praefectus moribus* appellatur.

moribus delectus dicitur (1). Augustus ipse *Magister* potius *Morum* et *Censoria Potestate* ornatus, quam *Censor,* nisi forte in ipso censu, dictus est (2): credo, ne ejus potestas quinquennali, ut olim, spatio definita putaretur. nec vero id novum fuit, censoriam potestatem iis esse tributam, qui tamen Censores non essent. quippe olim et M. Fabio Buteoni dictatori legendi senatus caussa *Vis Censoria* permissa fuerat (3). primus in veteribus monumentis ex antiqua consuetudine appellatus *Censor* videtur (4) Claudius Aug. deinde Vespasianus, tum Titus; Domitianus autem etiam *Censor Perpetuus* et *Censoria Potestate:* post hos Nerva quoque, quod nuper didici ex inscriptione, quam libro secundo proferam, non ita pridem ad Forum Appii reperta. ceteri Principes, neglecto nomine, potestatem retinuisse videntur, ita tamen, ut census caussa alios a senatu aliquando Censores fieri paterentur (5).

CCCLXI· (Vaill. t. 1. p. 99.)

IMP · CAES · NERVAE · TRAIANO · AVG · GER · DAC · P · M · TR · P · COS · VI · P · P ·

In aversa nummi parte scriptum est *Profect. Aug. S. P. Q. R. Optimo Principi:* ad ultimam nempe Trajani profectionem ista pertinent, de qua mentio facta est ad inscr. LXXVIII· quum autem de monumento aut opere publico accipi haec verba non possint, haud alia tituli sententia esse videtur, quam haec: *senatus et populus Trajano Aug. honoris ergo hunc nummum atque hanc effigiem dicat.* sed de hac controversia iterum aliquid dicendum erit (6), ubi de operibus publicis Augg. agemus. cognomen *Optimo* in aliis Trajani nummis post nomen ejus legitur, *Imp. Caes. Trajano Optimo Aug.* quod hic omissum est, ut in aversa fronte adderetur *Optimo Principi.*

CCCLXII· (Vaill. t. 1. p. 100.)

M · COMMODVS · ANT · P · FELIX · AVG · BRIT ·
P · D · (7)

Commodum duplici praenomine usum invenies, ac *Lucium* interdum dici, plerumque *Marcum.* Buonarroti autem probanda in primis opinio est putantis (8), Commodum, qui M. Aurelio natus erat, quo Augustorum concordia confirmaretur, a L. Vero fortasse adoptatum fuisse: ipsum autem Commodum, qui tantum a patre degenerasset, Lucii aliquando adoptione, quem potissimum moribus referebat, ut erat levissimus, sic gloriatum esse, ut et praenomen ejus libentius, quam paternum, usurparet (*a*).

De titulis *Pii Felicis* dixi aliquid ad inscr. CCCXXVIII· de *Britannici* autem appellatione Lampridius (9): *Appellatus est,* inquit, *Commodus etiam* Britannicus *ab adulatoribus, quum Britanni etiam Imperatorem contra eum deligere voluerint.* ceterum multa ejus auspiciis bella contra barbaros illius insulae ab Vlpio Marcello gesta esse,

(1) Ann. l. 3. c. 28.
(2) Spanhem. diss. 12. p. 473.
(3) Liv. l. 23. c. 17. n. 23.
(4) v. inscr. 259.
(5) Trebell. in Valer. c. 1.
(6) v. inscr. 411.
(7) *Prima Decennalia.*
(8) Medagl. n. 7. p. 104.
(9) in Comm. c. 8.
(*a*) Aliam hujus varietatis causam probabiliorem legesis apud Eckhel. Doctr. N. V. t. 7. p. 155.

leges apud Xiphilinum: unde illi *Britannici* cognomen partum putes. militum autem seditiones a Pertinace legato sedatas esse, scripsit Capitolinus (1).

Duabus illis litteris P. D. in ima nummi ora signatis *Prima Decennalia* significari, recte ex Buonarroti sententia (2) judicaveris: vota scilicet indicantur primi decennii Commodiani, quae eo forsitan anno soluta erant, quo numinus percussus est: quod et titulus *Felicis* confirmat, quem Commodus sumpsisse videtur tribunicia potestate X. (3) in aversa nummi fronte navis expressa est, inscriptumque *Provid. Aug.* deinde *P. M. Tr. P. XI. Imp. VIII. Cos. V. P. P.* annus hic tribuniciae potestatis post prima illa Decennalia coeperat, quae decimo exeunte soluta fuerant. navis autem effigies et *Providentia Aug.* quo pertineant, explicat Lampridius (4): *Classem Africanam instituit* (Commodus), *quae subsidio esset, si forte Alexandrina frumenta cessassent.*

CCCLXIII. (Spanhem. diss. II. p. 299.)

IMP · ALEXANDER · PIVS · AVG ·
IVLIA · MAMAEA · AVG · MATER · AVG ·

Duplicem hunc titulum habet insignis nummus gazae Gallorum regiae, e maximorum genere, in quo et capita visuntur adversa invicem Severi Alexandri et Mamaeae Matris. pietas hic singularis elucet optimi Principis erga matrem, in quam et Lampridius unice pium fuisse scripsit (5). eam scilicet tamquam imperii consortem eadem nummi, qua ipse eminet, fronte exprimendam curavit: nec uno tantum exemplo, sed pluribus, quae Vaillantius retulit.

CCCLXIIII. (Vaill. t. 3. p. 179.)

MAXIMINVS · ET · MAXIMVS · AVGVSTI · GERMANICI

Vtriusque capita exhibet nummus adversa sed Maximini laureatum, Maximi nudum quasi minoris Augusti: de quibus haec Capitolinus memoriae prodidit (6): *Occiso Alexandro, Maximinus primus e corpore militari, et nondum senator, sine decreto senatus Augustus ab exercitu appellatus est, filio sibimet in participatum dato.* addit Aurelius Victor, *Quod tamen etiam patres, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbaverunt.* id et nummi Maximini confirmant, in quibus Votorum Decennalium mentio fit.

De expeditione et victoria Germanica, ex qua Augusti illi cognomen adepti sunt, multa apud Herodianum invenies (7). litteras hic, quas Maximinus ipse ad senatum misit, ex Capitolino (8) describam: *Non possumus tantum P. C. loqui, quantum fecimus. per* CCCC· *millia Germanorum vicos incendimus, greges abduximus, captivos abstraximus, armatos occidimus, in palude pugnavimus. pervenissemus ad silvas, nisi altitudo paludum nos transire non permisisset.* haec Thrax ille sive Gothus, Micca patre, Ababa matre natus (9).

(1) in Pertin. c. 3.
(2) ibid. n. 53. p. 394. v. inscr. 68.
(3) id. ib. n. 7. p. 109. v. inscr. 328.
(4) in Comm. c. 17.
(5) in Alex. c. 26.
(6) in Maximin. c. 8.
(7) lib. 7. c. 2.
(8) ibid. c. 12.
(9) id. ibid. c. 1.

CCCLXV· (Vaill. t. 3. p. 186.)

CONCORDIA · AVGVSTORVM

Ita in ora nummi scriptum, in quo expressi vultus Philipporum et Otaciliae Aug. in aversa vero fronte iidem Augusti appellantur *Germ. Max. Carpici Max. III. Et II. Cos.* at nomina singulorum omissa, quae jam aliis in nummis legebantur: nec vero Principum ignoti cuiquam vultus erant, aut esse poterant, iis potissimum, qui Romae versarentur. atque id fere ad nummorum usum satis, si imaginem Principis ferrent, qui tum viveret, atque ab omnibus nosceretur. nam eo demortuo, nullus eorum usus fuisse videtur, succedentibus iis, quos novi Principis imago insigniret. id certe aliquando obtinuisse, discas, licet, ex Vitellii Aug. in re nummaria praescripto, de quo quidem, non a Xiphilino, quem Patinus (1) Savotusque (2), dum rem aliam tractant, mendose omnino supposuerunt, sed a Zonara haec accepimus (3): το τε γαρ επι Νερωνος, και το επι Γαλβου, το τε Οθωνος κοπεν νομισμα ετηρησεν, ουκ αγαναχτων ταις εικοσιν αυτων. laudi nempe Vitellio vertit, nam haec ille habet, ubi de Vitellii virtutibus agit, quod haud aegre decessorum suorum nummos, quos conflare poterat, in usu esse passus esset, nec magis suo, quam aliorum vultibus signatos probasset: quemadmodum multis post annis Valentinianus et Valens Augg. (4) *solidos veterum Principum veneratione formatos ita tradi ac suscipi ab ementibus et distrahentibus* jusserunt, *ut nihil omnino refragationis oriatur, modo ut debiti ponderis sint, et speciei probae.* id igitur novum in Vitellio fuisse dicendum est, nec ante usurpatum, ut decessorum nummis aeque et suis emendi ac vendendi mercaturam fieri permitteret: ceteros, qui ante eum fuissent, ita monetam nomine vultuque suo cudendam curasse, ut veterem tollerent, novaque forma consignarent: quod et Trajanus post eum fecisse dicitur (5): το τε νομισμα παν το εξιτηλον εξεχωνευσε.

Existimo autem, Vespasianum etiam, qui nihil gravius ne in Vitellii quidem donum admiserit (6), hac in re instituta ejusdem sequutum esse, eoque connivente populum Romanum veteribus aeque ac novis usum nummis usque ad Titi imperium: itaque tum potissimum lucri cupidos homines occasionem arripuisse nummorum corrumpendorum, veteris scilicet monetae formis ad falsos nummos signandos subiectis: cujus jam fraudis plura nobis exempla protulit Froelichius (7). ideirco primus Augustorum Titus, qui fraudem confringere vellet, ac cavere, ne majus inde damnum mercatura contraheret, minime tamen hanc suscipere maculam, ut priscorum Imperatorum memoriam unus repudiare videretur; ita veteres nummos sustulit omnes, ut simul monetae veteris restituendae auctor esset: quippe primus ille antiquos nummos haud dissimilibus formis iterum cudendos curavit, adjecto ad oram titulo IMP · T · AVG · RTST · quem deinde morem plerique Augustorum sequuti sunt: nisi quod in iis nummis, quos Hadrianus restituit, inscriptum est HADRIANVS · AVG · P · P · REN · id est *Renovavit* (8) (*a*), quod re differre non puto. monetae autem restitutionem senatus consulto ab Imperatoribus factam, titulorum aliquando indicant verba, ut illa in Augusti nummo, quem Domitianus restituendum curavit, IMP · D · CAES · AVG · REST · EX · S · C · (9) quo vel uno exem-

(1) Hist. Num. c. 5.
(2) Disc. Medaill. p. 4.
(3) Ann. l. 11. p. 574. C. *nummos enim et sub Nerone et sub Galba et sub Othone casos conservavit, imagines eorum non indignatus.*
(4) l. 1. C. de vet. num. potest.
(5) Xiph. l. 68. p. 1152. *nummosque evolescentes conflavit omnes.*
(6) Svet. in Vesp. c. 14. n. 1.
(7) Diss. de Num. Monet. culpa vitios.
(8) Vaill. t. 2. p. 30.
(*a*) Hanc tamen interpretationem improbat Echkelius Doctr. N. V. t. 5. p. 102. quem videsis.
(9) Bimard. Sc. Med. t. 2. p. 108.

plo ingeniosa illa Harduini interpretatio refellitur docentis, in iis nummis, quos restitutos vocamus, Imperatorem celebrari, quod Augustum aut Agrippam aut Tiberium aliosve virtute sua reipublicae reddidisset.

§· II·

INSCRIPTIONES DOMVS AVGVSTAE

CCCLXVI· (Vaill. t. 1. p. 6.)

M · AGRIPPA · L · F · COS · III ·

Is honor antiquitus liberis, uxoribus, propinquis Augustorum habitus est, ut eorum etiam vultus in nummis exprimerentur, nec in aversa tantum, sed etiam in adversa fronte. primus ex his honestatus est magnus ille Agrippa, cui Augustus Iuliam filiam nuptum dederat (1), et a quo deinde Cajum et Lucium nepotes suos per assem et libram emptos adoptavit (2).

CCCLXVII· (Vaill. t. 1. p. 8.)

C · L · CAESARES · AVG · F · COS · DESIG · PRINC · IVVENT ·

Hos Augustus, ut ait Svetonius (3), *teneros adhuc ad curam reipublicae admovit, et* Consules designatos *circum provincias exercitusque dimisit*. de iisdem Tacitus (4): *Genitos Agrippa* Cajum *et* Lucium *in familiam Caesarum* (Augustus) *induxerat; nec dum posita puerili praetexta* Principes Iuventutis *appellari, destinari* Consules, *specie recusantis flagrantissime cupiverat*. de *Principe Iuventutis* dixi ad inscr. LXXIIII·

CCCLXVIII· (Vaill. t. 1. p. 7.)

C · CAESAR · PONT · COS ·

Pontificatum minorem Principibus Iuventutis Caesaribusque delatum esse scripsit Spanhemius (5) tamquam initium quoddam ac tirocinium maximi pontificatus: quod et Tiberii nummi sub Augusto, et Neronis sub Claudio, et Titi ac Domitiani sub Vespasiano, aliorum item sub aliis, satis declarant (6).

Consulatum C. Caesar in Syria cepit gessitque anno Varron. DCCLIII· quum quinquennio antea Consul Romae designatus fuisset: qua de re plura egregie a Norisio disputata sunt (7).

(1) Svet. in Aug. c. 63. n. 2.
(2) id. ibid. c. 64. n. 3.
(3) in Aug. c. 64. n. 3.
(4) Ann. l. 1. c. 3.
(5) Diss. 12. p. 366. et p. 422.
(6) v. inscr. 337.
(7) Cen. Pis. diss. 2. c. 13.

CCCLXVIIII· (Vaill. t. 1. p. 9.)

TI · CAESAR · AVGVSTI · F · IMPERATOR · VII ·

Multa dominationi subsidia Augustus paraverat: quem tamen sobole laetum atque fidentem fortuna destituit. Claudio primum Marcello Octaviae sororis filio defuncto, Cajum deinde ac Lucium, quos in familiam Caesarum induxerat, in duodeviginti mensium spatio amisit ambos. ergo Druso jampridem extincto, Tiberius solus e privignis filiisque, quos adoptarat, superstes erat. *Illuc*, inquit Tacitus (1), *cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur, omnisque per exercitus ostentatur.*

Hic idem septimum *Imperator* totidem ob victorias appellatus: multa enim et magna gessit bella Augusti auspiciis, Rheticum, Vindelicum, Pannonicum, Germanicum: quin et in orientem exercitum duxerat, et signa Crassi a Parthis receperat et Galliam Comatam pacaverat: *quas ob res*, inquit Svetonius (2), *et ovans et curru urbem ingressus est, primus, ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris.*

CCCLXX· (Vaill. t. 2. p. 47.)

GERMANICVS · CAESAR · P · C · (3) CAES · GERM · AVG ·

Filius hic Drusi majoris, Tiberii fratris, quem Caesarem adoptio fecit. de eo Tacitus (4): *Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus imposuit* (Augustus) *adscirique per adoptionem a Tiberio jussit.* idem res a Germanico gestas et mortem ejus disertissime exposuit (5). uxor illius Agrippina fuerat, M. Agrippae et Iuliae filia, Augusti neptis.

Liberos autem Germanicus ex Agrippina novem susceperat, Cajum, qui post Tiberium obtinuit principatum, Neronem et Drusum Caesares, quos Tiberius sustulit; item Liviam, Drusillam et Agrippinam, quae privatis nupsere: Agrippina tamen Claudii demum sexta uxor fuit, a quo et Nero filius ut adoptaretur, effecit: e reliquis duo, infantes adhuc, rapti; unus jam puerascens (6).

Nummum in patris honorem Cajus rerum potitus cudendum curavit, cujus et vultus in aversa parte visitur. nummos qui Germanico superstite cum ejus vultu percussi sint, aetas in apricum nondum protulit.

CCCLXXI· (Vaill. t. 1. p. 16.)

AGRIPPINA · M · F · MAT · C · CAES · AVG ·

Ne hic quidem nummus viva Agrippina signatus: quippe illi, quoad vixit, Tiberius inimicus semper infensusque fuit. nummus autem, quem Haymus protulit (7), cum Tiberii capite in adversa fronte et Agrippinae in aversa, ex monetariorum, ut arbitror, negligentia, alienis cusus est formis: idemque ad Caii aetatem pertinet, quum

(1) Ann. l. 1. c. 3.
(2) in Tib. c. 9. n. 4.
(3) *Pater Caii.*
(4) Ann. l. 1. c. 3.
(5) id. ibid. l. 1. et 2.
(6) Svet. in Cajo c. 7. n. 1.
(7) vol. 1. p. 246.

Agrippina in eo Mater Caii *Augusti* appelletur. hic nimirum imperio suscepto, postquam cineres ejus ex Pandataria, ubi obierat, translatos in Mausoleum intulit, effigiem maternam primus in nummis exprimendam curavit: nam Circenses etiam matri Carpentumque, quo in pompa simulacrum ejus traduceretur, tum instituisse dicitur (1): cujus Carpenti figuram refert nummi frons aversa cum inscriptione *S. P. Q. R. Memoriae Agrippinae*.

CCCLXXII· (Vaill. t. 1. p. 20.)

AGRIPPINA · AVG · GERMANIC · F · CAESARIS · AVG · M ·

Neronis haec mater, quae Claudio patruo nupta, *Augusta* dicta est: femina moribus tam dissimilis patri, quam filio similis. quem denique exitum habuerit, legito apud Tacitum (2).

CCCLXXIII· (Vaill. t. 1. p. 44.)

DOMITIA · AVG · IMP · CAES · DIVI · F · DOMITIAN · AVG ·

Domitiam Longinam Domitii Corbulonis filiam, quum Aelio Lamiae nupta esset, in matrimonium abduxit Domitianus, susceptoque ex ea filio, *Augustam* appellavit (3). porro non uxores solum, sed sorores etiam Principis *Augustas* aliquando appellatas, nummus ostendit Marcianae (4) cum inscriptione MARCIANA · AVG · SOROR · IMP · TRAIANI, quae *Martiana* dicitur in inscript. LXXXXII·

CCCLXXIIII· (Vaill. t. 1. p. 69.)

SABINA · AVGVSTA · HADRIANI · AVG · P · P ·

Matidiae majoris haec filia fuit, neptis Marcianae, Hadriano tristibus plane ominibus nupta: quam ille ut morosam et asperam se dimissurum dictitabat, si privatus fuisset. *Augusta* tamen in ipso matrimonio appellata, et post mortem *Diva*, ut nummi ostendunt.

De Hadriano Spartianus (5): *Patris Patriae nomen sibi delatum statim, et iterum postea distulit: quod hoc nomen Augustus sero meruisset*. sed tamen a Buonarroto animadversum est, multa exstare monumenta, in quibus Hadrianus Cos. iterum *Pater Patriae* dicitur, quamquam secundum consulatum tertio imperii sui anno gessit (6). itaque hoc a Spartiano tradi videtur, quum eum alii omnes post senatus consultum *Patrem Patriae* appellarent, ipsum tamen in epistolis rescriptisque suis diu eo titulo abstinuisse (*a*).

(1) Svet. in Cajo c. 15. n. 9.
(2) Ann. l. 14. c. 8.
(3) Svet. in Domit. c. 1. n. 7. et c. 3. n. 2.
(4) Morel. Specim. R. N. V. p. 93.
(5) in Hadr. c. 6.
(6) Medagl. n. 1. p. 5.
(*a*) De ratione conciliandi inter se auctores, nummos et lapides, qui hanc P. P. appellationem Hadriano modo tribuunt, modo detrahunt, consulesis Eckhelium Doctr. N. V. t. 6. p. 517.

CCCLXXV· (Vaill. t. 3. p. 142.)

FAVSTINA · AVG · PIA · AVG · PII · FIL ·

Marci Aurelii uxor, *Pia* Antonini patris cognomine appellata, *Faustina* matris nomine dicta, et ab avo item *Annia:* Annii enim Veri filia fuit Faustina senior, qui socer Antonini a Capitolino nominatur (1).

CCCLXXVI· (Vaill. t. 3. p. 164.)

IVLIA · PIA · FELIX · AVG ·

Iuliam Septimii Severi uxorem Augustorum cognominibus *Piam Felicem* appellatam honoris caussa crediderim. quum et Severina Aureliani et Aelia Eudoxia, aliaeque subinde ex Augustis eodem modo *Piae Felices* dictae sint. sed Harduinus (2) familiarum cognomina ea esse putat, cujus sententiae prope assensus est Froelichius (3).

PARS II·

INSCRIPTIONES NVMMORVM AVERSAE

§· I·

TITVLI DIIS ADTRIBVTI

CCCLXXVII· (Vaill. t. 1. p. 24.)

MARS · VICTOR

S · C ·

In nummo Galbae Martem victorem ideo expressum puto, ut ejus imperatoris virtus significaretur, qua sibi imperium pepererat: quasi Mars alter, sive qui Martem virtute referret, is vicisset. quippe iter Galbae ex Hispania eruentum fuerat, et introitus in urbem formidolosus (4): ut qui eum laudare vellet, Deorum nemini, nisi Marti comparare tum posset. comparationes hujusmodi Imperatorum cum Diis, ut adnotavi ad inscr. inI· saepe fieri mihi videntur, quum in aversa nummorum parte Deorum figurae sunt, et nomina recto casu leguntur. cur enim ipsos Imperatores Deorum nominibus appellatos putemus, quum iidem Dii non raro appellentur *Conservatores Augustorum?* quid, quod si Dii pro ipsis Principibus accipiendi erant, nullas Dearum effigies in eorum nummis esse oportebat? ne scilicet modo juvenis, nunc femina Cae-

(1) in Anton. c. 1.
(2) Mem. Trev. 1728. Aug. p. 1461.
(3) Diss. de Num. Monet. culp. vit. c. 7.
(4) Tacit. Hist. l. 1. c. 6.

neus inducerctur. atqui Dearum etiam saepe effictae imagines, ut in nummis Vitellii ac Domitiani *Ceres Aug.* quod nempe annonam illi levassent: in Albini nummo *Miner. Pacif.* ut ejus consilia pacis indicarentur: in nummo Gordiani *Diana Lucifera*, quod in tantis reipublicae tenebris facem ille praeferre videretur. mitto alia exempla: id unum addo: si Deorum appellationes Imperatoribus tributae vivis essent, has in nummis maxime legeremus Caii et Domitiani, qui ea dementia fuerunt, ut se Deos jactarent. at ne in eorum quidem nummis manifesto deprehendes: ut si Commodianos aliquot exceperis, nulla fortasse tam turpis assentationis vestigia certa usquam reperiantur. liberemus igitur invidia senatum, nec levium Graecorum magis tantos viros delectatos esse credamus. Dii ipsi, qui *Augusti* in nummis appellantur, ii erant, quos Romani Principes aut propitios habere, aut etiam virtute referre putabantur; vel quibus aut sacra saepe faciebant, aut aras et templa aedificarant. idemque de uxoribus eorum sentiendum, in quarum nummis pleraeque Dearum *Augustae* nominantur.

Adscriptum praeterea in hoc Galbae nummo S. C. ex aereis enim est. caussam autem, cur communis aereorum nummorum nota haec sit, hanc fere eruditi prodiunt, quod Principes quidem aurum et argentum, senatus aes tantum signandum curaret. id vero mihi minus placet, nec auctoritate aut ratione confirmari videtur. primum enim antiquorum hoc nemo tradidit, ut illi ipsi fatentur: deinde qui monetae curatores erant, omnes nullo discrimine *Triumviri auro argento aeri flando feriundo* appellabantur. ipsa autem *Moneta Augg.* quum in nummis exprimeretur, vel unius tantum Deae vel trium imagines effictas videmus, sive ex aere nummi sive ex auro argentove essent. legi quidem in Gruteriana inscriptione (1) *Officinatores Monetae Aurariae Argentariae Caesaris*, in qua de aerariae officinatoribus nulla mentio. sed quis vetat dicere, eos solos de monumento et inscriptione convenisse inter se, ac consulto ceterorum, tamquam qui gradu post se imo sederent, societate abhorruisse? praesertim quum apud Gruterum eundem binae item inscriptiones sint (2), in quibus Felix Augusti Libertus appellatur *Optio Et Exactor Auri Argenti Aeris*, quocum signum dedicarunt, donumve dederunt *Signatores, Suppostores, Malliatores Monetae Caesaris Nostri.* item alia (3), in qua soli nominantur *Officinatores Et Nummulari Officinarum Argentariarum.* in nummis vero tam moneta ex auro argentove, quam quae ex aere cudebatur, *Moneta Aug.* dicta est: itaque et *Caesaris* dici potuit, non alia opinor de caussa, quam quod ex omni metallo Augustorum Caesarum vultibus signaretur, et eorum laudes resque gestas referret.

Sed majorem habet difficultatem Dionis locus (4), quem nescio, an quisquam indicaverit. quo nempe loco de senatus odio in Cajum Aug. scribit, ibidem ille omne aereum nomisma, το νομισμα του χαλκου παν, quod ejus vultu signatum esset, senatus consulto conflatum esse tradit: quemadmodum et Iosephus tradiderat (5), Cn. Sentii Saturnini anulum in senatu fractum comminutumque esse, quod in eo esset Διος εικονα Γαϊου εγγεγλυμμενος: ergo quum nihil tunc de aureis et argenteis nummis decretum esse constet, curam eorum ad senatum minime pertinuisse multi contendent: Claudioque Augusto eam relictam esse, qui tamen fratris filio parcendum judicaverit. sed qui animadverterit, aereos nummos Caii Aug. exstare multo plures, quam aureos aut argenteos; contra vero nullum hactenus, aut unum vel alterum (6) visum esse nummum Caii ex aere maximo: nae is intelliget jam, quid hic sit Dionis Νομισμα: et aereos nummos

(1) p. 74. n. 1.
(2) p. 36. n. 8. p. 1070. n. 1.
(3) p. 45. n. 3.
(4) lib. 60. p. 959. E.
(5) Antiq. l. 19. c. 2. n. 3. *gemma, in qua Caii imago insculpta esset.*
(6) Mus. Theup. p. 772. Mus. Flor. t. 1. tab. 6.

maximos senatus consulto conflatos esse statuet, qui maxime in Augustorum honorem singulari artificio cudebantur, et ab Vlpiano (1) non obscure a moneta distincti sunt.

Quae quum ita sint, hoc mecum jam statuo, aurum argentum aes semper auctoritate senatus signatum esse. in hanc me opinionem jamdiu adduxerunt ipsae nummorum inscriptiones, quae in quolibet metallo similes occurrunt. quippe incredibile videbatur, omnes Romanos Principes tanta levitate, ne dicam amentia, fuisse, ut in honorem ipsi suum inscriberent in nummis suis *Aeternitati Aug.*, *Auctori Pietatis*, *Optimo Principi*, *Adsertori Libertatis Publicae*, *Restitutori Orbis*, et his similia, quae non in aereis solum, sed in aureis etiam argenteisque nummis vulgo reperies. haec contra si a senatu prolata diceremus, ejusque auctoritate ac nomine ad Augustorum honorem in nummis inscripta; commodissime jam explicari ab omnibus probarique posse intelligebam. nam ea monetariis potius adscribenda qui censeat, quid is aliud faciat, nisi auctoritatem his tribuat, qua numquam praediti fuere: quum pecuniae curatores, non domini, constituti essent. quare ne ii quidem, quos Iulius Caesar, quum arbitrium rei Romanae obtineret, quatuorviros monetales primum ipse constituerat (2), in ejus nummis praeter apposita perpetua titulum hujus generis ullum adscripserunt: qui vero post Augustum a senatu monetae praepositi fuerunt, jamtum et nomen suum, quod priores addebant, omittere in nummis coeperunt. sit igitur penes senatum ea auctoritas, quam a majoribus acceptam, nunquam cum Principibus ne in lege quidem illa Vespasiani Imperatoria communicatam, vel certe in neminem infinitam translatam esse accepimus. nam hoc tantum senatus consulto datum aliquando Augustis existimo (3), ut effigies nummarias veterum Imperatorum et Romanarum gentium titulos atque argumenta restituerent: quod ab illis non in aureis solum atque argenteis nummis, sed etiam in aereis factum videmus.

Sed cur, inquies, in aere tantum adscriptum videmus s· c· siquidem et aurum et argentum senatus consulto a monetariis cudebatur? quia nempe argentei atque aurei nummi pretium fere inerat in ipso metallo totum: at contra aereus nummus, quum pro asse aut semisse aut quadrante veteri erogaretur, ob imminutam ipsius formam (4), pretium, quod antiquitus constitutum fuerat, ab aeris pondere minime habebat: quos inter nummos *Assem Cajanum* memorat Statius (5), ut omnium levissimum minimumque: quippe insani Caligulae (6) sumptus rem monetalem in summas, opinor, angustias adduxerant. idcirco publicam auctoritatem accedere opus erat; itaque placuit, ut pretium illud senatus consulto constitutum esse significaretur: quam ob caussam et in argenteis aliquando nummis easdem litteras s· c· adjectas invenies. ceterum illud velim Imperatoribus tribuatur, ut jure relationis quartae et quintae, quo eos fere senatus ornabat, de moneta ipsa, quod placeret, ad senatum referre possent: dum illud etiam stet, omnes nummos senatus nomine esse percussos: cujus item consulto sive permissu in coloniis quoque ac municipiis argenti aliquando aerisque nummos signatos esse constat (*a*).

(1) L. 27. D. de aur. arg. mund.
(2) v. inscr. 355.
(3) v. inscr. 365.
(4) Plin. H. N. l. 33. c. 3. n. 13.
(5) lib. 4. Silv. 9. v. 22.
(6) Svet. in Cajo c. 37. et 38.
(*a*) Omnibus hisce cl. Auctoris conjecturis docte et subtiliter occurrit Eckhelius Doctr. N. V. t. 1. p. LXXIV. et seqq. quem videsis contrariam doctrinam mordicus defendentem.

CCCLXXVIII. (Crassier. Ser. Numism. Num. arg. p. 54.)

MARTIS · VLTORIS

Subaudi *Templum:* in nummo enim templi frons tetrastylos eminet. Caesar Augustus, quem Livius (1) *templorum omnium conditorem aut restitutorem* appellat, hoc etiam condidit: de quo Ovidius (2):

Vltor ad ipse suos caelo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.
Et Deus est ingens, et opus.

tale nempe destinaverat Iulius pater, sive, ut ait Svetonius, *quantum nusquam esset* (3). cur vero Mars *Vltor* sit appellatus, hic idem declarat, de Augusto sic scribens (4): *Aedem Marti, bello Philippensi pro* Vltione *paterna suscepto, voverat.* Martis autem templo exaedificato, sanxit Augustus, *ut de bellis triumphisque hic consuleretur senatus; provincias cum imperio petituri, hinc deducerentur; quique victores redissent, huc insignia triumphorum inferrent.*

Id est, quod Martialis (5) *primam Vltoris aedem* appellat: alterum quippe idem Augustus in Capitolio fecit, Parthis devictis, quo et Crassi signa de Parthis recepta intulit. de hoc Dio (6): Και νεων Αρεως Τιμωρου εν τῳ Καπιτωλιῳ κατα το του Διος του Φερετριου ζηλωμα, προς την των σημειων αναθεσιν, ψηφισθηναι εκελευσε και επoιησε. hoc quoque in nummo expressum, addito signo militari, cum inscriptione MART · VLTO · (7) de quo Ovidius (8),

Rite Deo templumque datum nomenque Bisultor.

(Heinsius tamen ex melioribus libris reposuit *Bis Vlto*): primum nempe C. Caesaris, deinde Crassorum necem ultus Mars esse videbatur.

CCCLXXVIII. (Vaill. t. 2. p. 245.)

IOVI · SOSPITATORI

Aediculam signumque Iovis exhibet nummus, cujus adversa frons Antonini Caracallae nomen vultumque refert. id monumentum ab eo forsitan statutum erat, quum ab Getae fratris, quem occiderat, insidiis servatum se numine Deorum dictitans, vota solveret: in ipsis enim castris praetorianorum, quo ex aedibus Imperatoriis post fratris caedem tamquam implorandi auxilii caussa profugerat, ante signa et simulacra exercitus, ut ab Herodiano accepimus (9), ριψας εαυτον εις γην, ωμολογει τε χαριστηρια, εθυε τε σωτηρια. eodem etiam pertinere arbitror nummum ejusdem Antonini, in quo inscriptum IOVI · CONSERVATORI (10).

(1) lib. 4. c. 10. n. 20.
(2) Fast. l. 5. v. 551.
(3) in Iul. c. 44. n. 2.
(4) in Aug. c. 29. n. 6.
(5) lib. 7. epig. 50.
(6) l. 53. p. 737. A. *Aedemque Martis Vltoris in Capitolio ad imitationem Iovis Feretrii, ut in ea signa suspenderet decerni jussit, perfecitque.*
(7) Vaill. t. 2. p. 33.
(8) Fast. l. 5. v. 595.
(9) lib. 4. c. 4. *humi provolutus gratias agebat, et quasi salvus et servatus sacrificabat.*
(10) Vaill. t. 2. p. 244.

CCCLXXX· (Vaill. t. 1. p. 98.)

I · O · M · SPONS · SECVRIT · AVG ·

S · C ·

Nummi argumentum Iupiter Commodum Imp. intenta dextra confirmans, sinistraque fulmen ostentans. nimirum quod hic, vita ejus ferro aliquoties insidiisque appetita (1), incolumis semper evasisset, admonebantur, qui novis etiamtum rebus studerent, inita in eum consilia ut deponerent: quippe Iupiter optimus maximus Sponsor erat securitatis Augusti.

CCCLXXXI· (Vaill. t. 2. p. 186.)

IOVI · DEFENSORI · SALVTIS · AVG ·

Expressa in nummo Iovis imago seminudi inter septem triones, fulmen dextra elata intentantis, sceptrum sinistra gerentis. vides, credo, eandem hic, quae in superiore nummo, rem designari: et adjecta stellarum corona, Iovem, ad Commodi Aug. tutelam, caelo potentem ostendi. sed quaeris tamen, quo spectet dativus ille casus *Iovi*, quum non ara in nummo, non templum exstet, ad cujus dedicationem ea verba referri possint. ego vero, quia nihil fere aliud in nummis video esse signatum quam quae ad Imperatores familiamque eorum quacumque ex caussa pertinerent, in his etiam, qui Deorum tantum imagines offerunt, non aliud saepe hisce titulis demonstrari arbitror, quam aedes ab Imperatoribus vel conditas vel restitutas vel ornatas vel dedicatas. templum Pacis a Vespasiano Romae conditum esse, nemo ignorat: in ejus tamen nummis vel sine templi forma perscriptum est PACI · ORBIS · TERR · AVG · (2) item in Domitiani nummis, qui Capitolium restituit, Iovique ibidem novam aedem exstruxit, Iovis tantum effigiem videas cum inscriptione IOVI · VICTORI (3), qui fortasse non alius est, quam qui *Iupiter Custos* ab eodem est appellatus. porro et sacra Imperatores, quod Pontifices Maximi essent, ipsi Diis saepe faciebant, ut in nummis non raro cernere licet. idcirco et sacrificia aliquando iisdem titulis indicata crediderim. nihil autem saepius, quam insignium statuarum dedicationes. quippe Deorum signa primus Augustus vicatim dedicata instituerat (4): eumque haud raro imitati reliqui Principes (5), quos inter Severi Alexandri magnificentia maxime enituit, qui Divis Imperatoribus, ut ait Lampridius (6), in foro Nervae statuas colossicas locavit.

Habes jam quo spectent tot illi ad imagines Deorum tituli: quorum hic partem aliquam, omnium exemplorum instar, juvat describere (7):

(1) Lamprid. in Comm. c. 4. etc. Herod. l. 1. c. 9. 10. etc.
(2) Vaill. t. 2. p. 88.
(3) idem t. 3. p. 112.
(4) v. inscr. 34.
(5) v. inscr. 35. et 36. Svet. in Tib. c. 74. n. 1. Plin. H. N. l. 36. c. 5. n. 4. etc.
(6) in Alex. c. 28.
(7) ex Vaill. num. et Spanhem.

IOVI · CONSERVATORI
IOVI · CVSTODI
IOVI · EXSVPERATORI
IOVI · PACATORI · ORBIS
IOVI · PRAESIDI · ORBIS
IOVI · PROPVGNATORI
I · O · M · SPONSORI · SAECVLI · AVG ·
IOVI · IMP · OMNIPOTENTI · AETERNO
IVNONI · MARTIALI
IVNONI · REGINAE
IVNONI · SOSPITAE
MINERVAE · PACIFERAE
MINERVAE · SANCTAE
MINERVAE · VICTRICI
APOLLINI · AVGVSTO
APOLLINI · CONSERVATORI · AVG ·
APOLLINI · PALATINO
APOLLINI · SALVTARI
MARTI · INVICTO
MARTI · PACATORI
HERCVLI · COMMODIANO
HERCVLI · IMMORTALI
HERCVLI · ROMANO · AVG ·
HERCVLI · VICTORI
LIBERO · PATRI
NEPTVNO · REDVCI
DEO · CABIRO
DIANAE · CONSERVATRICI · AVG ·
VENERI · FELICI
VENERI · GENETRICI
CERERI · FRVGIFERAE
CERERI · REDVCI
MATRI · DEVM
MATRI · DEVM · SALVTARI
MATRI · MAGNAE
OPI · DIVINAE
FORTVNAE · MANENTI
FORTVNAE · MVLIEBRI
FORTVNAE · REDVCI · CAESARIS · AVG ·
SERAPIDI · COMITI · AVG ·
SANCTO · DEO · SOLI · ELAGABALO
DIVO · TRAIANO · PATRI · AVG ·
DIVIS · PARENTIBVS
DIS · AVSPICIBVS
DIS · CVSTODIBVS
DIS · GENITALIBVS
DIS · GENITORIBVS

CCCLXXXII. (Vaill. t. 2. p. 119.)

DIVI · NERVA · ET · TRAIANVS · PATER

Titulum hunc in nummo Trajani leges, in quo et vultus effictus est utriusque parentis ejus, nempe et qui genuerat, et qui adoptarat. in adversa autem fronte tribuitur Trajano consulatus sextus: itaque ne mirere, a Plinio (1) Nervam quidem *Divum* appellari, at Trajanum patrem non item: laudationem enim suam ille pronunciaverat ante consulatum Trajani quartum. porro de Trajani patris consecratione nummi nos, non historici edocent: quam privata tamen ac domestica tantum religione celebratam ne putes; sed senatus potius consulto in filii gratiam esse decretam: quum et in nummis memoriam ejus posteris proditam videamus. de vita ejusdem ac moribus multa fortasse perscripta fuerant, quae temporum vetustate perierunt. at Syriae illum sub Nerone rectorem fuisse, ex Graeco Antiochensium nummo demonstravit Spanhemius (2): unde lucis aliquid Plinio affertur, qui Trajano Aug. *Patricio et Consulari et Triumphali patre genitum* dicit (3). in proconsulatu enim Syriae *Triumphalia* illum *Ornamenta* meruisse dixerim, bello contra Parthos gesto: quod Plinius ipse attigisse videtur, quum Trajanum sic est adloquutus (4): *Nonne incunabula haec tibi, Caesar, et rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres?*

(1) in Paneg. c. 89.
(2) Diss. 11. p. 328.
(3) in Paneg. c. 9. n. 2.
(4) ibid. c. 14. n. 1.

CCCLXXXIII. (Vaill. t. 3. p. 113.)

CONSERVATORI · PATRIS · PATRIAE

S · C ·

Omissum hic Iovis nomen, quod imago ejus expressa esset: stat autem Iupiter dextra fulmen gerens, sinistra hastam puram: a dextris ejus Imperator togatus, quem ille pallio protegit. nummus Trajani est e maximorum genere, quos primus amicis divisisse videtur Augustus, quum munera, Saturnalibus maxime, daret (1): deinde non Principes modo, sed privati etiam donare invicem instituerunt: postquam nempe a Principibus sive ipsi sive majores eorum accepissent. attigit rem hanc Herodianus, quum de Romanis Saturnalibus scriberet (2): Ταυτης δε της εορτης τροϊουσης, εν ᾗ μαλιστα Ρωμαιοι δεξιουνται τε αλληλους και προσαγορευουσι Νομισματων ταις αντιδοσεσι, και κοινωνιᾳ των γης και θαλαττης καλων ευφραινουσιν αυτους....

Enimvero, quamquam alii quoque reperti sunt nummi, in quibus figurae ipsae Deorum pro nominibus essent, ut iterum Iupiter in M. Aurelii nummo (3), cujus titulus est PROPVGNATORI, et in Claudii Gothici Vulcanus et Serapis cum inscriptionibus REGI · ARTIS, CONSER · AVG · (4) plerumque tamen nomina Deorum perscripta videris.

§. II.

TITVLI IMPERATORIBVS ADTRIBVTI

CCCLXXXIII. (Vaill. t. 1. p. 33.)

S · P · Q · R ·
ADSERTORI
LIBERTATIS ·
PVBLICAE

Pertinent haec ad Vespasianum Aug. consulem tertium, id est ad annum imperii ejus secundum, coronamque ei civicam publice decretam ostendunt: quercica enim corona in ipso nummo exhibetur, quae titulum cingit. existimo autem, non aliam hic coronam designari, quam quae modo in vestibulo, modo in fastigio Palatinae domus, honori Augustorum suspendebatur: quam Tiberius quidem recusaverat (5); sed Claudius ita acceperat, ut deinde et navalem juxta eam figeret (6). laurus ibidem perpetua virebat (7), de qua Ovidius, simul et de civica corona Augusto decreta, sic cecinit (8):

Postibus Augustis eadem fidissima custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Porro *Adsertor publicae libertatis* appellatur Vespasianus, ut olim Augustus *Vin-*

(1) Svet. in Aug. c. 75. n. 2.
(2) lib. 1. c. 15. *quum autem dies hosce festos civitas agitaret, in quibus Romani invicem se colunt salutantque, et numismata alter alteri ac terrae et maris munera missitantes genio indulgent etc.*
(3) Vaill. t. 1. p. 85.
(4) idem t. 1. p. 208. et t. 3. p. 22.
(5) Svet. in Tib. c. 26. n. 6.
(6) idem in Claud. c. 17. n. 4.
(7) Dio l. 53. p. 709. A.
(8) Metam. l. 1. v. 562.

dex dictus fuerat (1), ejus nempe libertatis, quae bono sub Principe Romae semper fuit, qui se civium principem duceret, non regem aut dominum; nec senatum in sua, sed se in potestate senatus esse judicaret. talem sane se fore Vespasianus jamtum professus erat, quum litteras ad senatum ex Syria misit, in quibus *loquebatur*, inquit Tacitus (2), *civilia de se, de republica egregia: nec senatus obsequium decrat.*

CCCLXXXV. (Spanh. Orb. Rom. exer. 2. c. 1.)

S · P · Q · R ·
AMPLIA
TORI
CIVIVM

Sic in Antonini Pii nummo, de quo Spanhemius, *Dum in Vbiis*, inquit, *illud calcatum olim a Romanis solum ante hosce viginti tres annos ad municndam Bonnam oppidum effoditur, est ibi ille nummus cum pluribus aliis antiquis ac aereis probae notae nummis repertus.*

Titulum corona ambit laurea, ut haec ipsa a senatu populoque Antonino decreta videatur. tam insigni autem monumento haud exiguam auctoritatem accedere diceres eorum sententiae, qui Iustinianum Aug. sequuti (3), Constitutionem, qua in orbe Romano qui erant (ingenui scilicet), cives Romani effecti sunt (4), Antonino Pio acceptam retulerunt. verum nihil jam certius, quam eam Constitutionem ab Antonino Caracalla prodiisse: quod Petitus in primis (5) et Valesius (6) et omnium eruditissimus Spanhemius (7) jam ostendere. itaque Antoninus Pius *Ampliator Civium* hic appellatur, non quod in orbe Romano qui erant, civitate Romana omnes donarit, sed quod ad plures, inquit Spanhemius (8), qui vel magistratus in patria gessissent, in eaque prae ceteris civibus dignatione et potentia eminerent; vel inter Romanos militarent, seu in imperii finibus praesidiarii milites agerent, illius beneficii largitio dimanarit (*a*).

CCCLXXXVI. (Vaill. t. 1. p. 66.)

LOCVPLETATORI · ORBIS · TERRARVM
S · C ·

Hoc titulo ornatum Hadrianum Aug. putat Spanhemius (9), quod nempe *infinitam pecuniam*, ut ait Spartianus (10), *quae fisco debebatur, privatis debitoribus in urbe atque Italia, in provinciis vero etiam ex reliquis ingentes summas remisit, syngraphis in foro divi Trajani, quo magis securitas omnibus roboraretur, incensis*. verum, praeterquamquod alii exstant nummi ad eam liberalitatem manifestius indicandam percussi, adversari etiam Spanhemii sententiae videntur, quas in hoc ipso nummo videmus, haud similis argumenti figurae. eminet enim Imperatoris togati effigies in

(1) Vaill. t. 2. p. 33.
(2) Hist. l. 4. c. 3.
(3) Novell. 78. c. 5.
(4) Vlp. D. l. 17. de St. Hom.
(5) Comm. ad Leg. Attic. p. 136.
(6) ad excerpt. Const. Dion. lib. 77. p. 1295.
(7) ibid. c. 4.
(8) ibid. c. 2.
(*a*) Eckhelius vero putat Doctr. N. V. t. 7. p. 12. sic appellatum, quod Trajani exemplo soboli Italiae providerit, constitutis in uxoris Faustinae honorem puellis Faustinianis alimentariis.
(9) Diss. 13. p. 557.
(10) in Hadr. c. 7.

suggestu sedentis, cui femina adstat pecuniam e cornu effundens, quam infra stantes utraque manu accipiunt viri duo habitu cultuque minime Romano. quare illae potius Hadriani largitiones designari mihi videntur, quibus, ut Spartianus idem testatur, reges Albanorum et Hiberorum prosequutus est (1). Hadrianus nimirum, orbe Romano ditato, quum deinde et barbaris munificentiam exhibuisset suam, merito a senatu Locupletator orbis terrarum appellari potuit: dignusque fuit, cui nummus eo argumento insignis dicaretur.

CCCLXXXVII· (Vaill. t. 1. p. 62.)

RESTITVTORI · ORBIS · TERRARVM

S · C ·

Hic quoque Hadriani munificentia celebratur, a quo oppida universa restituta, scripsit Aurelius Victor (2). tu vero et ea lege, quae ex Dione attuli ad inscr. CMI· in nummo Imperator expressus est mulierem sublevans, quae genu orbem sustinet.

Porro eodem vocabulo beneficia omnia designantur, quae Imperatores in provincias urbesque contulerunt: nec raro tituli hujusmodi occurrent, *Restitutori Africae, Restitutori Macedoniae, Restitutori Vrbis, Restitutori Nicomediae:* Postumus autem etiam *Salus Provinciarum* dictus est (3), *Salus Generis Humani* Commodus (4), plerique *Salus* aut *Securitas Publica* vel *Perpetua.*

CCCLXXXVIII· (Vaill. t. 1. p. 96.)

AVCTOR · PIETAT · P · M · TR · P · XIIII · IMP · VIII · COS · VI · P · P ·

S · C ·

Praeclarum videlicet pietatis auctorem hic nummus exhibet, qui Commodi vultu signatus est, hostis pietatis et virtutum omnium, qui etiam Deorum templa stupris et humano sanguine polluisse dicitur (5): idemque quamdam contra se conjurationem finxisse, ut multos occideret (6). hunc autem aliosque praeclarissimos titulos senatus ipse detulerat (7), sed is senatus, in quem ille ad Cleandri nutum vel libertinos adlegerat (8).

Negat Bandurius (9), consulatum Commodi sextum cum potestate tribunicia XIIII· convenire potuisse: itaque Baldinius scribendum censebat Cos. V· et Vaillantii scribam librarium de mendo accusabat.

CCCLXXXVIIII· (Vaill. t. 2. p. 188.)

PATER · SENAT · P · M · TR · P · XII · IMP · VIII · COS · V · P · P ·

Claudio Aug. censoria munia usurpanti, et famosos probris senatu depellenti titulum hunc deferendum jamdiu censuerat Vipsanius consul, et *Patrem Senatus,* inquit

(1) in Hadr. c. 17. et 21.
(2) Epit. c. 14.
(3) Spanh. diss. 7. p. 395.
(4) Vaill. t. 1. p. 100.
(5) Lampr. in Comm. c. 11.
(6) idem ibid. c. 8.
(7) id. ib. c. eod.
(8) id. ib. c. 6.
(9) Bibl. Numm. p. 74.

Tacitus (1) *appellandum esse Claudium; quippe promiscuum* Patris Patriae *cognomentum: nova in rempublicam merita non usitatis vocabulis honoranda. sed ipse cohibuit consulem ut nimium adsentantem*. eo deinde titulo volens lubensque ornatus est Commodus (ex ejus enim nummo hanc tibi inscriptionem exhibui), Commodus inquam ille, a quo plures, quam ab ullo alio, senatores occisi (2), aut certe ad mortem destinati sunt (3). Balbinus post hunc et Pupienus Augg. simul ambo, uti ex eorum nummis constat (4), *Patres Senatus* appellati, nec immerentes. atque hanc formulam Spanhemius (5) repertam putat, quae pro veteri illa *Principis Senatus* usurparetur: quae tamen plus aliquid, quam primatum inter senatores significare videtur. Principum item aut Caesarum appellationes fuere *Pater Castrorum, Pater Exercituum*, quae privatis negatae, semperque summi fastigii habitae: quare Pisoni sub Tiberio inter reliqua crimina objectum, ut a Spanhemio (6) animadversum est, vulgus militum ab eo adeo corruptum fuisse, ut *Parens Legionum appellaretur* (7).

CCCLXXXX. (Vaill. t. 1. p. 114.)

PART · ARAB · PART · ADIAB · COS · II · P · P ·

S · C ·

E Severi Aug. nummo desumptus hic titulus est: cur vero ille *Parthicus Arabicus* et *Parthicus Adiabenicus* appellatus sit, alibi (8) exposui. ad designandam autem Severi victoriam tropaeum etiam in nummo expressum est, inque illud reclinati captivi duo revinctis post terga manibus. ceterum Augustis post confecta bella non modo cognomina a devictis gentibus data, et Imperatoris iterata acclamatio; sed alii etiam tituli aliquando adtributi, qui victorias eorum resque gestas extollerent: cujusmodi sunt, quos subjiciam, minus illi quidem antiqui, sed tamen Latini: DEBELLATORI GENTIVM · BARBARARVM, EXSVPERATORI · OMNIVM · GENTIVM, TRIVMPHATORI · GENT · BARBARR ·, PACATOR · ORIENTIS, PACATOR · ORBIS, VICTOR · OMNIVM · GENTIVM · AVG · N · et si qui sunt hujusmodi, quos apud Vaillantium invenies.

CCCLXXXXI. (Vaill. t. 1. p. 136.)

SACERD · DEI · SOLIS · ELAGABAL ·

S · C ·

Descripta haec e nummo Antonini Elagabali, in quo ipse Imperator expressus est ardentem ad aram sacrificans, ipsi nempe Deo Soli, cujus sacerdos Emesae a pueritia fuerat una cum Alexiano consobrino, qui deinde Severus Alexander Aug. dictus est (9): iterumque Romae solus, templo ei Deo, quem e Syria secum advexerat, constituto (10). quum autem Deum Solem in Oriente aliae aliis nominibus gentes appellarent, ut habes ad inscr. LXI. Emeseni, qui in Phoenicia erant, τῇ Φοινικων φωνῇ, ut ait Herodianus, Ελαιαγαβαλον nominabant, sive, ut in Latinis nummis, *Elagabalum*, unde

(1) Ann. l. 11. c. 25.
(2) Lampr. in Comm. c. 7.
(3) Herod. l. 1. c. 16.
(4) Vaill. t. 2. p. 300.
(5) Diss. 12. p. 451.
(6) ibid.
(7) Tacit. Ann. l. 3. c. 13.
(8) ad inscr. 95.
(9) Herod. l. 5. c. 3.
(10) Lampr. in Elag. c. 1.

et cognomen Antonino datum, qui tamen a Lampridio *Heliogabalus* appellatur. simulacri illius formam sic descripsit Herodianus (1) Λιθος δε τις εστι μεγιστος, κατωθεν περιφερης, λιγων εις οξυτητα. κωνοειδες αυτῳ σχημα, μελαινα τε ἡ χροια, διοτελη τε αυτον ειναι σεμνολογουσιν, εξοχας τε τινας βραχειας και τυπους δεικνυουσιν. εικονα τε Ἡλιου ανεργαστον ειναι θελουσιν, ουτω βλεπωντες. multa idem de nuptiis Dei Elagabali tradidit (2), cui Antoninus Vraniam uxorem dedit, simulacro scilicet ejus Deae Carthagine Romam advecto, et auro ceterisque templi ornamentis pro dote asportatis: tum de feriis ludisque, et de pompa, qua Deum suum in suburbanum, ubi magnificentissimum exstruxerat templum, extrema aestate deducebat.

§· III.

TITVLI AVGVSTARVM ET CAESARVM

CCCLXXXXII· (Vaill. t. 1. p. 2.)

AVGVSTA · MATER · PATRIAE

Livia est Drusi filia, Tiberii primum Neronis, deinde Augusti uxor, materque Tiberii Aug. de qua jam mentio superius facta est (3). in adversa nummi fronte Augustus, in aversa effigies ejus expressa sedentis capite velato, quae dextra pateram porrigit, sinistra manu hastae innititur. ut autem vir ejus honoris ergo *Patriae Pater* appellatus fuerat, sic ipsa *Mater* dicta. quin etiam, quum Augustum poëtae tantum *Patrem Orbis* aut *Patrem Hominum* (4) nominarint, Livia vel in nummis GENETRIX · ORBIS nuncupata est (5): quos tamen honores Tiberius rerum potitus non probabat (6).

CCCLXXXXIII· (Vaill. t. 2. p. 10.)

REGINAE · REGVM · FILIORVM · REGVM · CLEOPATRAE

Id Cleopatrae ab Antonio Triumviro datum fuerat, ut *Regina Regum* ex antiqua Persarum maxime atque Aegyptiorum consuetudine appellaretur: Βασιλιδα Βασιλεων... καλεισθαι εκελευσε (7). ac vetustissimi quidem orientis reges ideo appellati *Reges Regum* videntur, quod regibus jura darent. ut et magnus ille Sesostris apud Diodorum dictus est (8), Βασιλευς Βασιλεων και Δεσποτης Δεσποτων. ceterum adsentandi studio factum est, ut alii etiam, quibus nulli reges parebant, ea tamen appellatione nominarentur: ut Tigranes apud Plutarchum (9) aliique in nummis permulti (10): itaque haec verborum illorum sententia erat, *Rex inter Reges sive virtute sive dignitate sive imperio primus:* quemadmodum apud Gudium (11) Agrestius quidam v· c· appellatur *Pater Pa-*

(1) l. 5. c. 3. *lapis est maximus ab imo rotundus, et sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram, colore niger. hunc divinitus perfectum jactant, et minutas quasdam expressiones ac notas demonstrant: imaginemque eam Solis esse contendunt, haud humano, ut putant, artificio factam.*
(2) ibid. c. 6.
(3) ad inscr. 112.
(4) Ovid. Fast. l. 2. v. 130.
(5) Spanh. diss. 12. p. 451.
(6) Svet. in Tib. c. 50. n. 4.
(7) Dio l. 49. p. 598.
(8) l. 1. p. 35.
(9) in Lucullo p. 170.
(10) Spanh. diss. 8. p. 464.
(11) p. 113. n. 1.

trum, quod nempe primus senatorum haberetur: et a Floro Caralis *Vrbs Vrbium* dicta est (1), quod in provincia Sardinia prima esset.

Sed tamen plus aliquid in hoc nummo tribuitur Cleopatrae, quam ceteris regibus: quippe non modo *Regina inter reges prima*, sed inter eos etiam reges prima dicitur, qui regibus, ut ipsa, orti essent. nummum autem Alexandriae cusum (*a*) crediderim, quum ibi Antonius dominationem sibi et Cleopatrae, ut ait Florus (2), pararet, nec tacite, sed patriae, nominis, togae, fascium oblitus, totus in monstrum istud ut mente, ita animo quoque et cultu descivisset. vultum scilicet Antonii in adversa fronte exhibet nummus cum inscriptione M · ANT · IMP · III · VIR · R · P · C ·

CCCLXXXXIIII. (Vaill. t. 1. p. 44.)

DIVI · CAESARIS · MATER

S · C ·

Domitia haec fuit Domitiani Aug. uxor, de qua egi paullo superius (3). expressa autem in nummo et matris sedentis et filii stantis imago: quem ille nempe ab ea susceperat consul septimum cum Tito fratre Aug. octavum. hunc Domitiani consulatum Svetonius secundum appellat (4), quod eos negligat, quos ille suffectus gesserat, de hoc puero (*b*) genethliacon scripsit Martialis (5): praetextatum obiisse, atque inter Deos relatum esse indicant nummi veteres, e quibus insignes duo maxime sunt, argenteus unus, alter aureus, cum pueri effigie supra globum inter astra locati, adjecta inscriptione *Divus Caesar Imp. Domitiani F.* (6) post hujus autem consecrationem ipse etiam Domitianus a Statio (7) *Parens Deorum* dictus est.

CCCLXXXXV. (Vaill. t. 1. p. 88.)

MATRI · CASTRORVM

S · C ·

Hoc titulo insignita est Faustina M. Aurelii, quae in nummo sedentis habitu repraesentata, hastam sinistra manu tenet, dextra globum sustinet, cui phoenix insistit: additaque ad pedes signa militaria tria. huc pertinent, quae de M. Aurelio scripsit Capitolinus (8): *Divam etiam Faustinam a senatu appellatam gratulatus est: quam secum et in aestivis habuerat, ut* Matrem Castrorum *appellaret*. atque haec appellatio, quae deinde saepius audita est, nova tamen M. Aurelii aetate videri plane non debebat: siquidem Cajus Agrippinae filius, quod apud exercitum educatus esset, *Filius Castrorum* appellatus fuerat (9), ac ipsa fortasse Agrippina *Mater Castrorum*: quippe ingens animi femina, marito in Arminium Germanosque profecto, munia ducis, ut ait Tacitus (10), inuerat, impositum Rheno pontem solvi prohibuerat, militibus, ut quis

(1) lib. 2. c. 6. n. 35.
(*a*) At Eckhelius Doctr. N. V. t. 6. p. 48. Anagniae potius cusum statuit, siquidem fides habenda Servio, qui ad Aen. l. 7. v. 684. haec habet: *Antonius Augusti sorore contempta, postquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate jussit feriri*.
(2) lib. 4. c. 11. n. 3.
(3) ad inscr. 373.
(4) in Domit. c. 3. n. 2.
(*b*) Quid statuendum sit de anno natali hujus pueri, disserit Eckhelius Doctr. N. V. t. 6. p. 400.
(5) lib. 6. epigr. 3.
(6) Vaill. t. 2. p. 111.
(7) lib. 4. Silv. 3. v. 139.
(8) in M. Aur. c. 26.
(9) Svet. in Cajo c. 22. n. 2.
(10) Ann. l. 1. c. 69.

inops aut saucius, vestem et fomenta dilargita erat: digna laurea, quae in veteri gemma ejus capiti inhaeret (1).

CCCLXXXXVI. (Vaill. t. 1. p. 119.)

MAT · AVGG · MAT · SEN · MAT · PAT ·
S · C ·

Tot demum titulis honestata est Iulia Severi Aug. uxor, postquam Antoninus et Geta, patre etiamtum superstite (2), Augusti ambo cognominati sunt: quorum alter privignus, alter filius Iuliae fuit (3). porro in nummis *Mater Patriae* Livia prior dicta fuerat, *Mater Augusti* Agrippina: haec vero prima *Mater Senatus,* ut *Pater Senatus* Commodus: tresque una titulos tulit, nec Liviae nec Agrippinae comparanda: quin et quartus addendus est: quum et *Mater Castrorum* dicta sit. imaginem ejus refert nummus sedentem, baculumque sinistra, ramum dextra gestantem.

CCCLXXXXVII. (Spanh. diss. 11. p. 324.)

LIBERIS
AVG ·
COL · A · A · P ·

In nummo Claudii Aug. haec legas, in Achaja percusso, nempe in Colonia Augusta Aroe Patrensi: quae primum *Aroe* dicta, deinde et *Patrae,* sive Ἀροη Πατρεων: nam conditor Eumelus a cultu terrae Ἀροην appellarat, Patreus, pomerio ampliato, *Patras* (4): cui demum beneficio Augusti coloniae jus atque dignitas accessit.

Effigies in nummo puerilium fortasse capitum eminent tres, infraque cornu copiae geminum. sed admonet Spanhemius (5), duas puellares esse, *Octaviae* nempe et *Antoniae,* tertiam puerilem *Britannici,* quae nomina leguntur in nummo Morelli (6). atqui Claudius, praeter Britannicum, quem ex Messalina suscepit, et Neronem, quem Agrippina natum adoptavit, Drusum quoque ex Vrgulanilla tulerat, quem, ut ait Svetonius (7), puberem amisit Pompeiis, pyro per lusum in sublime jactato, et hiatu oris excepto strangulatum. itaque ut aliae duae effigies Britannicum et Neronem, sic media hunc forsitan refert, ceteris minor; cui cornu copiae subjectum non est, quod nullum jam ab eo Claudii domus subsidium habere posset. pro Spanhemio tamen Morelli nummus stare videtur, in quo Claudii filia Antonia et Octavia cornu copiae ambae gerunt.

CCCLXXXXVIII. (Vaill. t. 2. p. 82.)

LIBERI · IMP · GERM · AVG ·

Nummus est Imp. Vitellii, de quo Svetonius (8): *Cognomen* Germanici *delatum ab universis* (militibus) *cupide recepit,* Augusti *distulit,* Caesaris *in perpetuum*

(1) Mus. Odesch. t. 1. tab. 30.
(2) v. inscr. 43.
(3) v. inscr. 117.
(4) Spanh. diss. 9. p. 560. ex Pausan. l. 7.
(5) diss. 11. p. 525.
(6) Specim. tab. 15. p. 152.
(7) in Claud. c. 27. n. 1.
(8) in vit. c. 8. n. 1.

recusavit. porro filium ille ex Petronia prima uxore Petronianum habuerat, sed qui patrem Augustum morte praereptus non vidit (1): at ex Galeria Fundana liberos deinde tulit utriusque sexus, qui eo Principe vivebant: atque hi sunt, quorum capita nummus exhibet. marem sane apud se habebat in castris, sed etiamtum infantem, quum Imperator consalutatus est. *Mox universum exercitum*, inquit Tacitus (2), *occurrere infanti filio jubet, perlatumque et paludamento opertum sinu retinens*, Germanicum *appellavit, cinxitque cunctis fortunae Principalis insignibus*. at brevi hujus quoque exitus idem fuit, qui patris: interfectus enim est a Muciano Vespasianarum partium duce, qui tum principatus initia regebat (3). soror ejus felicior, quippe quam Vespasianus splendidissime maritavit, dotavitque etiam et instruxit (4).

Miratus Spanhemius (5), a Flavio Iosepho, ubi Vitellium cum Vespasiano comparat (6), hunc quidem *Patrem*, at illum Ατταδα appellari, eo demum vocabulo usum Iudaeum scriptorem putavit, quod Vitellii filius *Germanicus* et infans esset et titubantis oris, prope mutus, ut scripsit Svetonius (7), et elinguis: itaque imperio, prae Tito et Domitiano Vespasiani filiis, minime idoneus, et omnino contemnendus videretur.

CCCLXXXXVIIII. (Vaill. t. 1. p. 34.)

T · CAES · AVG · F · COS ·
D · CAES · AVG · F · FR · (8)
S · C ·

Spectat hic nummus ad annum Varr. DCCCXXII. quo anno Vespasianus rerum potitus est, consulatumque secundum gessit cum Tito filio consule primum. eodem anno a senatu et Titus et Domitianus Imperatores destinati sunt, appellatique ex veteri consuetudine *Caesares* et *Principes Iuventutis*, ut ex nummis maxime compertum est. eam autem ob rem non congiaria solum populo et donativa militibus dari (9), sed nummi etiam cudi solebant novorum Caesarum vultibus insigniti: quod et ipsorum nummorum titulis et Herodiani (10) potissimum auctoritate comprobatur. in hujus autem nummi adversa fronte Vespasiani, in aversa filiorum capita expressa videas.

CCCC. (Vaill. t. 2. p. 261.)

PRINC · IVVENT ·

Getae Caesaris titulus est in ejus nummo, qui tres tamen equitantium juvenum imagines refert. quo hae spectent, paucis, si liceat, edisseram. Equites Romani, ut jam ostendi ad inscr. LXXIII. Iuventutis nomine designabantur: quos inter praecipui erant, qui equo publico honorati: ut item exposui ad inscr. LXXXII. hi potissimum et ad Trojae ludum (11) et ad sollemnem transvectionem, cujus morem Augustus reduxerat (12), sex in turmas divisi erant, quibus totidem duces imperitabant, *Seviri* a numero dicti. quia vero tres seniorum erant turmae, tresque juniorum, quae et *Cuneus Iuniorum*

(1) Svet. in vit. c. 6. n. 1.
(2) Hist. l. 2. c. 59.
(3) idem Hist. l. 4. c. 80.
(4) Svet. in Vesp. c. 14. n. 1.
(5) Diss. II. p. 327.
(6) B. Iud. l. 4. c. 10.
(7) in vit. c. 6. n. 3.
(8) *Fratres*.
(9) Spart. in Hadr. c. 23.
(10) lib. 2. c. 15.
(11) Svet. in Aug. c. 43. n. 5.
(12) idem ibid. c. 38. n. 3.

vocabantur (1), tres quoque erant Seviri, qui senioribus, tres qui junioribus praecerant: atque hi omnes antiquitus *Principes Iuventutis* nominabantur (2). sed ubi Augustorum filii creati Seviri sunt, soli jam ipsi, praesertim in titulis, *Principes Iuventutis* appellari coepti sunt: ac si quando bini Caesares essent, major seniorum, minor juniorum turmis, una singuli cum aliis duobus senatorum filiis praefecti: quum vero unus tantum, is vel juniorum vel seniorum turmis dux datus, ut aetas ejus ferebat. itaque de Commodo scripsit Lampridius (3): *Cooptatus inter tres solos principes juventutis, quum togam sumpsit*, unus nempe e tribus Seviris factus, qui juniorum turmis praecerant. Capitolinus certe de M. Aurelio Commodi patre tradit, quum (4) *Caesaris* appellatione donatus esset, *Sevirum* quoque *turmis equitum Romanorum* esse creatum: ut quos Capitolinus *Seviros* dicit, iidem a Lampridio *Principes Iuventutis* nominentur. ergo quum Caracalla major natu turmas seniorum regeret; Geta, qui minor erat, juniorum turmas ducebat, primus uterque e tribus Seviris, Principesque Principum ambo. idcirco in Getae nummo Seviri quidem sive principes juniorum tres expressi sunt in equis decurrentes, at unus Geta *Princeps Iuventutis* appellatus.

Lampridii quae attuli verba, mendo carere negabat Lipsius, legendumque censebat *Cooptatus inter Trossulos:* quod eo nomine apud vetustissimos Romanorum ipsi Equites designabantur, postquam eorum opera *Trossulum* oppidum captum fuerat. id vero Spanhemius (5) jam Norisiusque rejecere (6), argumentis sane non levibus. si quid tamen in eo Lampridii loco mutandum, sic legas, velim, *Inter tres solitos principes juventutis*.

CCCCI. (Vaill. t. 3. p. 104.)

PARENS · MVNICIPI

Sic in Agrippae nummo e maximorum genere, in quo et navis aplustre effictum est, insigne pugnarum navalium, quibus ille maxime inclaruerat. porro ipse Augustus in antiquis inscriptionibus (7) et *Parens Coloniae* et *Pater Municipii* dictus legitur. at quo in municipio nummus hic Agrippae honori percussus fuerit, requiras. nummum ΑΑΑΒΑΝΔΕΩΝ cum Agrippae et filiorum capitibus edidit Spanhemius (8): ceteri, qui ejus imaginem referunt, ex iis sunt, quos Augusti restituere, aut certe ex iis, quos Romae percussos esse constat: unum tamen Gadibus cusum et Agrippae vultu signatum inter Iacobi Baryi nummos deprehendit Venutus (9), quem hujus nostri *συμπολιτην* dixeris: titulum enim hunc refert: PATRONO · MVNIC · GAD · ut idem Agrippa et *Parens* et *Patronus* Municipii Gaditani dictus esse videatur.

(1) Tac. Ann. l. 2. c. 83.
(2) Liv. l. 42. c. 45. n. 61. Cic. Fam. l. 3. ep. 11.
(3) in Comm. c. 1.
(4) in M. Aur. c. 6.
(5) Diss. 12. p. 360.
(6) Cen. Pis. diss. 2. p. 108.
(7) v. inscr. 238. et 244.
(8) Diss. 11. p. 319.
(9) Numism. Max. Vatic. vol. 1. p. 9.

§· IIII·

VIRTVTES AVGVSTORVM

CCCCII· (Vaill. t. 1. p. 68.)

VIRTVS · AVGVST ·

S · C ·

Ita inscriptum in Hadriani nummo, in quo ipsius Imperatoris effigies est, telum ab equo in leonem torquentis. nulla autem inscriptio saepius nummos veteres tractanti, quam haec, solet occurrere. sed quaeritur, quaenam virtus potissimum eo vocabulo designetur. Spanhemii (1) opinio fuit, *bellandi virtutem* unice significari, quam olim Cicero (2) in summo atque perfecto imperatore requirebat. neque vero id nummorum imagines ipsae, quae titulo subjectae sunt, obscure declarant. videas enim effictam in his vel mulierem stantem cum hasta et gladio, quem Παραζώνιον vocant: vel Romam ipsam cum aegide et hasta galeatam; vel Imperatorem paludatum, cui Victoria coronam imponit, aut captivus ad pedes jacet; vel eundem ex equo in hostes pugnantem; et quae sunt hujusmodi: quibus omnibus bellica laus et scientia rei militaris ob oculos ponitur. quin etiam ut Tullius *Virtutem* in magnis imperatoribus cum *Felicitate* conjunctam esse volebat (3); ita in Trajani nummo utraque juncta est sub Martis, ut reor, et Fortunae imaginibus, adscripto titulo VIRTVTI · ET · FELICITATI (4).

Sed tamen hoc in nummo illa forsitan Hadriani virtus expressa est, qua in feras ipsas pugnabat. venandi enim studio non mediocriter tenebatur, ex eaque etiam re laudem sibi et famam quaerebat. itaque in Mysia *Oppidum Hadrianotheras*, ut narrat Spartianus (5), *quod illic et feliciter esset venatus, et ursam occidisset aliquando, constituit*. adjuvat autem interpretationem hanc nostram Commodi nummus effigie eadem cum titulo VIRTVTI · AVG · nam, ut elegantissime ab Herodiano perscriptum est (6), nulla re magis praestitit Commodus, quam jaculandi sagittandique usu, ut semper collinearet: qui etiam in Amphitheatro leones centum uno die occiderit, nullo in vacuum emisso telo. quin id ipsum et ab Hadriano saepe factum in circo, scripsit Spartianus (7).

CCCCIII· (Vaill. t. 1. p. 64.)

DISCIPLINA · AVG ·

S · C ·

Hoc vero in nummo militaris Hadriani disciplina celebratur: nam et ejus effigies expressa ad bellum proficiscentis, quem milites quatuor subsequuntur, (aliis in nummis quinque) signaque militaria ferunt. adscriptum aliquando DISCIPVLINA, ἀρχαϊκῶς. quae porro fuerit in Hadriano militaris disciplinae ratio, Spartiani nos verba docent (8).

(1) Diss. 13. p. 627.
(2) pro L. Manil. c. 13. n. 36.
(3) ibid. c. 16. n. 47.
(4) Vaill. t. 2. p. 123.
(5) in Hadr. c. 20.
(6) lib. 1. c. 14.
(7) in Hadr. c. 19.
(8) ibid. c. 10.

Inde in Germaniam transiit; pacisque magis, quam belli cupidus, militem, quasi bellum imminueret, exercuit, tolerantiae documentis eum imbuens, ipse quoque inter manipulares vitam militarem magistratus, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est lardo, caseo et posca, exemplo Scipionis Aemiliani et Metelli et auctoris sui Trajani: multos praemiis, nonnullos honoribus donans, ut ferre possent ea, quae asperius jubebat: siquidem ipse post Caesarem Octavianum labantem disciplinam, incuria superiorum Principum, retinuit, ordinatis et officiis et impendiis: numquam passus aliquem a castris injuste abesse, quum tribunos non favor militum, sed justitia commendaret: exemplo etiam virtutis suae ceteros adhortatus, quum etiam vicena millia pedibus armatus ambularet: triclinia de castris et porticus et cryptas et topia dirueret: vestem humillimam frequenter acciperet, sine auro balteum sumeret, sine gemmis fibulas stringeret, capulo vix eburneo spatham clauderet: et quae sequuntur. haec autem et in alterum Hadriani nummum quadrant a Seguino (1) editum cum inscriptione PATIENTIA · AVGVSTI.

CCCCIII. (Vaill. t. 1. p. 105.)

AEQVIT · AVG · COS · II ·
S · C ·

Leges titulum hunc in nummo Pertinacis, in quo tamquam Dea *Aequitas* repraesentatur muliebri habitu stolata, dextra bilancem, sinistra cornu copiae gerens. est autem *Aequitas* idem interdum atque *Iustitia;* saepius tamen ea virtus, qua leges, ubi opus est, benigne interpretamur, quaeque media habetur inter jus summum et indulgentiam (2). ad *Aequitatem* Pertinacis ea referas, quae Capitolinus de eo tradidit (3): *Legem sane tulit, ut testamenta priora non prius essent irrita, quam alia perfecta essent, neve ob hoc Fiscus aliquando succederet: ipseque professus est, nullius se aditurum haereditatem, quae aut adulatione alicujus delata esset, aut lite perplexa, ut legitimi heredes et necessarii privarentur: addiditque senatus consulto haec verba:* sanctius est, P. C. inopem remp. obtinere, quam ad divitiarum cumulum per discrimina atque dedecoris vestigia pervenire.

CCCCV. (Vaill. t. 1. p. 85.)

PROVIDENT · AVG · IMP · VI · COS · III ·
S · C ·

Providentia est, inquit Tullius (4), *per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit.* haec autem veteres non una ratione repraesentabant; sed hoc in nummo, qui M. Aurelii est, effigies eminet Imperatoris paludati, qui stipatus militibus quatuor, ponte navibus facto, flumen transmittit. enimvero difficile est dicere, quid haec potissimum designent: sed pugna certe aliqua indicatur, quae, flumine ab legionibus ductu auspiciisque M. Aurelii trajecto, feliciter pugnata sit: de qua fortasse meminit Capitolinus: quum de M. Aurelio scripsit (5), *Marcomannos autem in ipso transitu Danubii delevit, et praedam provincialibus reddidit.*

(1) Sel. Num. p. 141.
(2) v. Cic. de off. l. 2. c. 22. n. 78. et de Orat. l. 1. c. 56. n. 240.
(3) in Pertin. c. 7.
(4) de invent. l. 2. c. 53. n. 160.
(5) in M. Aur. c. 21.

CCCCVI. (Vaill. t. 3. p. 181.)

MVNIFICENTIA · GORDIANI · AVG ·

Nummus est e genere maximorum, qui in adversa etiam fronte Gordiani nomen inscriptum habet, ejus scilicet, qui tertius hoc nomine fuit: in aversa vero, de qua hic agimus, amphitheatrum exhibet, in eoque elephantum cum sessore bestiario et taurum ad pugnam commissos. ludi nempe significantur, primum forsitan sub Gordiano in amphitheatro post ejus restitutionem dati: quippe illud sub Macrino deflagraverat (1); et ab Severo Alexandro, qui opera veterum Principum instaurasse dicitur (2), magna ex parte restitutum, Gordianus, opinor, perfecerat, ludisque commissis dedicaverat.

Porro ut ludi *Munus*, sic ludorum editio *Munificentia* appellata est: quo spectat Bibuli Aedilis dictum de Iulio Caesare collega, *evenisse sibi, quod Polluci; ut enim geminis fratribus aedes in foro constituta, tantum Castoris vocaretur; ita suam Caesarisque Munificentiam unius Caesaris dici* (3). nihil autem saepius in ludis, quam venationes datae: in quibus non bestiarii modo, sed ferae etiam ipsae cum feris depugnabant. idcirco in nummis Augustorum, in quibus adscriptum sit *Munificentia*, expressas item videas immanium feraruinque belluarum figuras (4). hujusmodi venationes in circo antiquitus dabantur: ibi Pompejus (5), ibi Iulius Caesar (6), ibi Augustus aliique dein Principes dederant (7): quae interdum per quinos quadrigarum missus interjectae (8). at exstructo a Flaviis amphitheatro, quod Xiphilinus Θεατρον το κυνηγετικον appellat, Titus Aug. in ipsa ejus dedicatione (9) venationem ibi dedit: quo referendos docuit Spanhemius (10) eos Titi nummos, in quibus octavo ejus consulatu signatus est elephas. hinc jam et Romae et in provinciis venationes in amphitheatro dari coeptae; quod Acta sanctorum Martyrum (11) plane confirmant.

CCCCVII. (Vaill. t. 2. p. 299.)

CARITAS · MVTVA · AVGG ·

Nummus est Balbini Aug. in quo, ut in aliis nonnullis, dextrae duae expressae sunt conjunctae: ut significaretur, Balbinum et Pupienum Augg concordissime imperare. idcirco easdem in Pupieni quoque nummis videmus, variis quidem titulis, sed rem fere unam demonstrantibus; sunt enim hujusmodi: AMOR · MVTVVS · AVGG ·, CONCORDIA AVGG ·, PIETAS · MVTVA · AVGG ·, FIDES · MVTVA · AVGG · ceterum neuter alteri, si Herodianum audias (12), multum fidere videbatur, atque uterque ad se summam imperii trahebat: quae res in primis ambos perdidit.

CCCCVIII. (Vaill. t. 1. p. 10.)

MODERATIONI
S · C ·

Habet haec non unus Tiberii nummus, in quo et clypeum, ut reor, votivum

(1) v. inscr. 331.
(2) Lampr. in Alex. c. 25.
(3) Svet. in Iul. c. 10. n. 3.
(4) Vaill. in Sever. et Elag. etc.
(5) Plin. H. N. l. 8. c. 7. n. 7.
(6) Svet. in Iul. c. 39. n. 7.
(7) idem in Aug. c. 43. n. 1. etc.
(8) idem in Claud. c. 21. n. 5.
(9) Xiph. l. 66. p. 1097. A.
(10) Diss. 3. p. 163.
(11) Pass. Ss. Perp. et Felic. edit. Possin. p. 29. etc.
(12) l. 8. c. 8.

effictum videas, mediumque in eo humanum caput, ejusdem, ut opinor, Tiberii imaginem. senatus nempe clypeum cum Tiberii effigie *Moderationi* dedicasse videtur post eam epistolam, quam ille ad eum e Campania de luxus coercendi ratione miserat: addit enim Tacitus (1), illum famam *Moderationis* sibi peperisse, quod ingruentes accusatores repressserat. quippe auditis Caesaris litteris, nihil gravius decretum fuerat, sed *remissa*, inquit idem, *Aedilibus talis cura* (2). Svetonius tamen, auctore Tiberio, datum Aedilibus negotium scribit (3) *popinas ganeasque usque eo inhibendi, ut ne opera quidem pistoria proponi venalia sinerent:* deinde de Tiberio ipso sic: *et ut parcimoniam publicam exemplo quoque juvaret, sollemnibus ipse coenis pridiana saepe ac semesa obsonia apposuit, dimidiatumque aprum, affirmans,* Omnia eadem habere, quae totum.

In alio autem Tiberii nummo, qui clypeum refert superioris simillimum, inscriptum est CLEMENTIAE: hunc ego nummum ad ea tempora pertinere arbitror, quibus senatores Tiberium Sejanumque formidantes, remedium pavori suo adulatione quaerebant: de quibus haec Tacitus (4): *Quamquam diversis super rebus consulerentur, Aram* Clementiae, *Aram* Amicitiae, Effigiesque *circum Caesaris ac Sejani censuere:* effigies nimirum in clypeis, ut nummi exhibent. hunc locum non vidit Sponius: itaque ivit in alia omnia (5).

CCCCVIIII. (Vaill. t. 1. p. 25.)

SENATVS · PIETATI · AVGVSTI
S · C ·

Inscripta haec in Galbae Aug. nummo, quem primus vulgavit Spanhemius (6). in eo senator expressus est, sive, ut Vaillantio placuit, senatus Genius, qui sinistra ramum lauri gestans, Imperatorem paludatum dextra coronat. Taciti autem auctoritate, qui Pisonem a Galba non sine patrum favore adoptatum scripsit (7), facile adducebatur Spanhemius, ut crederet, nummum hunc auctore senatu percussum, quo ejus adoptionis gratia celebraretur. idem tamen fatebatur, obstare nonnihil, quod quatriduo post et Galbam et Pisonem sublatos esse constaret. ego vero, quia Galbae pietatem in Pisonis adoptione haud satis agnosco, titulum eo spectare puto, quo pertinet alter ille (8), in corona quercea, S · P · Q · R · OB · C · S · Galbae scilicet pietatem honorabat senatus, decreta corona civica, quod pius erga patriam, suscepto post Neronem imperio, atque urbe metu liberata, rempublicam conservasse videbatur.

CCCCX. (Vaill. t. 1. p. 98.)

MAGNI
FICENTI
AE · AVG ·
COS · III ·
P · P ·

Titulum hunc in nummo Commodi Aug. leges laurea corona cinctum, quam ei

(1) Ann. l. 3. c. 56.
(2) id. ibid. c. 55.
(3) in Tib. c. 34. n. 2.
(4) Ann. l. 4. c. 74.
(5) Misc. p. 154. n. 6. et 7.
(6) Diss. 12. p. 437.
(7) Hist. l. 1. c. 19.
(8) Vaill. t. 2. p. 74.

senatus decrevisse putandus est. nummum vero huic persimilem, nisi quod cos . VI · non III · adscriptum sit, edidit Morellus (1), et de Commodi *Magnificentia*, quae hic praedicatur, signatam eam esse subjecit, *ad indicandum spectaculorum ingentem apparatum, quae Commodus saepissime exhibuit* (2). sententiam ejus confirmant veteres loquendi formulae, Tullii potissimum, qui Pompeii ludos *Magnificentissimos* (3) dixit, item ejusdem Venationes *Magnificas* (4), et *Magnificentiam* cum apparatione popularium munerum conjunxit (5).

§ V.

OPERA PVBLICA AVGVSTORVM

CCCCXI. (Vaill. t. 1. p. 22. et t. 3. p. 108.)

PORT · OST · AVGVSTI

S · C ·

Qui titulum hunc refert, nummus est Neronis, in quo et portum Ostiensem navium plenum videre licet: eum nempe portum, quem, quum Iulius Caesar saepius destinatum (6), propter difficultatem omisisset, demum Claudius Aug. perfecerat, ut jam ad inscr. CMI. exposui. cur vero idem in nummo Neronis effictus sit, hanc esse causam puto, quod ille vel a Claudio perfectum dedicarit, vel ab eodem dedicatum ornaverit. quidni etiam consilia Neronis indicari suspicer? de quo Svetonius (7): *Destinarat etiam Ostia tenus moenia promovere, atque inde fossa mare veteri urbi inducere.*

In nummo Trajani (8), qui ejus portum exhibet, quem ad Centumcellas aperuit, leges PORTVM · TRAIANI: recto scilicet casu *Portum* quoque usurpatum mihi videtur neutro genere: nam et Turpilius apud Nonium (9), *Nautae*, inquit, *circumventi ventis*, Porti *indigentes*.

CCCCXII. (Vaill. t. 1. p. 22.)

MAC · AVG ·

S · C ·

Hic item Neronis nummus est, qui aedificii frontem offert haud plane vulgaris. titulum sic legito, *Macellum Augusti*, idest forum obsonorium omnium: neque enim locus alius eo vocabulo designatur. *Venio ad Macellum*, inquit Euclio, senex ille avarus apud Plautum (10), *rogito pisces, indicant caros, agninam caram, caram bubulam, vitulinam, cetum, porcinam, cara omnia.* quin et olera ibidem vendebantur: nam de priscis Romanis sic Plinius (11): *Statim faciebant judicium, nequam esse in domo matremfamilias (etenim haec cura feminae dicabatur) ubi indiligens*

(1) Specim. tab. 17.
(2) ibid. p. 178.
(3) in Pison. c. 27. n. 65.
(4) Famil. 7. ep. 1.
(5) de offic. l. 2. c. 16. n. 56.
(6) Svet. in Claud. c. 20. n. 2.
(7) in Ner. c. 16. n. 2.
(8) Vaill. t. 1. p. 49.
(9) cap. 8. n. 65.
(10) Aulul. act. 2. sc. 8. v. 3.
(11) H. N. l. 19. c. 4. n. 19. et Varro de L. L. l. 4. c. 32.

esset hortus: quippe e carnario aut Macello vivendum esse. at unde nomen ductum sit, certant adhuc Grammatici: alii a viri nomine, cujus aedes publicatae fuerint, alii mactandis ovibus, alii a sepimento dictum contendunt, quod Graeci Μακελλον vocant: ibi nempe hortum fuisse, ubi illud Romae primum aedificatum sit.

De Neroniano autem Macello meminit Dio (1): Και την αγοραν των οψων, το Μακελλον ωνομασμενον, καθιερωσεν. nec mirere, in nummo quod statua Principis, duplex et porticus expressa sit: potior ea fori pars habenda est et quasi facies aedium, unde prospectus in forum erat et tabernas omnes. porro aedes in hujusmodi foris magnificas vel ante Neronem fuisse, indicat Varro (2), qui *Tholum Macelli* memorat: ubi, opinor, Aedilis, cui ea regio obvenisset, jus reddere, ac de annona et de fraudibus macellariorum cognoscere solebat: *Macellum Tessellis Struendum* leges apud Donium (3).

CCCCXIII· (Vaill. t. 1. p. 47.)

AQVA · TRAIANA
S · P · Q · R · OPTIMO · PRINCIPI
S · C ·

Ductum *Aquae Trajanae*, cujus fortasse initium erat in agro Vejetano, ad duo fere passuum millia via Aurelia fuisse constat (4): qui deinceps porta Pancratiana in Ianiculum protendebatur. inde in Aventinum etiam derivatam aquam, tubus e plumbo indicat cum inscriptione *Aquae Trajanae*, quem ad collis illius radices inventum esse, tradit Gruterus (5). in nummo autem fontis Genius cum urna expressus est fluviorum more decumbens, superque ipsum latus fornix, quem aquae castellum dixeris.

At quaeres, quid sibi ea velint verba *S. P. Q. R. Optimo Principi?* nam de ipsa quidem aqua in urbem a senatu populoque adducta et Trajano dicata nequaquam accipi possunt, ut ut Buonarrotus id voluisse videatur (6). primum enim inscriptio ipsa non patitur, quod non *Aquam*, ut par erat, sed *Aqua* inscriptum est. deinde quo pacto explicabis titulum hujus persimilem in nummo Trajani cum pontis imagine (7), quo sane, non senatus, sed ipse Trajanus Danubium junxerat? quid etiam afferes ad alium nummum cum imagine ejusdem Trajani spicas porrigentis (8), et inscriptione *Alimenta Italiae, Senatus Populusque Romanus Optimo Principi* (9)? neque enim hic aedificium intelligi ullum potest, aut ulla *Alimentorum* dedicatio. quamobrem non omnino repudiandum videtur, quod ad inscr. CCCLXI· exposui; nec aliud a senatu populoque honori Principis dicari dicendum est, quam ipsa nummi effigies, tamquam publicum monumentum ad memoriam ejus celebrandam: exiguum illud quidem, sed publicum tamen ac duraturum, omniumque diu manibus terendum. neque vero opinionem hanc meam parum adjuvat adversae frontis inscriptio, quae eodem, quo honorariae, initio inchoatur; quum reliquae aliis in nummis ellogiorum more nomina recto efferant casu. quod hic demum atque alibi inscriptum infra sit S· C· nihil hae litterae ad titulum, quae, ut jam docui, non ad effigiem, sed ad ipsum metalli pretium referendae sunt.

(1) lib. 61. p. 998. *et forum obsoniorum* Macellum *appellatum dedicavit*.
(2) apud Non. c. 6. n. 2.
(3) Cl. 2. n. 54.
(4) Fabret. Diss. 1. de Aq. et Aquaed. p. 16. n. 25.
(5) p. 182. n. 7.
(6) Medag. p. 16. et 202.
(7) Marsil. in Danub. tom. 2. p. 30.
(8) Vaill. t. 1. p. 47.
(9) v. inscr. 377.

CCCCXIIII. (Vaill. t. 1. p. 48.)

BASILICA · VLPIA
S · P · Q · R · OPTIMO · PRINCIPI
S · C ·

Vlpia dicta est Trajani Basilica, uti et Forum *Vlpium* (1) de nomine ejus, a quo et tribus appellata est (2). de Basilicis dixi aliquid ad inscr. CCXXVIII. in Trajana datum aliquando congiarium, tradit Capitolinus (3): pars quippe fori erat, in quo magna frequentia plebs consistere poterat. quanta vero haec mole assurgeret, et quantum ibi ornamentorum esset, nummus ipse declarat, in quo aedificium maximum pulcherrimumque, atque insignibus passim statuis distinctum exhibetur. ceterum et Basilica et Templum cum Bibliothecis et area omni atque porticibus fornicibusque, *Fori Trajani* appellatione designabantur (4): quam et nummi quidam insignes praeferunt.

CCCCXV. (Vaill. t. 1. p. 53.)

VIA · TRAIANA
S · P · Q · R · OPTIMO · PRINCIPI
S · C ·

Non aliam hoc in nummo viam designari Spanhemius (5) putabat, quam quae intra ipsa urbis moenia a Trajano munita esset: sed nullam hoc nomine in antiquis Vrbis descriptionibus reperies. equidem haud aliam esse puto, quam eam, quae Theodorici aetate *Decennovium* appellata est (6), Trajani opus eximium, de quo a Xiphilino etiam (7) mentio facta. nimirum ut in ejus viae lapide X. Trajanus dictus est *Germanicus Dacicus Cos. V.*, ita hoc in nummo iisdem ornatur appositis. praeterea quum in nummo ipsa Via quasi Dea muliebri habitu expressa sit, quae humi reclinata, sinistra manu ramum praefert, dextra rotam tenet, tuti itineris, facilisque cursus indicia; Pedrusius in simili nummo argenteo sibi videre visus est (8) arundinem a Dea ostentari, argumentum exsiccatae paludis.

CCCCXVI. (Buonarr. tab. 1. n. 5.)

S · P · Q · R ·
EX · S · C ·

Titulus est in Hadriani nummo, quem Buonarrotus inter maximos numerat. templum in eo pulcherrimum eminet, cujus frons columnas habet decem. inscriptio non in tympano legitur, ut in Tiberiano ejusdem generis nummo apud Vaillantium (9): sed in ora nummi: quapropter non templum, quod ipse Hadrianus aedificarat, sed nummum ad posteritatis memoriam a senatu populoque dedicatum Hadriano dixeris, eumque no-

(1) Capitol. in M. Aur. c. 22.
(2) Antiq. Benev. Cl. 7. n. 6.
(3) in Comm. c. 1.
(4) Nardin. l. 5. c. 9.
(5) Diss. 10. p. 195.
(6) v. inscr. 241.
(7) l. 68. p. 1132. D.
(8) Mus. Farn. t. 2. T. 32. n. 7.
(9) tom. 3. p. 105.

minatim ex senatus consulto percussum. quum tamen binas etiam statuas in columnis stantes ad templi latera seorsum nummus exhibeat, quarum altera Hadrianum, altera Sabinam forsitan refert, ad harum quoque dedicationem si titulum trahas, non repugnabo.

Assentior autem Buonarroto (1) existimanti, non aliud hic templum designari, quam quod Hadrianus magnifico opere Veneri et Romae aedificaverat, auctor idem et architectus (2): (id Nardinus post templum Pacis e regione amphitheatri Flavii fuisse putat (3), quo loco parietinas adhuc manere videris.) indicio fuere Buonarroto statuae in templi fronte locatae, quas omnes, quantum in tam minuto opusculo videre licuit, Deorum Romanorum esse dispexit. id vero ipsa etiam inscriptio confirmat, quam nescio, an veteres nummi una cum externis Deorum aedibus ulli referant. atque id templum est illud, de quo apud Dionem Apollodori judicium exstat, ejus, qui praeclaris Trajani operibus architectus praefuerat. quum enim templi sui formam Hadrianus ad eum misisset, quo scilicet ostenderet, magnum opus et sine Apollodoro fieri posse; licentius ille atque arrogantius rescripsisse dicitur, templum illud altius ampliusque multo fieri oportuisse, quo magis et propter altitudinem in viam sacram emineret, et propter amplitudinem machinis recipiendis idoneum esset, quibus pegmata in amphitheatrum ex inopinato demitterentur. tum simulacra etiam majora facta esse, quam ratio altitudinis amplitudinisque templi pateretur: ut si Deae surgere atque inde exire vellent, nequaquam possent. tantam vero impudentiam, licentia ejus jamdiu exacerbatus, non tulit Hadrianus, injuriasque suas ultus est.

De anno, quo templi hujus celebrata dedicatio fuerit, minus constat: sed multa tamen erudite a Buonarroto disputata reperies.

CCCCXVII· (Vaill. t. 2. p. 163.)

TEMPL · DIVI · AVG · REST · COS · IIII ·

Quae Antoninus Pius aut fecit aut restituit, opera publica enumerans Capitolinus (4), de Augusti templo ab eo restituto non meminit. sed nummi potior auctoritas; multaque lapides et nummi nos docuere, quae frustra in veterum scriptorum libris requirebamus. hic porro nummus templum exhibet octo columnis in fronte innixum, et statuas interius binas sedentes, quas Vaillantius Romae et Augusti esse putabat, atque adeo templum quoque id esse, quod Sex. Rufus in regione quarta recensuit. atqui quum *Romae* nomen in titulo deest, tum vero haud liquet, templum in urbe *Romae et Augusto* dicatum uspiam fuisse. Svetonius certe auctor est, Augustum in urbe pertinacissime hoc honore abstinuisse (5): quod Nardino satis fuit (6), ut Rufi locum mendo non carere judicaret. nummi autem, qui pro titulo habent ROM · ET · AVG · ubicumque signati fuerint, aram magis, quam templum repraesentant.

Itaque templum potius designari puto, quod a Tiberio ac Livia in Palatio aedificatum (7), Cajus Aug. dedicaverat, Ἥρωον a Dione (8) appellatum: atque id in regione decima fuit, non in octava, ut existimavit Vaillantius Sex. Rufum sequutus, cui Nardinus (9) non adquiescit. adjuvat opinionem hanc nostram Plinius, qui de cinnamomo

(1) Medagl. p. 16. etc.
(2) Dio l. 69. p. 1152. D.
(3) lib. 3. c. 12.
(4) in Ant. Pio c. 8.
(5) in Aug. c. 52. n. 2.
(6) lib. 3. c. 12.
(7) Dio l. 56. in fin.
(8) lib. 59. p. 907. D.
(9) l. 5. c. 16. et l. 6. c. 14.

disserens, haec subjecit (1): *Radicem ejus magni ponderis vidimus in Palatii templo, quod fecerat Divo Augusto conjux Augusta, aureae paterae impositam: ex qua guttae editae annis omnibus in grana durabantur, donec id delubrum incendio consumptum est.* restituit igitur Antoninus, quod incendium consumpserat, nec simulacrum Romae prope Augusti statuam, sed Liviae effigiem reposuit, quae jam divinis honoribus colebatur: nam eam Claudius nepos, ut est apud Dionem (2) Απηθανατισεν, αγαλμα τε τι εν τῳ Αυγουστειῳ ἱδρυτας, και τας θυσιας ταις Λειπαρθενοις ἱεροποιειν προσταξας.

Consulatum quartum gesserat Antoninus anno Varr. DCCCLXXXXVIII· sed templi hujus dedicationem multis post annis celebratam esse declarat nummus alter huic persimilis, in quo tamen legas TRIB · POT · XXII · quae designat annum Varr. DCCCCXII· quem is est consequutus, quo Antoninus excessit e vita.

CCCCXVIII· (Vaill. t. 3. p. 187.)

EX · ORACVLO · APOLLINIS

Haec in nomismate legas, quod in fronte adversa Philipporum et Otaciliae capita refert cum titulo *Concordia Augustorum;* in aversa templum exhibet rotundum, columnis suffultum, in cujus fastigio aquila cernitur, in aditu scalarum gradus, deinde signa Deorum. hos inter qui medius est, Apollinem esse, affirmarat Vaillantius: sed negat Venutus (3), ipsa negat aquila, quae se Iovi apparere gloriatur ministrum fulminis alitem. itaque cum Venuto Capitolina ea numina esse existimo, aedemque a Philippo Aug. vel restitutam vel conditam exhiberi: quae fortasse eadem est, atque illa, quam iisdem numinibus sacram Musei Passeriani lucerna refert cum titulo M · I · PII · COS · III · (4)

De formula *Ex Oraculo,* quam et apud Gruterum leges (5), item de aliis hujusmodi, actum a me est superius ad inscr. VII· nolim autem tanti monumentum hoc fiat, ut refelli jam satis argumenta eorum clamemus, qui Philippos Augg. Christianis Imperatoribus adnumerarunt. Pontifices fortasse eam eodem in Capitolio ex responso, ut ipsi putabant, Apollinis constituendam curaverant: tum iidem, quod jam mos erat, ut omnia opera publica Principem auctorem praeferrent, Philippi Aug. nomen inscribi jusserunt: cujus deinde rei memoria ex veteri praescripto nummis etiam consignata est.

§. VI.

LIBERALITATES AVGVSTORVM

CCCCXVIII· (Vaill. t. 1. p. 35. Angelon. Hist. Aug. p. 79. n. 21.)

CONGIAR · PRIMVM · P · R · DAT ·
S · C ·

Congiarium hic memoratur, quod Titus Caesar vel suo vel patris nomine, a

(1) H. N. l. 12. c. 19. n. 42.
(2) l. 60. p. 943. E. *aeternavit, statua ejus in Augusteo collocata, et Vestalibus sacra ad eam facere jussis.*
(3) Numism. Max. Vatic. vol. 2. p. 29.
(4) t. 1. tab. 29.
(5) p. 21. n. 12.

quo tribunicia potestate auctus fuerat, populo dedit. videas in nummo Imperatorem togatum sedere in suggestu, ad latus ejus stare Deam Romam galeatam, quae sinistra manu hastae innixa, globum dextra exhibet. tum infra binos e plebe homines, alterum tunicatum tesseram acceptam ostentantem, togatum alterum sinu ad missilia excipienda laxato. nullae autem hic scalae, ut neque in eo Titi nummo, qui tertium congiarium refert (1): quae tamen in aliis ejusdem Titi (2), ac fere in ceterorum Imperatorum nummis ad liberalitates designandas expressae sunt: ut jam superius adnotavi (3). id facit, ut suspicer, ipsa etiam missilia, quae viritim plebi non dabantur, sed ex alto sparsa diripiebantur, *Congiaria* esse appellata. tesseras certe a Tito etiam veteri more sparsas, diserte Zonaras (4) Dionis prope verbis descripsit. Και αγωνας, inquit, εποιησε θαυμαστους, εν οις σφαιρια ξυλινα μικρα ανωθεν εριπτει συμβολον εχοντα το μεν εδωδιμου τινος, το δε εσθητος, αλλο χρυσου, ἱππων, ὑποζυγιων, βοσκηματων, ανδραποδων. ἁ οἱ ἁρπαζοντες, προς τους δοτηρας αυτων απαγοντες, το επιγεγραμμενον ελαμβανον. porro tesseras hasce in theatro fere amphitheatroque Augusti spargebant (5): de quibus Statius (6),

Iam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio quos agit tumultus?

nec tesseras tantum, sed ipsos interdum nummos, ut memorat Martialis (7),

Nunc veniunt subitis lasciva numismata nimbis:

quae olim et Cajus Aug. e fastigio Basilicae Iuliae per aliquot dies in plebem sparserat (8). reliqua, si aves excipias, per tesseras data videntur (9). nam de avibus Statius (10):

Inter quae subito cadunt volatu
Immensae volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer, horridusque Phasis,
Quas udo Numidae legunt sub austro:
Desunt qui rapiant, sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.

turres autem, unde missilia spargerentur, altissimas aliquando excitatas, nos docet Herodianus, Helagabali sparsiones describens (11).

Quod reliquum est, *Congiarium* a *Congio* appellatum: nam aediliciae olim largitiones hae fuerant, olei congius (12) aut vini (13). deinde quae magistratus, quae Principes plebi largirentur, Congiaria nominata: ut de Tiberio scripserit Svetonius (14), *Congiarium tricenos nummos viritim dedit:* multa vero *habuisse* congiaria dicebantur, qui multis plebem largitionibus demeruisset (15). ceterum et aliae in nummis formulae, quae rem eandem designant: hae sunt hujusmodi: LIBERALITAS · AVGVSTI, adjecto saepe numero II · III · et deinceps, ut in ipsis Congiariis: ABVNDANTIA · TEMPORVM, LARGITIO, CONGII · DATI · POPVLO. hos tamen inter titulos ne numeres, quem nummus Domitiani habet, COS · XIII · LVD · SAEC · A · POP · FRVG · AC · sic enim legendum, *Ludis Saecularibus A Populo Fruges Accepit,* non *Acceptae:* quod a Spanhemio (16) animadversum non esse miror, quum idem primitiarum, quas Pontifex Maximus Diis libaret oblatio-

(1) Bellor. in Tito n. 22.
(2) Gessn. Imp. Rom. t. 60.
(3) ad inscr. 280.
(4) Ann. l. 11. p. 579. B. ex Dion. l. 66. p. 1098. D. *et ludos fecit mirabiles, in quibus globulos e ligno parvulos superne projiciebat symbolum habentes alium esculentae mercis, alium vestis, alium auri, alium equorum, alium jumentorum jugalium aut pecudum aut mancipiorum: quos globulos qui rapuissent, ad diribitores earum rerum venientes, quod quisque inscriptum nactus esset, auferebant.*
(5) Svet. in Dom. c. 4. n. 14.
(6) lib. 1. Silv. 6. v. 65.
(7) lib. 8. ep. 78. v. 9.
(8) Svet. in Cajo c. 37. n. 2.
(9) Dio l. 61. p. 997. A.
(10) l. c. v. 75.
(11) l. 5. c. 6.
(12) Liv. l. 25. c. 2. n. 2.
(13) Plin. H. N. l. 14. c. 22. n. 28.
(14) in Tib. c. 20. n. 3.
(15) Liv. l. 37. c. 40. n. 57.
(16) Diss. 13. p. 538.

nem (1) hic significari, erudite, ut solet, ostenderit. quamquam haec fortasse sacra Augusti faciebant, non tam quia Pontifices Maximi, quam quod in Fratrum Arvalium collegium supra numerum cooptati essent: quemadmodum ex praeclaris ejus collegii actis didicimus nuper in Vaticano inventis, in quibus frugum etiam petendarum et tradendarum ritus describuntur (*a*).

CCCCXX. (Vaill. t. 1. p. 46.)

PLEBEI · VRBANAE · FRVMENTO · CONSTITVTO

S · C ·

In area nummi, qui Nervae est, modius eminet, e quo segetis exsistunt aristae. enimvero frumentum hic a Nerva plebi constitutum esse dicitur veteri more, quem lex illa indicat annonaria, quam P. Clodius tribunus pl. tulerat (2), *frumentum populo, quod antea semis aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur.* utrumque scilicet incolumi republica saepe factum, ut frumentum e publico plebs acciperet vel ex modo annonae, vel sine pretio: qua de re a Lipsio (3) accuratissime scriptum est. a Nerone autem praetorianis quoque cohortibus constitutum *frumentum menstruum gratuitum*, tradidere Svetonius (4) ac Tacitus (5).

Quaeres, plebis urbanae nomine quot hominum millia sub Nerva Aug. publice alerentur? id vero qui tradiderit, librum exstare nullum antiqui scriptoris puto: nisi quod de Iulio tamen accepimus (6), ex viginti trecentisque millibus accipientium frumentum e publico, ad centum quinquaginta retraxisse: bella enim urbem exhauserant, et octoginta ipse civium millia in transmarinas colonias distribuerat. tum de Augusto scripsit Dio (7), numerum eorum, quibus frumentum emetiretur, ad ducenta hominum millia ab eo auctum. quippe civium sub eo numerus creverat, et magna jam erat vulgi frequentia: quae deinde major, sub Claudio potissimum, fuit: lustro enim, quod is condidit, *censa*, inquit Tacitus (8), *sunt civium* LXIX· *centena et* XLIV· *millia:* in sua nempe tribu singuli, tam urbis incolae, quam municipiorum: unde tamen multos quotannis in urbem confluxisse, verisimile est. itaque falli vix credam, qui frumentum a Nerva amplius quadringentis hominum millibus constitutum existimet: praesertim quum, Severo et Antonino Augustis rempublicam administrantibus, sexcenta hominum millia frumentum annuum accepisse videantur (9): esto et praetorianos in eo numero censeas.

Atqui Nerva, frumento plebi urbanae constituto, Italiam quoque respexit, ac de pueris puellisque publice alendis plurimum laboravit. testis est nummus vultu ejus signatus, in quo Imperatorem videas sedentem, et coram eo mulierem stantem, quae ipsi dextram porrigenti puerum et puellam sistit; inscriptum autem est TVTELA · ITALIAE (10): sed nullum ejus liberalitatis testimonium afferri luculentius potest, quam Aurelii Victoris verba (11), qui haec de eodem scripsit: *Puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali jussit.* exemplum autem Augustus, quod reliqui Principes imitarentur, prodiderat, qui regiones Italiae revisens, iis e plebe,

(1) Plin. H. N. l. 18. c. 2. n. 2.
(*a*) Hujus formulae interpretationem approbare videtur Marinius Frat. Arval. p. 201., sed Eckhelius Doctr. N. V. t. 6. p. 388. infirmare non levi quidem de caussa conatus est.
(2) Ascon. ad Or. in Pis. c. 4.
(3) Admir. V. R. l. 2. c. 12. v. et Pancir. Not. Imp. Occ. c. 5.
(4) in Ner. c. 10. n. 4.
(5) Ann. l. 15. c. 72.
(6) Svet. in Iul. c. 41. n. 6.
(7) lib. 55. p. 781.
(8) Ann. l. 11. c. 25.
(9) v. inscr. 193.
(10) Spanh. diss. 13. p. 565.
(11) Epitom. de Caesar. c. 12.

qui filios sibi filiasve approbassent, singula nummorum millia pro singulis saepe diviserat (1).

CCCCXXI· (Vaill. t. 1. p. 47.)

ALIM · ITAL ·
S · P · Q · R · OPTIMO · PRINCIPI
S · C ·

Vt Nervae liberalitatem, sic Trajani non solum urbana plebs, ingensque puerorum in urbe numerus, de quo dixi ad inscr. CLXXXXIII· sed omnis etiam Italia experta est, quod nummus hic declarat a me paullo ante (2) commemoratus, item Xiphilini locus ex Dione (3) tradentis, curam bonorum a Trajano sic esse susceptam, ὡς καὶ ταις πολεσι ταις εν Ιταλιᾳ προς την των παιδων τροφην πολλα χαρισασθαι. eodem pertinet inscriptio Amerina, quae monumentum Trajano positum (4) testatur *Nomine Puerorum Puellarumque Vlpianorum*. sed nihil luculentius, quam tabula illa aenea, quae anno MDCCXXXXVII· in agro Placentino reperta est (5), omnium maxima, quae nunc exstant (6). continet autem elenchum longissimum praediorum, quae Velejates aliique fundorum domini professi fuerant, pretioque accepto obligare Trajano debebant in definitam aliquam sestertiorum summam, qua nempe singulis mensibus pueri puellaeque alerentur. initium ejus hujusmodi est:

OBLIGATIO · PRAEDIORVM · OB · H-S · DECIENS · QVADRAGINTA · QVATTVOR · MILLIA · VT · EX INDVLGENTIA · OPTIMI · MAXIMIQVE · PRINCIPIS · IMP · CAES · NERVAE · TRAIANI · AVG · GERMANICI DACICI · PVERI · PVELLAEQVE · ALIMENTA · ACCIPIANT · LEGITIMI · N · CCXLV · IN · SINGVLOS · H-S · XVI · N · F · H-S · $\overline{\text{XLVII}}$ · XL · N · LEGITIMAE · N · XXXIV · SING · H-S · XII · N · F · H-S · $\overline{\text{IV}}$ · DCCCXCVI · SPVRIVS · I · H-S · CXLIV · SPVRIA · I · H-S · CXX · SVMMA · H-S · $\overline{\text{LII}}$ · CC · QVAE · FIT VSVRA $\overset{SS}{\text{S}}$ SORTIS · SVPRA · SCRIBTAE

Iamvero usuras exigebant distribuebantque singulis mensibus, qui in antiquis inscriptionibus dicuntur *Quaestores Alimentorum* (7), *Quaestores Pecuniae Alimentariae* (8), *Procuratores Alim. Viae Flam.* (9), *Praefecti Alimentorum Per Aemiliam* (10). dari autem debebant pueris quidem singulis sestertii sedecim nummi, puellis duodecim: *qui singulis mensibus traditi*, inquit Maffejus (11), *in regione, ubi cibaria levissimis pretiis venibant, non parum adjumenti ad pueri sui nutrimentum egenti genitori conferebant*. ea alimenta per annos novem pueris puellisque data singulis, Capitolinus ostendit. nam de Pertinace, cui Commodus, viribus imperii heluatus (12), exhaustum aerarium reliquerat, haec diserte tradit (13): *Alimentaria etiam compendia, quae* Novem Annorum *ex instituto* Trajani *debebantur, obdurata verecundia sustulit*.

Tabulam porro alteram apud Velejates olim fuisse non dubito, in qua nomina incisa essent eorum, qui alimenta accipere deberent: nam et Romae Trajanus id fieri jusserat, quem adloquens Plinius (14), *omnes*, inquit, *antequam te viderent adirentque*,

(1) Svet. in Aug. c. 46. n. 2.
(2) ad inscr. 420.
(3) l. 68. p. 1122. C. *ut multa Italiae urbibus ad puerorum alimenta largitus sit*.
(4) Grut. p. 1084. n. 7.
(5) Maff. M. V. p. 381.
(6) alt. ped. quinque et dimid. lat. ped. decem et dimid. v. Brotier ad Tac. iter. edit. t. 5. p. 453.
(7) Maff. M. V. p. 230.
(8) Grut. p. 386. n. 4.
(9) idem p. 485. n. 6.
(10) idem p. 1097. n. 7.
(11) M. V. p. 401. col. 2.
(12) Lampr. in Comm. c. 5.
(13) in Pertin. c. 9.
(14) in Paneg. c. 26.

recipi, Ineidi *jussisti*. quin et in aliis Italiae oppidis multas hujusmodi latere tabulas credibile est, quas forsitan aetas proferet saeculo alteri profuturas.

CCCCXXII. (Vaill. t. 2. p. 168.)

PVELLAE · FAVSTINIANAE

Popularem Trajani liberalitatem non unus e Romanis Principibus est aemulatus. ac primus Hadrianus teste Spartiano (1) *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*. hunc consequutus est Antoninus Pius, de quo Capitolinus (2), *Puellas*, inquit, *alimentarias in honorem Faustinae Faustinianas constituit*. hae sunt, quas nummus hic exhibet una cum matribus ad suggestum Imperatoris accedentes, aut earum manibus ante Imperatorem elatas. post Antoninum M. Aurelius et L. Verus, quum hic filiam ejus Lucillam uxorem duxisset, ambo, ut idem Capitolinus (3) testatur, *Ob hanc conjunctionem pueros et puellas novorum hominum frumentariae perceptionis adscribi praeceperunt*. iterumque M. Aurelius solus (4) *Novas puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae*, quam *Faustinam juniorem* appellamus. atque hunc demum et patrem ejus imitatus est Severus Alexander, de quo illa sunt apud Lampridium (5): *Puellas et pueros, quemadmodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mamaeanas et Mamaeanos instituit*.

CCCCXXIII. (Spanh. diss. 13. p. 549.)

QVADRAGENSVMA · REMISSA

Galbae haec habet nummus elegans, in quo fornix cernitur sive Ianus, ut vocabant, cui statuae equestres duae impositae, infra vero captivi seorsum quatuor expressi revinctis post tergum manibus. inscriptum hic *Quadragensuma* ἀρχαϊκῶς, ut *Quadragiens* et *Decuma* vulgo legitur: in aliis vero nummis sic, XXXX· REMISSA vel R· XL·

Quadragesimam summae, de qua litigaretur, Cajus Aug. pro litibus atque judiciis ubicumque conceptis imposuerat (6). hanc ne Galba remiserit, an tributum aliud, incertum est. Gallias tributi levamento Galbae obligatas, scripsit Tacitus (7), remissamque his quartam tributorum partem. sed Gallos Quadragesimam post Galbam etiam solvisse constat (8): nec vero, si eam Galba his remisisset, aeum ille et equestrem in urbe statuam, spoliata vectigalibus republica, meruisse videbatur. Spanhemius (9) portorium id esse putabat, quod in urbe Italiaque publicanis pendebatur: lapsumque memoria Tacitum, ubi auctorem ejus remissionis Neronem fecit (10). ceterum quum ille accurate retulisset, quae olim Nero edixerat, nec jam manebant: diserte addidit: *Manet tamen abolitio Quadragesimae Quinquagesimaeque et quae aliis exactionibus illicitis nomina publicani invenerant:* quibus in verbis errare Tacitum quis credat de his scribentem, quae ipse viderat noveratque? qui etiam ex codice accepti et expensi discere poterat, quid ea sibi edicta profuissent. accedit etiam, si Galba princi-

(1) in Hadr. c. 7.
(2) in Anton. Pio c. 8.
(3) in M. Aurel. c. 7. *Novorum Nominum* legit Salmasius.
(4) idem ib. c. 26.
(5) in Alex. c. 57.
(6) Svet. in Cajo c. 40. n. 4.
(7) Hist. l. 1. c. 8. et 51.
(8) Symmach. l. 5. epist. 62. Spon. Misc. sect. 6. p. 217.
(9) Diss. 13. p. 550.
(10) Ann. l. 13. c. 51.

patum adepto utraque Quadragesima etiamtum pendebatur, portorium nempe et vectigal a Cajo impositum, altera demum remissa, minime illa nummi inscriptione declaratum esse, quaenam e duabus remissa esset. itaque id Neroni relinquentes, ut semel de urbe et Italia bene meruerit, Caii Quadragesimam, ob Claudii Neronisque sumptus intactam, a Galba demum civitatis demerendae caussa remissam, si libet, statuamus: qua de re populus Romanus jure laetari, et Galbae honorem habere poterat.

Statuam alteram equestrem, quae in area prima est, ad Galbae filium referto, quem ille, infantem licet, cunctis fortunae Principalis insignibus cinxerat (1). figura certe exilior est, et quae puerum referre videatur. quid vero sibi velint Captivi illi quatuor, qui prope fornicem stant, plane nescio: nisi forte vincti Delatores significantur, qui antea nomina eorum deferebant, qui ne Quadragesimam Fisco solverent, de lite clam transegissent: poenam siquidem Cajus adjecerat, *si quis composuisse vel donasse negotium convinceretur* (2).

Sed tamen Cajus idem, qui, immensis demum opibus absumptis, nova atque inaudita vectigalia non modo per publicanos, sed etiam per tribunos ac centuriones praetorianos exercuisse dicitur (3), Ducentesimam auctionum Italiae antea remiserat, de qua in ejus nummo leges (4), COS · TERT · PON · M · TR · P · III · P · P · R · CC · (5) Centesimam nempe ab Augusto institutam (6) Tiberius Ducentesimam in posterum statuerat (7).

CCCCXXIIII· (Vaill. t. 1. p. 46.)

VEHICVLATIONE · ITALIAE · REMISSA

S · C ·

Titulum hunc in Nervae nummo legere licet, qui et mulas pascentes exhibet duas; quasi veredi jam omnes per Italiam Nervae beneficio otiarentur. multa porro ad hujus nummi explanationem eruditissime a Spanhemio prolata sunt (8), e quibus a me nisi pauca decerpi, instituti mei ratio non patitur.

Vehicularium munus sive Cursum publicum dicebant veteres jumenta atque vehicula in publicos maxime usus, quae per Italiam provinciasque certis locis stationibusque propter militares vias disposita essent. *Vehiculatio* autem hic appellatur municipiorum per Italiam onus jumenta illa et vehicula praebendi iis, qui publica potissimum caussa, vel Augusti diplomate adjuti (9) iter haberent: quo demum onere civitates Italicas Nerva liberasse dicitur, sumptibus nempe ad cursum publicum e fisco in posterum suppeditatis. sic deinde Antoninus provincias aliquot levasse videtur (10), Severus omnes (11). enimvero Augustus vehicularium tabellariorum cursum per Italiam provinciasque primus ordinaverat: at non idem et invenisse primus dicendus est, vel onus provincialibus imposuisse praebendi vehicula iis, qui legatione publica iter facerent. quippe jam bello Punico secundo ex Bruttiis maxime publici cursores et tabellarii constituti fuerant (12): legati vero antiquitus, ut ait Livius (13), qui repente aliquo mitterentur, singula jumenta per oppida, iter qua faciendum erat, imperabant. deinde L. Postumii consulis exemplo, qui Praenestinis infensus litteras ad eos miserat, ut sibi in Campa-

(1) Tacit. Hist. l. 2. c. 59.
(2) Svet. in Cajo c. 40. n. 4.
(3) id. ibid. n. 1.
(4) Spanh. diss. 13. p. 546.
(5) *Remissa Ducentesima*.
(6) Tacit. Ann. l. 1. c. 78.
(7) idem ibid. l. 2. c. 42.
(8) Diss. 13. p. 562.
(9) Plin. l. 10. epist. 14.
(10) Capitol. in Anton. c. 12.
(11) Spart. in Sever. c. 14.
(12) Strab. l. 5. p. 251.
(13) lib. 42. c. 2. n. 1.

niam eunti magistratus obviam exiret, locum publice pararet quo diverteretur, *jumentaque, quum exiret inde, praesto essent*, jus quodammodo factum fuerat magistratibus graviorum in dies talis generis imperiorum. atque ex his nihil mutasse Augustus videtur: quo tamen celerius, ut ait Svetonius (1), ac sub manum adnunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes ille primo modicis intervallis, deinde vehicula disposuerat, ut qui litteras ferendas acceperat, idem ad eum perferret, et interrogari quoque, si quid res exigerent, posset.

CCCCXXV. (Vaill. t. 1. p. 113.)

INDVLGENTIA · AVGG · IN · CARTH ·

S · C ·

Severi Aug. nummus est, in quo Dea turrita cernitur, quae equo vecta, sceptrum dextra gerit, sinistra tympanum. Cybelen appellat Vaillantius: Buonarroto (2) Dea est *Caelestis Salinensis Carthaginis*, cui a Severo concessum putat, ut in Deorum, qui haeredes institui poterant, numero haberetur: quod ad templi ejus cultum atque ad opinionem divinitatis augendam prodesse plurimum poterat. ab Vlpiano certe ipsa etiam *Dea Caelestis* cum Iove Tarpejo ceterisque Diis, qui haereditatem adire alicubi poterant, adnumeratur (3). id autem a Severo in Africanorum suorum gratiam concessum esse dicendum est, ac tum concessum, quum jam Antoninum filium appellasset Augustum: inscriptum enim est AVGG· atque id ipsum Antonini quoque nummus declarat cum titulo eodem, qui Deam tamen leoni insidentem refert, et ramum dextra pro sceptro gestantem (4). hujus simulacrum a Didone dedicatum ferebatur, Carthaginis nascentis socium et aequale: Deamque ipsam Africani, ut ait Herodianus (5), Vraniam vocabant, Phoenices Astroarchen, et Lunam esse contendebant: *Salinensis* eadem dicta a templi, ut reor, loco prope Carthaginem, quem Procopius (6) Πεδιον αλων appellat.

Ceterum quale quantumve Carthaginiensibus beneficium Augusti contulerint, ea formula non declarat: ut etiam de data monetae cudendae potestate haud absurde accipi possit, quemadmodum in Aroës Patrensis numismate (7) apertius significatum invenies: INDVLGENTIAE · AVG · MONETA · IMPETRATA. ut enim colonia haec numisma se dicasse testatur Indulgentiae Augusti ob monetam impetratam; sic Carthaginienses dixeris ex Indulgentia Augustorum officinam monetalem in urbe sua constitutam habere, nummosque tutelaris Deae Caelestis imagine signatos cudere instituisse (*a*).

CCCCXXVI. (Spanh. diss. 13. p. 552.)

RELIQVA · VETERA · HS · NOVIES · MILL · ABOLITA

S · C ·

Ecce tibi monumentum singularis liberalitatis, qua olim Hadrianus Aug. in pro-

(1) in Aug. c. 49. n. 7.
(2) Medagl. p. 21.
(3) v. inscr. 273.
(4) Vaill. t. 1. p. 122.
(5) lib. 5. c. 6.
(6) Vandal. l. 1. c. 18.
(7) Vaill. t. 3. p. 103.
(*a*) In diversa abiit Eckhelius, qui Doctr. N. V. t. 7. p. 183. non Cybelem, sed Iunonem in numme agnoscit, nec officinam monetalem, sed aquae beneficium Carthagini concessum putat.

vincias populi Romani usus est. *Reliqua* dicebant veteres partem reliquam debiti aut crediti: itaque Cicero de aere alieno, quo premebatur, scripsit ad Atticum (1), *Quum tanta* Reliqua *sint, ne Terentiae quidem adhuc, quod solvam, expeditum est.* jamvero quum ex sedecim annorum vectigalibus sive tributis *Reliqua HS. Novies Millies* provinciae qua Fisco qua Aerario deberent, benigne Hadrianus τα ὀφειλομενα ἑκκαιδεκα, ut Dio vocat (2), remisit, et *quo magis*, ut Spartianus ait, *securitas omnibus roboraretur*, debitorum syngraphas in foro Trajani cremavit (3): Augusti scilicet exemplo, qui post Actiacam victoriam, reipublicae ordinandae cura suscepta, τα παλαια συμβολαια, ut ait Dio (4), των τῳ κοινῳ τι ὀφειλοντων ἐκαυσε. remisit autem Hadrianus pecuniam haud minorem, quam scutatorum nummorum ducenties vicies quinquies centena millia (5).

Videas in nummo Imperatorem stantem, porrectaque dextra jubentem incendi a lictore syngraphas: pone ipsum senatores duos clarum illud factum admirari. porro hae sunt syngraphae, quas Martorellius (6), hunc ipsum memorans nummum, *Codices* appellavit, et appellandas contendit. quippe hoc sibi persuaserat, *Codices* olim dictos, non libros, ut nunc quoque utimur, quadratos, consutisque chartis compactiles, sed breves illos e papyro aut Pergamena membrana fasciculos, qui edicta constitutionesque Principum, vel stipulationes, testamenta, ac forenses hujusmodi res continerent: quum idem tamen diserte, qui a Codicibus *Codicilli* vocantur, eos libellos quadratos fuisse, et in pugillarium numero habendos scripsisset (7).

De hac autem Hadriani liberalitate mentionem fieri invenies apud Gruterum (8), in Romana inscriptione, quam Salmasius etiam *sincere scriptam et emendatam* se vulgare putavit (9), at Maffejus *interpolatam depravatamque* jure censet, atque a lepida rerum disjunctissimarum conjunctione omnino rejiciendam decernit (10). Hadrianum porro M. Aurelius non solum aemulatus est, sed etiam superavit: qui provincialibus non sedecim, sed sex et quadraginta annorum Reliqua, quae fisco et aerario debebantur, condonavit (11).

CCCCXXVII. (Vaill. t. 1. p. 5.)

FISCI · IVDAICI · CALVMNIA · SVBLATA

S · C ·

Titulum hunc in praeclaro Nervae nummo legere licet, in quo, Iudaicae gentis specimen, palma expressa est, caryotidas, id est palmulas ferens nucales. ipse autem titulus quid designet, multi exponere conati sunt, sed nemo ex his aequavit Spanhemium (12): idcirco ex hujus fere penu depromam, quae huc apprime facere visa fuerint.

Quum Iudaei, captis a Pompejo Hierosolymis, tributa Romanis penderent, haud tamen vetiti, ubicumque degerent, διδραχμον ex veteri more Hierosolyma ad templum mittere. aurum quidem exportari non oportere, senatus subinde Tullio consule judicarat: ac L. Flaccus Asiae proconsul (13) edicto vetuerat, ne aurum Iudaeorum nomine ex Asia exportari liceret. verum non multo post Iulii Caesaris dictatoris edicto conces-

(1) lib. 16. epist. 15.
(2) lib. 69. p. 1156. et l. 71. p. 1196.
(3) in Hadr. c. 7.
(4) l. 53. p. 697. B. *tabulas veterum aerarii debitorum exussit.*
(5) id est 22,500,000. v. l. 3. part. 1. c. 10. §. 1.
(6) Thec. Cal. t. 1. p. 261.
(7) ibid. p. 101.
(8) p. 10. n. 6.
(9) ad Spart. Hadr. c. 7.
(10) Art. Cr. L. l. 3. c. 4. p. 272.
(11) Dio l. 71. p. 1196.
(12) Diss. 13. p. 571.
(13) Cic. pro Flacc. c. 28. n. 67.

sum est iterum Iudaeis, ut δίδραχμον Hierosolyma mitterent (1). at urbe tandem temploque eorum deletis, quum per imperii Romani provincias dispersi diffusique essent, id a Tito Aug. inductum est, ut qui patrios ritus servare vellent, eamque in rem se Iudaeos essent professi, ii omnes δίδραχμον in posterum, quod antea Hierosolyma ad templum mittebant, quotannis Iovi Capitolino penderent (2). atque id est tributum illud, qui *Fiscus Iudaicus* est appellatus: quod scilicet ad Caesares pertineret. jam vero quaenam hujus *Calumnia* fuerit, e Svetonii verbis de Domitiani rapacitate, facile intelliges: *Praeter ceteros,* inquit (3), *Iudaicus Fiscus acerbissime actus est: ad quem deferebantur, qui vel improfessi Iudaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulata origine imposita genti tributa non pependissent. interfuisse me adolescentulum memini, quum a procuratore frequentissimoque consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset.* hanc igitur acerbitatem, quam fortasse Christiani quoque, ambiguo tum apud Romanos Iudaeorum nomine, perferre coacti erant, Nerva demum, mitissimus ille Princeps in decessore Domitiano detestatus. pro aequitate sua adversus delatores constituit, *Fiscales Calumniae* ne essent, neve jam quisquam nomina eorum deferre auderet, qui Iudaicam sectam professi non essent, quamvis vel Iudaei origine essent, vel cum Iudaeis habitarent: quod Titus nempe tributum iis tantum imposuisset, qui patrios ritus colere voluissent, nomenque suum apud rectores provinciarum professi essent. id vero quia Nervae aequitatem clementiamque ostendebat, placuit senatui, ut ejus facti memoria posteris proderetur.

CCCCXXVIII. (Vaill. t. 1. p. 10.)

CIVITATIBVS · ASIAE · RESTITVTIS

E nummis hic est, quos Titus Aug. restituit, Tiberiique statuam colosseam refert sedentis habitu, hastatam, dextraque pateram Deorum ritu tenentem. hanc scilicet Asiae Civitates Tiberio posuerant Romae in foro ad Veneris (4), quod eas impensa sua restituisset. corruerant enim terrae motu illo, qui mortalium memoria maximus a Plinio dicitur (5), urbes in Asia duodecim, nocte una omnes (6): tum aliae deinceps duae, ut Eusebii locus indicare videtur (7), qui tamen a multis mendosus habitus est: at quatuordecim certe numerantur in marmore Puteolis reperto, quod praeter Bulifonium longo commentario illustravit Laurentius Gronovius (8): hae sunt Sardeis, Magnesia, Philadelphea, Tmolus, Cyme, Temnos, Cibyra, Myrina, Ephesos, Apollonidea, Hyrcania, Mostene, Aegae, Hierocaesarea: quarum etiam imagines in marmore effictae sunt. ipsum autem monumentum Puteolani Augustales Tiberio posuisse dicuntur: quod ejus instar fuisse crediderim, quod restitutae illae Civitates Romae, ut dixi, dedicaverant: quippe nec ingratum Tiberio esse poterat, liberalitatis suae monumenta alibi geminari; nec indecorum municipio, habere domi exempla eorum, quae in urbe maxime probarentur.

(1) Ioseph. Antiq. l. 14. c. 17.
(2) Xiphil. l. 66. p. 1082. C.
(3) in Dom. c. 12. n. 5.
(4) Phleg. de mirab. c. 13.
(5) H. N. l. 2. c. 84. n. 86.
(6) Tac. Ann. l. 2. c. 47.
(7) in Chron. ad ann. 1990.
(8) Gron. Ant. Graec. t. 7. p. 433.

CCCCXXVIIII· (Vaill. t. 1. p. 63.)

ANN · D · CCC · LXXIIII · NAT · VRBIS · P · CIRC · CON ·

S · C ·

Titulum hunc Hadriani nummus exhibet, in quo mulier quoque, sive Dea expressa humi jacens cum rota, ac pone ipsam obelisci tres: ut Circensium nempe quadrigarum missus indicarentur: legito autem, *Anno octingentesimo septuagesimo quarto Natali Vrbis Populo Circenses Constituit*. sic et Svetonius de Augusto loquutus (1): *Vrbem Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales Constituit*. Bimardius tamen (2) legendum putat *Primum Circenses Constituti:* at quid opus est *Primum?* nam qui constituisse dicitur, eum sane primum constituisse intelligimus. *Populus* autem potius, quam *Primum* littera P. significari solet: et *Constituit* rectius hic legas, quam *Constituti,* ut Hadrianus constituisse ludos videatur. sic in Domitiani nummo occurret (3), COS · XIIII · LVD · SAEC · FEC ·

Iam vero Natali Vrbis, qui dies erat XI· Kal. Majas, et *Parilia* olim, ut Athenaeus scribit, deinde *Romana* appellatus fuerat (4), postquam templum Hadrianus Genio Vrbis aedificarat, Natali, inquam, urbis die, qui et Pali sacer erat, sacra quidem sollemnia fiebant et pastorales lusus, quos describit Ovidius (5): sed nulli ante Hadrianum stati in circo ludi dabantur. nam quos Dio Parilibus aliquando celebratos tradit (6), eos annuos non fuisse, ostendit Bimardius, editosque constat ob nuncios ex Hispania allatos de victoria, quam Iulius Caesar adversus Pompeii, liberos adeptus fuerat. igitur Hadrianus, templo, de quo superius actum est (7), excitato, vel certe jam destinato, Circenses constituit, celebravitque impensa sua; et ut quotannis celebrarentur, pecuniam ex fisco adtribuendam curavit. constituti autem videntur M. Acilio Aviola, C. Cornelio Pansa Cos. Imperii Hadriani anno sexto, siquidem annum, qui nummo inscriptus est, ad fastos Capitolinos referre velis. porro eosdem a successoribus quotannis editos esse, verisimile est, praesertim vero ab Antonino Pio, qui et *Circenses Natali suo dicatos non respuit,* ut a Capitolino traditum est (8). at sub Philippis ludos natali Vrbis celebratos esse magnificentissimos, plane constat: quum scilicet *Agon,* ut ait Cassiodorius (9), *mille annorum actus:* quo die in circo praeter venationes *quadraginta missus concurrerunt:* ludique praeterea in campo dati theatrales, *tribus diebus ac noctibus populo pervigilante*. atque haec sunt quae in Philipporum nummis tituli illi designant, SAECVLARES · AVG ., MILLIARIVM · SAECVLVM, SAECVLVM · NOVVM.

Ceterum ludi, quos Imperatores impensa sua dabant, vel sine inscriptione indicantur, amphitheatri aut Circi aut belluae alicujus forma in nummis signata (10). singularis est in Severi nummo titulus LAETITIA · TEMPORVM (11), quo exhilaratos a Severo Quirites ludorum magnificentia significatur: expressa enim in nummo cernitur navis illa ferarum plena, quam Dio in amphitheatro aedificatam tradidit (12), ac repente dissolutam reddidisse ursos, leaenas, pantheras, leones, struthiones, onagros, bisontes. iidem ludi alio in nummo SAECVLARIA · SACRA appellantur: nam et ludos sacros habebant, nec sine sacrificio inchoabant.

(1) in Aug. c. 18. n. 3.
(2) Scient. Med. t. 2. p. 529. ed. Ven.
(3) Vaill. t. 1. p. 40.
(4) Dipnosoph. l. 8. c. 16.
(5) Fast. l. 4. v. 721.
(6) l. 43. p. 369. B.
(7) ad inscr. 416.
(8) in Anton. c. 5.
(9) in Chron. ad Cos. Aemil. et Aquil.
(10) v. inscr. 404.
(11) Vaill. t. 2. p. 220.
(12) Xiphil. l. 76. p. 1273.

§. VII.

RES AB IMPERATORIBVS GESTAE

CCCCXXX. (Vaill. t. 1. p. 47.)

ARMENIA · ET · MESOPOTAMIA · IN · POTESTATEM · P · R · REDACTAE

S · C ·

Haec tibi in Trajani nummo occurrent, in quo etiam Imperatorem stantem intuebere, medium inter duos fluvios jacentes, Euphratem nempe ac Tigrim, quibus provinciae ab eo subactae (1) adluuntur. enimvero ad provincias, quas Augusti imperio adjecissent, designandas non una adhibita est formula: nam hae omnes, e Vaillantii nummis descriptae, idem fere significant: ARABIA · ADQVISITA, IVDAEA · DEVICTA, IVDEA · CAPTA, ARMENIA · RECEPTA, GERMANIA · SVBACTA, DACIA · AVG · PROV ·

CCCCXXXI. (Vaill. t. 2. p. 29.)

CIVIBVS · ET · SIGN · MILIT · A · PARTHIS · RESTITVT ·

Sic in Augusti nummo inscriptum, qui arcum exhibet quadriga et statua insignem: monumentum scilicet felicitatis Augusti. de qua ille plurimum laetatus esse dicitur, λεγων, ut ait Dio (2), ὁτι τα πρωτερον ποτε εν ταις μαχαις απωλομενα, ακονιτι εκεκομιστο. de his Vellejus (3), *Dum pacatur,* inquit, *occidens, ab oriente ac rege Parthorum signa Romana, quae Crasso oppresso Orodes, quae Antonio pulso filius ejus Phraates ceperant, Augusto remissa sunt:* cumque illis captivos quoque remissos, scripsit Iustinus (4), quos ex Crassiano et Antonii exercitu collectos dicit. hi sunt, quos Horatius (5) turpes maritos appellans, sub rege Medo in hostium socerorum arvis consenuisse canit: qui tamen senes postliminio in patriam rediere: nisi si quis transfuga fuerat, cui nullum postliminium erat (6).. signa a Phraate in Armeniam ad Tiberium missa, tradit Svetonius (7): quae superbis Parthorum postibus derepta, Romano tandem Iovi restituta dixit Horatius (8); quod nondum forsitan exaedificatum in Capitolio tum esset Martis Vltoris templum, quo ea signa ab Augusto illata esse, superius admonui (9). sic et signa, quae olim Dalmatae Gabinio ademerant, bello Dalmatico recepta, quum templo eidem deberentur, in porticu Octavia suspenderat (10).

Signorum hujusmodi, quod ea de re Augustus maxime gloriaretur, saepe in nummis facta mentio est titulis formulisque hujusmodi. SIGNIS · RECEPTIS, RECEPTIS · SIGNIS PARTHICIS, SIGNIS · PARTHORVM · RECEPTIS, CIVIBVS · ET · SIGNIS · MILITARIBVS · A · PARTHIS RECVPERATIS: item de iis, quae clade Variana amissa fuerant, SIGNIS · RECEPTIS · DEVICTIS GERMANIS, ut in Germanici nummo leges: ac denium in Domitiani nummo occurret titulus haud absimilis SIGNIS · A · SARMATIS · RECEPTIS. reliqui autem nummi, qui struem ar-

(1) Dio l. 68. p. 781. A.
(2) l. 54. p. 526. A.
(3) l. 2. c. 91.
(4) l. 42. c. 5.
(5) l. 3. od. 5. v. 5.
(6) L. 19. D. de Capt. et Postlim.
(7) in Tib. c. 9. n. 2.
(8) l. 4. od. 15. v. 6.
(9) ad inscr. 378.
(10) Appian. Illyr. p. 766.

morum exhibent eum inscriptione DE · GERMANIS, DE · IVDAEIS, DE · SARMATIS, non signa aut arma recepta, sed exuvias et spolia hostium referunt.

CCCCXXXII· (Spanh. diss. 13. p. 627.)

EXPEDITIO · AVG · PARTH ·

Nummus hic Trajani expeditionem in Parthos indicat, de qua aliquid dictum est ad inscr. LXXVIII· ut nummus alter expeditionem in Germanos, cujus hic est titulus, EXPEDITIO · GER · suscepta item bella ostendunt ejusdem et aliorum Augustorum nummi cum inscriptione PROFECTIO · AVG · aut PROFECT · AVG · FEL · bella autem aut proelia Adlocutiones illae militares, elegantiori fere opere in nummis expressae, quorum tituli sunt hujusmodi: ADLOCVTIO, ADLOCVTIO · AVGVSTI, ADLOCVTIO · AVGVSTORVM, ADLOCVTIO · MILITVM, ADLOCVTIO · COH · PRAETOR · denique felices bellorum exitus hisce titulis significati: VICTORIA AEGYPTI, VICTORIA · IMP · ANTONINI · AVG ·, VICTORIA · GERMANICA, VICTORIA · PARTHICA · MAXIMA, INVICTO · IMP · TROPAEA, ROMA · VICTRIX, et qui sunt hujusmodi.

CCCCXXXIII· (Vaill. t. 1. p. 22.)

PACE · P · R · TERRA · MARIQVE · PARTA · IANVM · CLVSIT

S · C ·

Romam Deam in hoc Neronis nummo videas hostium spoliis insidentem, et coronam dextra ostentantem: in aliis vero Iani templum foribus clausis, inscriptione interdum breviore, PACE · P · R · VBIQVE · PARTA · IANVM · CLVSIT · veterum nempe Romanorum mos fuisse ferebatur, quem Virgilius urbe ipsa in Italia antiquiorem facit (1), ut Iani templum indicto bello reserarent, idemque clauderent parta pace. quamquam bellicosi Quirites post quietum illud Numae regnum usque ad Augusti tempora vix unquam vacuum duellis esse passi erant, constabatque semel tantum clausum fuisse, T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo iterum Cos. (2) Augustus demum in multo breviore temporis spatio, terra marique pace parta, ter ipse clauserat, ut a Svetonio diserte traditum (3), multisque Norisii argumentis ostensum est (4).

Iam vero, quum apertum iterum esset (5) ob bella, quae consequuta erant; deinde a Nerone clausum fuisse, et ejus nummi declarant, et aperte in primis idem, quem modo commemoravi, Svetonius testatur: ubi scilicet Tiridatis Armeniae regis introitum in urbem describens (6), diadema ei ad genua admisso impositum a Nerone, regnumque Armeniae adsignatum enarrat: *Ob quae*, inquit, *Imperator consalutatus, laurea in Capitolium lata, Ianum geminum clausit, tam nullo quam residuo bello*, id est, ut Lipsius censet (7), *Tamquam nullo residuo bello*. bellum, opinor, restabat Parthicum, quod a Corbulone gerebatur, de quo Tacitus (8) ipsum Corbulonem cum Tiridatis Vologesisque legatis loquentem facit: *Contra Imperatori suo immotam ubique pacem, et unum id bellum esse;* atque id fortasse a Vologese, quum Tiridates frater ejus Romae Armeniam reciperet, etiamtum in Parthia trahebatur: sed Nero, ut Ianum

(1) Aen. l. 7. v. 601.
(2) Plutarch. in Num. p. 75. B. Ann. Varr. 519.
(3) in Aug. c. 22. n. 1.
(4) Cen. Pis. diss. 2. c. 10.
(5) Oros. l. 7. c. 3.
(6) in Ner. c. 13. n. 2.
(7) Ant. Lect. l. 2. c. 8.
(8) Ann. l. 15. c. 27.

a se quoque clausum gloriari posset, compositum jam confectumque esse statuit. Templi autem Iani, quod praetermittendum non puto, quamdam veluti historiam a Philippo Venuto (1) pertextam habemus, dignam, quam tute legas: scita enim opella est.

CCCCXXXIIII. (Vaill. t. 2. p. 314.)

PAX · FVNDATA · CVM · PERSIS

Nummus hic ad Philippum seniorem pertinet, exhibetque stantem Deam stolatam, quae dextra ramum, sinistra hastam tenet. enimvero quo tempore Parthis devictis, Persae iterum in Oriente regnare coeperint, atque, Artabano Arsacidarum postremo et regno et vita spoliato, Artaxerxes Persa rerum potitus sit, ex Herodiani historia petendum est: qui bellum etiam a Severo Alexandro Aug. adversus Persas ipsumque Artaxerxem susceptum fusius describit (2). id primum eorum bellorum fuit, quae deinde tot populi Romani Imperatores cum Persis vario Marte gessere. pax certe a Philippo fundata, quae alio in nummo PAX · AETERNA dicitur, minime diuturna fuit, quamquam magno ab eodem redempta pretio fuerat, Mesopotamia nempe atque Armenia Sapori regi condonatis (3).

CCCCXXXV. (Vaill. t. 1. p. 49.)

REGNA · ADSIGNATA

S · C ·

Videas hoc in nummo Trajanum paludatum in suggestu sedentem, qui, adstantibus ad latera praefectis praetorio, qui bini tum erant (4), regna regibus tribus de plano petentibus adsignat. hi qui fuerint, minus liquet. Parthamaspatem Ctesiphonte in ipsa regia a Trajano Parthis impositum scripsit Dio (5), idque in Trajani nummo expressum est addita inscriptione REX · PARTHIS · DATVS: at tres hic reges numeres, nec *Regna Adsignata* de uno tantum rege accipi possunt. itaque ii fortasse designantur, quos Eutropius (6) a Trajano partim datos, partim in fidem acceptos tradit: *Albanis,* inquit, *regem dedit, Iberorum regem et Sauromatarum et Bosphororum et Arabum et Osdroenorum et Colchorum in fidem accepit.* nimirum assentatorie inscriptum *Regna Adsignata,* quum Trajanus plerisque fidem tantum supplicibus dedisset. ceterum Parthi ipsi jampridem ab Augusto regem acceperant, de quibus Svetonius (7): *Pluribus quondam de regno concertantibus, nonnisi ab ipso electum comprobaverunt:* Phraatem scilicet, de quo Horatius quoque mentionem fecit (8). Armeniis item ab ipso Augusto rex datus Tigranes, deinde Artavasdes, tum Ariobarzanes (9). rursum Parthi a Tiberio Vononem acceperant (10): et Comagenen Antiocho Cajus restituerat (11) Armeniamque Nero Tiridati (12): alii item aliis: ac nummi etiam post Trajanum occurrunt cum titulis REX · QVADIS · DATVS, REX · ARMENIIS · DATVS.

(1) Accad. Cort. t. 4. p. 93.
(2) lib. 6. c. 2.
(3) Zonar. Ann. l. 12. c. 19.
(4) Trajan. Plinio l. 10. ep. 65. Dio l. 55. p. 781.
(5) lib. 68. p. 1144.
(6) lib. 8. c. 3.
(7) in Aug. c. 21. n. 8.
(8) lib. 1. epist. 12. v. 27.
(9) Tacit. Ann. l. 2. c. 3.
(10) idem ibid. c. 1.
(11) Svet. in Cajo c. 16. n. 10.
(12) v. inscr. 433.

CCCCXXXVI· (Tristan. t. 1. p. 360.)

EXVLES
ROM · RED ·
S · P · Q · R ·

Nervae nummus est (*a*), in quo titulum civica cingit corona: quam illi senatus populusque obtulisse videtur, ut jam de aliis superius (1) admonui. hic nempe honos clementiae maxime habebatur. Plinius de glandiferi generis arboribus scribens (2), *Hinc civicae*, inquit, *coronae, militum virtutis insigne clarissimum: jampridem vero et Clementiae Imperatorum, postquam civilium bellorum profano meritum coepit videri civem non occidere*. sed Nervae tamen corona illa prope debita, cujus beneficio, qui a Domitiano in exilium acti fuerant (3), patriae statim redditi, ac *Romae Reduces* visi sunt. quos inter Christianos etiam numeres, ut Xiphilini verba satis indicant (4): Και ὁ Νερουας τους τε κρινομενους επ' ασεβεια, αφηκε, και τους φευγοντας κατηγαγε.

Vt autem Nerva post Domitianum, sic post Commodum Pertinax damna, quae respublica fecerat, resarcire aggressus est: cujus in nummo praeclara illa inscriptio legitur, LIBERATIS · CIVIBVS (5).

§· VIII·

HONORES AVGVSTIS HABITI

CCCCXXXVII· (Spanh. diss. 10. p. 216.)

S · P · Q · R · PARENT ·
CONS · SVO

In adversa nummi hujus fronte quadriga eminet, e cujus curru altera minor altiorem viam carpere videtur: inscriptumque est CAESARI · AVGVSTO: in aversa vero triumphalia insignia videas terna, scipionem eburneum cum aquila, *sceptro quae surgit eburno* (6), togam pictam, sive θριαμβικην εσθητα aut επινικιον στολην, ut Graeci vocant; coronam lauream lemniscatam: quibus Livius (7), ubi dona Massanissae regi ab Africano majore data enumerat, *palmatam tunicam* et *pateram auream* et *sellam curulem* et *scipionem eburneum* addit, coronamque *auream* facit: tum haec Scipionem praefatum esse ait, *Neque magnificentius quicquam triumpho apud Romanos, neque triumphantibus ampliorem eo ornatu esse, quo unum omnium externorum dignum Massanissam populus Romanus ducat*. in urbe autem sub Augustis statua etiam triumphalis decerni solebat: quam sane Vestricio Spurinnae, Trajano auctore, decretam, scripsit Plinius (8), postquam ille Bructerûm regem vi et armis induxisset in regnum,

(*a*) Inter omnes rei nummariae peritos constat, hunc nummum esse fictum recentemque, quippe quem nemo praeter Tristanum in principum cimeliis viderit, et ipsa inscriptionis ratio jam spurium demonstret.
(1) v. inscr. 384. et 385.
(2) H. N. l. 16. c. 4. n. 3.
(3) Tacit. Agric. c. 2.
(4) lib. 68. p. 1118. A. *At Nerva cos, qui judicium impietatis subierant, liberavit, et qui in exilium acti fuerant, restituit.*
(5) Vaill. t. 2. p. 195.
(6) Iuven. Sat. 10. v. 43.
(7) l. 30. c. 11. n. 15.
(8) lib. 2. ep. 7.

ostentatoque bello, ferocissimam gentem, quod est pulcherrimum victoriae genus, terrore perdomuisset.

Vix autem crediderim, insignibus illis triumphalia potius ornamenta, ut Spanhemius putat, Augusto decreta significari, quam justum triumphum ac verum: praesertim quum in altera nummi parte triumphales quadrigae effictae sint: satisque constet, triumpho ab Agrippa, quem ei senatus decreverat, recusato, jamtum institutum (1) esse, ut triumphus solis deinceps Augustis decerneretur, aut a solis certe ageretur: legati vero, qui bella auspiciis Augustorum feliciter confecissent, triumphalibus ornamentis contenti essent. quid, quod Augustum hoc in nummo senatus ac populus *Parentem* et *Conservatorem suum* appellant? nonne id ipsum maximos ei honores simul delatos esse declarat? neque tamen nummum hunc ad tres Augusti triumphos referam, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, quos ille egit continuo triduo omnes (2): *Augusti* enim appellationem triennio post, senatu deferente, ille recepit: quam in nummo quum legas, eum posterius percussum esse manifestum est. triumphum potius quartum quintumve alia post bella ei decretum designari duxerim, Cantabricum puta aut Pannonicum, quem quia recusarit, idcirco quadrigas in nummo sine duce videamus. indicari id ipsum a Floro mihi videtur, ubi bello Cantabrico paucis exposito: haec addit (3): *Digna res lauro, digna curru senatui visa est: sed jam Caesar tantus erat, ut posset triumphos contemnere.*

Porro aliis in nummis ad triumphos Augustorum indicandos ipsi in curribus expressi sunt, quibus fere Victoria coronam imponit, titulique interdum adjecti hujusmodi TRIVMP · AVG ·, TRIVMPHVS · PARTHICVS: quibus potissimum triumphi a processibus consularibus distinguuntur. tum autem et coronae Augustis saepe decretae non modo a senatu, sed etiam a provinciis (4), quae in nummis occurrunt, Civicae maxime cum eo titulo OB · CIVES · SERVATOS.

CCCCXXXVIII. (Spanh. diss. 10. p. 195.)

QVOD
VIAE
MVN ·
SVNT

Ita inscriptum in Augusti nummo, in quo duo tropaea eminent, ac bini arcus statuis equestribus impositis, eidem scilicet a senatu populoque ob vias munitas dicati. moles hujusmodi *Ianos* etiam vocabant, quippe bifrontes aut quadrifrontes fiebant, totidemque spectabant vias: quorum reliquiae non in urbe solum, sed etiam alibi, ac maxime via Flaminia adhuc manent. hi olim insignibus saepe triumphalibus ornati, quamvis neque triumphorum caussa, neque ad eorum memoriam consecrandam excitarentur. de Domitiano Svetonius (5): *Ianos arcusque cum quadrigis et insignibus triumphorum per regiones urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam graece inscriptum arcui sit* APKEI.

Iamvero in alio Augusti nummo, qui nomen refert L. Vinicii triumviri monetalis, hinc statua eidem dicata cernitur, inde cippus cum inscriptione S · P · Q · R · QVOD · V ·

(1) Dio l. 54. p. 754. D.
(2) Svet. in Aug. c. 22. n. 3.
(3) lib. 4. c. 12. n. 53.
(4) v. inscr. 343. et 344.
(5) in Domit. c. 13. n. 6.

M · S · EX · EA · P · Q · IS · AD · A · DE · id est, *Quod Viae Munitae Sunt Ex Ea Pecunia, Quam Is Ad Aerarium Detulit:* quae verba Svetonii item locus illustrat, ubi de operibus publicis Augusti scribens (1), *Quo autem,* inquit, *facilius undique urbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex manubiali pecunia sternendas distribuit.*

CCCCXXXVIIII. (Vaill. t. 1. p. 111.)

ADVENTVI · AVG · FELICISSIMO

S · C ·

Severi nummus est, in quo ipsum Imperatorem cernas milite praeeunte equitantem. adventum ejus in urbem hic designari, ambiguum ne habeas: neque enim Principum adventus in provincias sine provinciae nomine significari solebant: occurruntque passim Hadriani potissimum nummi titulis hujusmodi insignes, ADVENTVI · AVG · AFRICAE, ADVENTVI · AVG · MACEDONIAE, ADVENTVI · AVG · PHRYGIAE: cujus consuetudinis hanc esse originem Harduinus (2) putabat, quod haec veterum opinio esset, *certis diebus Deos commeare in civitates sibi acceptas* (3): quos illi dies Επιδημιας Θεων appellabant. *sic apud Delios,* inquit, *et Milesios adventus Apollinis colebatur, apud Argivos Dianae:* adde et Palladis, ut Callimachi elegia illa pulcherrima ostendit εις λουτρα της Παλλαδος. et adnotavit idem, a Basilio Seleuciensi scriptum esse (4), Paullum Apostolum sub diem ejus festum Roma Tarsum invisere.

Enimvero nullus Severi adventus felicior videri potuit, quam quum e Galliis, Albino victo, solus jam et Imperator et Princeps Romam rediit: cui adventanti, ut ab Herodiano accepimus (5), senatus populusque laureatus obviam processit μετα πασης τιμης και ευφημιας. itaque nummum hunc ex iis esse puto, qui tunc Romae plurimi ad plebis congiarium et donativum militum percussi sunt. adjuvat vero opinionem meam adversae frontis inscriptio L · SEPT · SEV · PERT · AVG · IMP · VIII · nam Severus, qui ante bellum contra Albinum susceptum, Acmiliano et Nigro superatis jam IMP · V · appellatus fuerat (6), demum post bellum Parthicum IMP · XI · dictus est (7): ut inter utrumque bellum omnino in Gallis IMP · VIII · consalutatus esse videatur.

Qui Romae apparatus in adventu Principum fierent, et quanta tum esset urbis celebritas, exposui jam initio hujus capitis, et ad inscr. CCCXXXX· eadem in provinciis actitata, vel nummi veteres satis demonstrant, in quibus aras fere et sacrificia expressa videas. porro ut adventus Augustorum, sic aliquando trajectus consignati sunt. in binis certe Gordiani nummis leges TRAIECTVS · AVG · quorum alter temporarium pontem, alter insignem triremem exhibet: qua nempe invectus Gordianus Hellespontum in expeditione Persica transmisisse visus est Buonarroto (8). equidem tum potissimum Augustorum honori deductas naves illas putaverim triginta aut quadraginta remorum instructas ordinibus, Cycladasque aut Aetnas appellatas, quae a Latinis Graecisque scriptoribus celebrantur (9).

Huc demum referas, licet, binos Claudii nummos, quorum alter castra praetoria exhibet cum titulo IMPER · RECEPT · in altero ipsius Claudii effigies expressa est dextram

(1) in Aug. c. 30. n. 3.
(2) Num. Ant. P. et V. p. 297.
(3) Dio Chrys. Tarsic. I. p. 108. etc.
(4) l. 2. de Thecla c. 10.
(5) lib. 3. c. 8.
(6) v. inscr. 16.
(7) v. inscr. 95.
(8) Medagl. p. 287.
(9) v. Potter. Arch. l. 3. c. 14.

cum praetoriano milite jungentis inscriptumque PRAETOR · RECEPT · percussi nempe sunt post Caii Aug. caedem, Claudio Imperatore primum in castra recepto, ad designandum imperium, quod ille sibi favore praetorianorum adseruit: qua de re multa Svetonius (1).

CCCCXXXX. (Vaill. N. Col. t. 2. p. 230.)

CER · SAC · CAP · OEC · ISEL · HEL ·

COL · HEL ·

Nummus hic, Valeriani Aug. vultu signatus, ad Coloniam Heliopolitanam pertinet, exhibetque victorem Athletam sibi lebetem palmamque vindicantem. sita ea urbs in Syria Phoenice fuit, quae, teste Vlpiano (2), *a Divo Severo per belli civilis occasionem Italicae coloniae rempublicam accepit*. ibi autem, quum Valerianus expeditione Persica in Syria versaretur, honori ejus et nummus percussus et *Certamen Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Heliopolitanum* celebratum esse videtur: ita nempe legendum, non ut Harduinus (3) *Certamina;* nam altero in nummo ejusdem Coloniae inscriptum est CERT · SACRV · (4) id vero *Capitolinum* vocari censet Harduinus, quod in honorem Capitolini Iovis ederetur: in nummo certe ejusdem Coloniae effictum videas templum cum titulo (5) COL · HEL · I · O · M · H · *Colonia Heliopolitana Iovi Optimo Maximo Heliopolitano* id est Iovi Capitolino, quem Heliopolitani colebant. atque idem certamen *Oecumenicum* appellarunt, quod ad illud certatores non ex singulari aliqua civitate, sed εκ της οικουμενης admitterentur, spectarique et spectare mortalium quisque posset. sic et solemnis illa Atheniensium Panegyris Panathenaica dicitur ab Aristide (6) ὡς αληθως ἱερα και ὑπερ γης ἁπασης της οικουμενης.

Iam *Iselasticum* idem dictum est, quod victoribus is honos haberetur, ut reducs in patriam, disjecta muri parte, quadrigis invecherentur: nam id Graeci dicebant Εισελαυνειν: quorum mores suscipiens olim Nero, reversus e Graecia, ob suas illas theatrales victorias non aliter Neapolim introiit (7): qui deinde Antium quoque et Albanum et Romam ipsam eodem illo hieronicarum more ingressus, diruto etiam Circi maximi arcu per Velabrum forumque Palatium et Apollinem petiit. *Nobilibus* nempe *athletis*, inquit Vitruvius (8), *qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum majores ita magnos honores constituerunt, uti non modo in conventu stantes cum palma et corona ferant laudes, sed etiam quum revertuntur in suas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia et in patrias invehantur*. quare Certamen illud Heliopolitanum tantae erat dignitatis, ut victores cum ipsis Olympionicis aequarentur. illud autem Graeci, quum muri partem dirnerent, significare volebant, haud magnopere Civitati muro opus esse, quae tales viros haberet, ανδρας εχουση, ut ait Plutarchus (9), μαχεσθαι δυναμενους και νικαν. neque vero is unus certaminum Iselasticorum victoribus honor habitus, sed data quoque ex veteri Graeciae instituto stipendia e fisco, ab ipsis etiam Imperatoribus, in quorum illi honorem certaverant. quam ob rem quaestio oborta aliquando est, quo die stipendium deberi inciperet, eo ne, quo coronati essent, an quo quisque in civitatem suam invectus esset: eamque controversiam exposuit Trajano Plinius (10), ita tamen, ut pro fisco stare se fateretur: *Ego contra*,

(1) in Claud. c. 10.
(2) L. 1. D. de censib.
(3) N. Ant. P. et V. p. 192.
(4) Vaill. N. Col. t. 2. p. 231.
(5) Harduin. l. c. p. 192.
(6) tom. 1. p. 79.
(7) Svet. in Ner. c. 25. n. 1.
(8) lib. 9. in praef.
(9) Sympos. l. 2. c. 5.
(10) lib. 10. ep. 119.

inquit, (quae lectio est Hagenbuchii (1)) *scilicet ipso Iselasticorum nomine ita moveor, ut vehementer addubitem, an sit potius id tempus, quo* εισηλασαν, *intuendum.* rescripsitque Trajanus: *Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere* deberi, *quum quis in civitatem suam ipse* εισηλασεν (*a*).

Hisce ludis nomina saepe imposita sunt Imperatoria, quae haud raro in nummis leges: qualia sunt AELIANA · PINCENSIA, quae in adventu Aelii Hadriani (*b*) celebrata Pinci videntur, quae urbs Moesiae primae sive superioris, quam ab Hadriano lustratam esse nummus indicat cum inscriptione ADVENTVI · AVG · MOESIAE (2): item ΑΚΤΙΑ · ΚΑΙΣΑΡΕΙΑ Tyriorum, et ΣΕΒΑΣΜΙΑ Damascenorum (3), et ΣΕΥΗΡΕΙΑ · ΠΡΩΤΑ · ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ (4) ac similia. qui autem in urbe ludi honori Imperatorum edebantur, ii fere QVINQVENNALES AVG · aut DECENNALES dicti, de quibus memini superius ad inscr. LXVIII.

Mansere hujusmodi ludi et Romae et in provinciis perdiu: ipsaque Olympia Ioannis Chrysostomi aetate magna mortalium frequentia celebrabantur (5). certabant autem lucta, pugilatu, saltu, cursu etiam et aurigatione, ac disci teliue jactu (6); tum musica quoque certamina instituta, et poëtarum oratorumque comparationes contentionesque factae: de quibus aliquid a me prolatum est ad inscr. CV.

CCCCXXXXI. (Vaill. t. 1. p. 68.)

S · P · Q · R ·
AN · F · F ·
HADRIANO · AVG · P · P ·
S · C ·

Laurea titulum ambit, quam ominis caussa calendis Ianuariis senatus Hadriano decrevisse videtur: quemadmodum postea Antonino Pio coronam querceam idem obtulit, haec ipsa illi precatus, ut in Antonini nummo legimus: S · P · Q · R · AN · F · F · OPTIMO · PRINCIPI · PIO, annum scilicet faustum felicem: cujus moris mentionem facit Plinius, ubi verborum quoque in medendo aliquam esse vim tradens (7), *Cur enim,* inquit, *primum anni incipientis diem laetis precationibus invicem faustum ominamur?* sed tamen si quis lauream Hadriano cum omine illo fausto oblatam contendat anniversario imperii die; haud equidem repugnabo: quum et ipsi proconsules per id tempus litteras ad Augustum quotannis mittere solerent officii plenas, quae illum de die imperii celebrato, et de susceptis votis et fide obligata certiorem facerent: quarum exemplum habeto ex Plinii junioris epistolis ad Trajanum (8): *Diem, Domine, quo servasti imperium dum suscipis, quanta mereris laetitia celebravimus: precati Deos, ut generi humano, cujus tutela et securitas saluti tuae innisa est, incolumem florentemque praestarent. praeivimus et commilitonibus jusjurandum more sollemni praestantibus, et provincialibus, qui eadem certarunt pietate, jurantibus.*

Huc autem et omen illud referas, quod in Commodi nummo maximo leges PIO

(1) Epist. Epigr. p. 451.
(*a*) Ex hisce vero Plinii epistolis recte arguit Eckhelius Doctr. N. V. t. 4. p. 444. non omnia certamina fuisse per se Iselastica, sed permissu imperatorum factum, ut certamen quodpiam Iselasticum esset; hinc alia certamina coepisse esse Iselastica, alia desiisse, prout imperantibus placuit.
(*b*) Eckhelius Doctr. N. V. t. 6. p. 447. existimat hunc nummum non ludos, sed Pincenses metallorum fodinas indicare, cujus sententiam amplexus est etiam Mionnetus Medaill. antiq. gr. et rom. t. 6. p. 710.
(2) Harduin. l. c. p. 405.
(3) Spanh. ad Morel. Ep. 5. p. 282.
(4) Morell. Spec. tab. 13.
(5) Chrysost. t. 3. p. 59. C. ed. Ven.
(6) Potter. Arch. Graec. l. 2. c. 21.
(7) H. N. l. 28. c. 2. n. 4.
(8) lib. 10. ep. 60. v. et epist. 44. et 103.

IMP · OMNIA · FELICIA (1), cui similis acclamatio in veteri marmore occurrit (2) FELICI IMPERATORI · OMNIA · FELICIA · SALVO · COMMODO · FELIX · FAMILIA gladiatorum nempe, quos ille fovebat impensissime.

CCCCXXXXII. (Vaill. t. 2. p. 56.)

VOT · P · SVSC · PRO · SALVTE · ET · REDITV · I · O · M · SACRVM

Adversa nummi hujus frons Caesarem Augustum refert: itaque in aversa pro ejus salute et reditu *Votis Publicis Susceptis* Iovi Optimo Maximo dicatum Martis signum dicitur, (quippe ejus Dei effictum in nummo eminet simulacrum) exemplo minime novo: nam et alia Deorum simulacra Diis esse dicata, superius ostensum est (3).

Bello Cantabrico tentatam Augusti valetudinem, amissisque viribus aegrotum Tarracone decubuisse, Svetonius ac Dio tradidere (4). tum vota Romae suscepta: eoque reduce cecinit Horatius (5):

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
Mortem venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit Penates
Victor ab ora.

huc pertinet nummus alter L. Mescinii triumviri monetalis nomine signatus cum titulo S · P · Q · R · V · S · P · RED · CAES · similisque huic tertius, in cujus fronte adversa inscriptum est CAES · AVG · CONS · S · C · OB · R · P · CONS · in aversa vero praeter triumviri nomen S · P · Q · R · V · S · P · S · ET · R · AVG · qui nummi vota a senatu populoque soluta testantur, et lauream oblatam *Caesari Augusto Conservatori senatus consulto ob rempublicam conservatam*. Clypeos etiam pro incolumitate Augustorum vovere mos fuit, legesque in Commodi nummo primis ejus Decennalibus percusso S · P · Q · R · LAETITIAE · C · V · quin et singulis interdum annis eadem de caussa dona Diis data: ut sub Tiberio post Sejani et Agrippinae mortem: *Decretum*, inquit Tacitus (6), *ut quintodecimo cal. Novembris, utriusque necis die, per omnes annos, donum Iovi sacraretur:* idque *ex auro*, ut a Svetonio adnotatur (7). nihil autem in nummis occurrat frequentius, quam hujusmodi inscriptiones, VOTA · SVSCEPTA · DECENNALIA, VOTA · SOLVT · DEC ·, VOTA · PVBLICA, VOTA · ORBIS, VOTIS · FELICIBVS, VOTIS · DECENNALIBVS: quae vota senatus fere populusque pro salute Imperatorum suscipiebat solvebatque; at aliquando ipsi Imperatores pro salute populi Romani, ut quum Augustus magnos ludos vovit Iovi Optimo Maximo (8), *Si rempublicam in meliorem statum vertisset*.

CCCCXXXXIII. (Vaill. t. 1. p. 75.)

CONSECRATIO

S · C ·

Vltimus honorum, qui Augustis haberentur, Ἀποθεωσις erat. in nummis autem Imperatorum, qui relati essent inter Divos, ut in hoc Antonini Pii, quem M. Aurelius

(1) Vaill. t. 3. p. 155.
(2) Venut. Marm. Alban. p. 26.
(3) v. inscr. 40.
(4) in Aug. c. 81. n. 1. lib. 53. p. 720. B.
(5) lib. 3. od. 14.
(6) Ann. l. 6. c. 25.
(7) in Tib. c. 53. n. 6.
(8) Svet. in Aug. c. 23. n. 3.

consecravit, Rogus aliquando expressus, sive pyra illa, quam Herodianus descripsit (1), et iis portum turribus comparavit, quae Phari appellantur, ad praelucendi ministerium, ut ait Solinus (2), aedificatae. aquila tamen saepius efficta: quippe is ales, cum pyra arderet, e rogi fastigio emittebatur, ὁς φερειν, ut inquit Herodianus, απο γης εις ουρανον την του βασιλεως ψυχην πιστευεται ὑπο Ρωμαιων, nummi Augustarum pavonem referunt Junoni sacrum: at interdum ipsam etiam Augustam aquilae insidentem, capite stellis cincto, ut pulcherrimus Faustinae junioris nummus cum inscriptione CONSECRATIO· in alio autem sedet eadem velata panno in curru bijuge, titulusque adscriptus SIDERIBVS· RECEPTA· in nummo autem Agrippinae Germanici, quae proximos tantum honores occupavit, Carpentum expressum cum jugalibus mulis, adjecto titulo S· P· Q· R· MEMORIAE· AGRIPPINAE (3).

Porro consecratis honores alii debebantur, templa, sodales, flamines, ut ceteris Diis. εξ εκειν.υ, inquit Herodianus (ὁ βασιλευς) μετα των λοιπων Θεων θρησκευεται. ideirco vel in unius Faustinae senioris nummis templum ejus bis effictum, et additae inscriptiones AED· DIV· FAVSTINAE, DEDICATIO· AEDIS: in alio elephanti tensam ducunt, in qua Cereris habitu Faustina sedet, inscriptumque EX· SENATVS· CONSVLTO, quippe *a senatu*, ut ait Capitolinus (4), *consecrata delatis ei Circensibus atque Templo, et flaminicis et statuis aureis atque argenteis*. insignis etiam Domitiani nummus huc spectat, in quo templum eminet signis, equestribus statuis et quadriga exornatum cum praeclara inscriptione AETERNITATI· FLAVIORVM (*a*): id est, quod Svetonius (5) *Flaviae templum gentis* appellat, nec a Tito, ut Spanhemius putavit (6), sed a Domitiano excitatum est. eosdem honores declarat Antonini Pii nummus cum inscriptione DIVO· PIO, columnam referens eam, quae Romae nunc post Curiam Innocentianam jacet, pulcherrima licet basis in hujus area jampridem stet, de qua egregie scriptum est a Vignolio (7). *Columnarum*, inquit Plinius (8), *ratio erat, attolli supra ceteros mortales: quod et arcus significant novitio invento*. nemini igitur honos hujusmodi conveniebat magis, quam iis, qui ex hominibus Divi facti essent.

(1) lib. 4. c. 2.
(2) Polyhist. c. 32.
(3) v. inscr. 371.
(4) in Anton. Pio c. 6.
(*a*) Hunc nummum Tito tribuit Eckhelius Doctr. N. V. t. 6. p. 360., et inter falsos recenset.
(5) in Domit. c. 5. n. 3.
(6) Diss. 13. p. 649. v. inscr. 329. et Martial. l. 9. epig. 2. 4. 35.
(7) Diss. de Col. Ant. Pii.
(8) H. N. l. 34. c. 6. n. 12.

CAPVT III.

Specimen titulorum rerum privarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quas veteres gemmis, poculis ac plerisque minutis opusculis addiderunt

Munera veteres statis temporibus mittere ad propinquos amicosque, saepe etiam convivis largiri solebant. noti sane ac pervulgati versus illi Tibulliani de calendis Martiis (1):

Et vaga nunc certa discurrunt undique pompa
Perque vias urbis munera, perque domos.

idque ipsum obtinuisse calendis quoque Ianuariis, scriptum reliquit Herodianus (2): atque idem et de his et de Saturnalibus ac Matronalibus feriis Tertulliani testimonio constat, cujus ea sunt verba (3): *Saturnalia et Ianuariae et Brumae et Matronales frequentantur: munera commeant, strenae consonant, lusus, convivia constrepunt.* quamquam strenarum quidem oblationem edicto aliquando vetitam, Svetonius (4) Dioque (5) tradidere. pro quibus litterarum cultores, uti est apud Censorinum (6), scriptiunculas missitare coeperunt: sed ceterorum munerum mittendorum usus diu officiumque mansit. ipse Hadrianus, ut a Spartiano acceepimus (7), *Saturnalia et sigillaritia frequenter amicis inopinantibus misit, et ipse ab his libenter accepit, et alia invicem dedit.* et de Antonino Severi filio tradit idem (8), *Quae a parentibus gratia sigillariorum acceperat, ea vel clientibus vel magistris sponte* donasse.

Iamvero conviviorum apophoreta, quae et *Xenia* appellata sunt (9), et Augustus et alii deinceps Imperatores multa et varia donare (10) consueverant; quibuscum senatores atque equites privata magnificentia certasse, verisimile est. id satis indicant Ambrosii verba (11): *Qui ad convivium,* inquit, *magnum invitantur, apophoreta secum referre consueverunt.* quo loco ea maxime ex apophoretis commemorare mihi videtur, quae *Diptycha* appellamus; quippe addit, *Apophoreta autem solent habere triumphos Principum:* quorum exemplum videre licet in pulcherrima illa Musei Barberiniani tabella Diptycha, quae in Gorii Thesauro descripta est (12). sed monumenta hujusmodi, quae sequioris aetatis sunt, praetermitto, ne extra illos, quos mihi circumscripsi, fines excurram: esto, in quibusdam inscriptiones legantur haud infrequentes (13).

(1) l. 3. el. 1. v. 3.
(2) Hist. l. 1. c. 15.
(3) de Idolol. c. 14.
(4) in Tiber. c. 34. n. 4.
(5) l. 60. p. 944. E.
(6) de die nat. sub init.
(7) in Hadr. c. 17.
(8) in Carac. c. 1.
(9) Plin. lib. 6. epist. 31.
(10) Svet. in Aug. c. 75. n. 2. in Cajo c. 55. n. 7. in Vesp. c. 19. n. 4. Capitol. in Vero c. 5. Lampr. in Hel. c. 21. etc.
(11) Exhort. ad Virginit. c. 1.
(12) t. 2. p. 163.
(13) v. Reines. Cl. 6. n. 102.

Hanc porro majorum nostrorum consuetudinem, quamquam tempora fere et loca mutavimus, tamen aut nunquam intermissam, aut certe jamdiu revocatam esse videmus: mutuis enim muneribus amicitiam plerique nunc etiam tuentur et colunt. quid tamen? priscam fortasse liberalitatem retulimus, elegantiam non retulimus. nam quae amicis largimur, quum ab infantissimis saepe famulis perferantur, inornata nihilominus et muta a litteris mittimus: veteres contra nullum prope munusculum sine titulo esse patiebantur. indicant primum, qui ex antiquitate supersunt, inscriptis litteris anuli maxime pateraeque: deinde titulis non caruisse, quae Augustus Saturnalibus, et si quando alias libuisset, munera dividebat, tradidit Svetonius (1), qui eum obscuris et ambiguis delectatum scribit. epigrammata item varii generis apophoretis singula singulis adscribenda reliquit Martialis (2), quibus antiquam illam consuetudinem plane confirmat. quin etiam ea convivii instrumenta, quae fere a convivis tractanda solum, non asportanda erant, inscriptione saepe aliqua ornata esse novi: pocula in primis, quorum fragmenta e vitro nonnulla exstant, aureis distincta litteris, et titulorum varietate praestantia: Graeci Γραμματικα Ποτηρια appellabant (3): e quorum fortasse genere fuerunt, quos Hadrianus se transmisisse Serviano consuli scribit (4), *Calices allassontes versicolores:* et quos L. Verus convivis donasse dicitur (5) singulis per singulas potiones, *murrhini et crystallini Alexandrini.* veteres enim, ut erant lautitiarum omnium studiosissimi, in his quoque elegantiae suae et suavitatis et leporis specimen esse aliquod volebant. tum qui haec pararent, vel in tenui re laudem spectantes, nominis sui prodendi occasionem elabi non patiebantur. nam et pistores, quis crederet? quum panem fingerent, sigillo nomen suum quadris indebant. testis est semiustulatus ille Herculani a fossoribus inventus panis cum inscriptione SILIGO · C · GRANI · E · CICERE (6), οκταβλωμις, sive octo bucellarum (7).

Atque haec quidem, quum in aliorum manibus esse deberent, minus hoc mirum videatur, titulos adjectos esse, qui amicos hospitesque vel monerent vel delectarent. illud pauci fortasse credant, eorum etiam, quae apud dominos manerent, et alios in usus servarentur, permulta inscriptionibus ornata esse atque distincta. verum alia veterum ratio, atque nostra: quippe illi multo studiosius elegantiae ingeniique laudem apud aequales quaerebant, et hoc maxime curabant, ut quae posterorum esse deberent, ea omnia de domo sua, de se, de Principe diu apud posteros loqui possent. itaque nullae prope res indignae titulo videbantur, ne illae quidem, quas terra conditas, nisi latebras rimantibus, latere cunctis necesse erat. nec vero mos ille sero inductus; sed antiquis plane temporibus minime novus. inter puellaria crepundia numerantur a Plauto (8) *Ensiculus aureolus litteratus, et securicula ancipes item aurea litterata,* in quibus

(1) in Aug. c. 75. n. 2.
(2) epigr. l. 14.
(3) Athen. l. 11. c. 4. 5.
(4) Vopisc. in Saturnin. c. 8.
(5) Capitol. in Vero c. 5. v. Athen. lib. 11. c. 3.
(6) Gor. Symb. Rom. t. 2. p. 139.
(7) Martor. Th. Cal. p. 381.
(8) Rud. 4. 4. v. 112. etc.

parentum puellae nomina erant: ut in perantiqua puerili bulla, quae olim in Museo Chisiorum fuit, inscriptum erat CATVLVS (1). tesserae vero litteratae omnis generis, quae multis in Museis adservantur, Augustorum aetate magnam partem antiquiores sunt: sub Augustis tamen tituli hujusmodi frequentius usurpati. nam praeter ea, quae superius commemoravi, habent haud raro lucernae, habent hydriae amphoraeque et omne fictilium vasorum genus: in armis interdum instrumentoque bellico legas: nusquam vero plures, quam in lateribus tegulisque: atque hi non artificum nomina tantum, aut unam fere temporis notam continent; sed quaedam etiam et commode et acute dicta, quae huic aetati plerumque et his moribus plane conveniant.

Quapropter quum viderem exemplorum horum eam adhuc suppetere copiam, ut non pauca optimae notae facile legi possent; ne hoc quidem titulorum genus intactum esse volui: nam et futuros aliquando aliquos existimabam, qui harum inscriptionum subtilitatem elegantiamque mirati, veterem jam urbanitatem et limatulum illud jocandi genus revocarent. sic vero exempla proponenda duxi, ut quae cuique rei aptissima essent, ex ipso veterum usu et distributione constaret. itaque sex capitis hujus partes feci: primaeque adtribui, quae inscripta legimus in gemmis anulariis: congessi in secundam, quae inscripta sunt in poculis paterisque: tertia titulos continebit tesserarum omnis generis: quarta vero lucernarum vasorumque fictilium: quinta armorum et instrumenti bellici: sexta denique laterum et tegularum. hos ego omnes *rerum privarum titulos* appellavi; quod iis fere rebus adhaereant, quae privatorum erant, nec publica scripti auctoritate, aut vulgo unquam propositi videantur.

PARS I.

INSCRIPTA IN GEMMIS ANVLARIIS

CCCCXXXXIIII. (Spon. Misc. p. 297. n. 3.)

HOSPITA · FE

LIX · VIVAS

Hospitae hospes felicem vitam ominatur, et convivio, ut reor, abeunti apophoretum donat. et *Hospitem* tamen et *Hospitam* dixere veteres eos etiam, qui alios hospitio acciperent, quod exemplis non indiget. jamvero fausta omina non tam urbanitas, quam superstitio celebravit. De Pythagoreis Tullius quum scripsisset, eos non solum Deorum voces observasse, sed etiam hominum, quae vocabant omina; subjecit (2): *Quae majores nostri, quia valere censebant, idcirco omnibus rebus agendis* Quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset *praefabantur*. atque ex hac opinione factum est,

(1) Ficor. della Bolla p. 6. (2) de Divin. l. 1. c. 45. n. 102.

ut cives civibus vitam, salutem, incolumitatem precarentur. aliis in gemmis omina leges hujusmodi, ut illa (1) SERGI · VIVAS, (2) VITA · TIBI, quibus similia usurpavit Horatius, (3) *Vive Beatus*, (4) *Vivite Fortes*. eodem pertinent hi quoque tituli e gemmis Ficoronianis, (5) MAXIMAE · VITA, (6) HELVIAE · SAL ·, (7) MVLTIS · ANNIS, (8) BAROSE · RECTE et quem Gorius memorat, omnium elegantissimus, (9) VOTIS · MEIS · CLODIA · VIVAS.

Hos ego omnes titulos, et quos infra afferam, anulariis tantum in gemmis inscriptos puto: nam eas quidem, quibus vestes olim et calcei cothurnique, tum fibulae omnes et phalerae etiam equorum ornabantur, litteratas esse quid proderat? in anulis contra facile quis titulum legere, vel etiam aliis legendum offerre poterat. et quia anulos plerique dextra laevaque plures, atque, ut vetus Iuvenalis Scholiastes tradit (10), alios hieme, alios aestate gestarent; ideirco etiam litteratas, opinor, in his gemmas probabant, quod eae ad varietatem aliquid et ad elegantiam conferre viderentur. haud tamen inficior multos quoque aliquando exstitisse, qui gemmas tamquam amuleta ferrent praegrandes, nec paucis qua notis qua litteris inscriptas: sed hae Graecorum fere atque Aegyptiorum fuerunt, quae ad nos non pertinent.

CCCCXXXV. (Acad. Cort. vol. 5. p. 104.)

VNI
AMBROSIA
VENENVM
CAETERIS

Mensa in gemma expressa est: quid titulo notetur, jamdiu quaero. munusculum amatoris et jocos agnoscit Philippus Venutus (11): sed non persuadet. ego, quia gemmae multis mederi morbis putabantur (12), amuletum de mensa datum convivae esse contendo, quasique antidotum uni, cui donabatur, accumbenti futurum, ceteris perniciem, in quorum manus venisset. nomen, ni fallor, ex historia petitum est. antidotum nempe Zopyrus quidam regi Ptolemaeo dicitur composuisse, atque *Ambrosiam* nominasse: cujus conficiendi ratio a Cornelio Celso (13), qui haec narrat, tradita est. adde quod *Ambrosiam* Deorum cibum dicebant: ut qui gemmam illam in digito haberet, immortalitas ei quodammodo portendi videretur: mors contra iis, qui anulum surripuissent.

CCCCXXXVI. (Ficor. Gemm, tab. 1. n. 5.)

AMO · TE
AMA · ME

Amasiuncula donum tulisse hoc videtur ab eo, qui meminisset, quae Hecaton philosophus apud Senecam (14) docet: *Ego*, inquit, *tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine ullius veneficae carmine: Si vis amari, ama.* sunt

(1) Gor. Inscr. t. 3. p. 22. n. 26.
(2) Spon. Misc. p. 297. n. 10.
(3) l. 2. sat. 6. v. 96.
(4) ib. sat. 2. v. 135.
(5) tab. 8. p. 29.
(6) ibid. n. 23.
(7) tab. 1. n. 1.
(8) ibid. n. 9.
(9) Gor. Mus. Flor. t. 3. p. 55.
(10) ad vers. 28. Sat. 1.
(11) l. c. diss. de ambr. et nect.
(12) Plin. H. N. l. 37. c. 2. n. 10. c. 3. n. 11. c. 4. n. 15.
(13) Medic. l. 5. c. 23. n. 2.
(14) ad Lucil. epist. 9.

autem ex eodem genere tituli item illi (1) AMOR · MEVS, (2) TV · MEA · VENVS, (3) MAESI AVGVRI · ANI · MEA, et hujusmodi: quibus adde, si libet, communem illam salutationem (4) HAVE, et (5) ATHENAIS · AVE.

CCCCXXXVII. (Buonarr. Vetr. p. 209.)

SALVIS · AVGVSTIS
FELIX
LEONIDES

Principis incolumitate publicam salutem, atque adeo suam contineri quis non fassus est? Trajanum adloquens Plinius (6), *Vt*, inquit, *in unius salutem collata omnium vota? quum sibi se ac liberis suis intelligerent precari, quae pro te precarentur*. Pertinace vero Imperatore designato, acclamatum in senatu scripsit Lampridius (7): *Vt salvi simus, Iupiter Optime Maxime, serva nobis Pertinacem*. merito igitur felicitatem Leonides sibi spondebat, dum Principes salvi essent, Balbinus, puta, atque Pupienus Augg. vel Philipporum uterque; ac multo ille magis, si ex familia Augustorum erat.

CCCCXXXVIII. (Spon. Misc. p. 297. n. 8.)

PIGNVS · AMORIS · HABES

Anulum esse dono datum amico, indicat Delphinus in gemma insculptus media, amicitiae argumentum: quanta enim de Delphini amore erga homines et quam mira veteres fabulati sunt? quare ipsum Amorem sciti quidem artifices in eo equitantem fecerunt (8). lege de his Plinium majorem (9) minoremque (10): unum ego exemplum subjiciam ex majore: *Divo Augusto Principe Lucrinum lacum invectus* (Delphinus) *pauperis cujusdam puerum ex Bajano Puteolos in ludum litterarium itantem, quum meridiano immorans appellatum eum Simonis nomine saepius fragmentis panis, quem ob id ferebat, allexisset, miro amore dilexit. pigeret referre, ni res Maecenatis et Fabiani et Flavii Alfii, multorumque esset litteris mandata: quocumque diei tempore inclamatus a puero, quamvis occultus atque abditus, ex imo advolabat: pastusque e manu praebebat ascensuro dorsum, pinnae aculeos velut vagina condens, receptumque Puteolos per magnum aequor in ludum ferebat, simili modo revehens pluribus annis: donec morbo exstincto puero, subinde ad consuetum locum ventitans, tristis et moerenti similis, ipse quoque, quod nemo dubitarit, exspiravit.*

Titulus ex Ovidii versu fortasse decerptus: sic enim Phaedram ille Hippolyto scribentem facit (11):

Arsit et Oenides in Maenalia Atalanta:
Illa ferae spolium pignus amoris habet.

(1) Ficor. Gemm. tab. 1. n. 6.
(2) Buonarr. Vetr. p. 209.
(3) id. ibid.
(4) Ficor. ibid. n. 10.
(5) id. tab. 7. n. 29.
(6) in Panegyr. c. 23. n. 5.
(7) in Comm. c. 18.
(8) Gorl. tom. 1. n. 180. etc.
(9) H. N. l. 9. c. 8. n. 8.
(10) lib. 9. epist. 33. v. et Gell. N. A. l. 7. c. 8.
(11) Her. ep. 4. v. 99.

CCCXXXVIII. (Gorl. gemm. t. 1. p. 212.)

LVCILLA · AVGVSTA · VIRGO

Lucillae puellae imago in gemma expressa est, ejus, quam L. Verus Aug. uxorem duxit. ea Marci Aurelii filia fuit (1), et Faustinae junioris: quae fortasse hic *Augusta Virgo* appellatur, non quia ante nuptias *Augusta* dicta esset, sed ut ex patris Augusti cognomine distingueretur a socru, id est a Domitia Lucilla Nigrini filia, quae mater fuerat L. Veri, uti censet Patarolius (2), cui tamen adversatur Spartianus, qui hanc matrem fuisse Marci Aurelii diserte scribit (3). porro Lucillam Veri post hujus mortem pater, *non decurso*, ut ait Capitolinus (4), *luctus tempore, grandaevo equitis Romani filio Claudio Pompejano dedit, genere Antiochensi, nec satis nobili, quem postea bis consulem fecit*. mansisse tamen Lucillae principatus insignia, auctor est Herodianus, qui eam, et sub Commodo Principe, imperatoria sella in theatro sedisse, ignemque eidem de more praelatum testatur (5): donec ducta a Commodo in matrimonium Crispina, ob graves cum hac simultates, et inita conjurationis consilia ab ipso fratre sublata est (6) (*a*).

Raro in gemmis, quae claris insignitae vultibus, nomina etiam adjecta figurarum reperias: habent tamen aliquando, ex iis etiam, quae notos Deos Deasve referant. DIANA inscriptum legitur apud Begerum (7), quum ipsa Dea venatrix efficta sit sub arbore sedens, et arcus simul et canis expressus. in Museo Odescalchio (8) gemma item fuit, in qua, quum Iulium Caesarem laureatum referret astro et lituo adficto, additum tamen erat DIVI · IVLI: quod mirum magis; nam eo casu sculptorum fere nomina apponebantur: quae maxime ad earum imagines gemmarum legas, quae magis affabre et antiquo artificio sculptae sunt.

Denique et singulariae interdum litterae occurrunt, quae ideo adjectae mihi videntur, festivis ut interpretibus garriendi jocandique materiem praeberent. nam placuisse olim, ut nunc quoque, hujusmodi lusus, indicat apud Tullium (9) Iulius ille Caesar, qui de generibus facetiarum loquens inducitur. hic enim, quum fabellam quamdam in Memmium a Crasso confictam commemorasset, de quo hic dixerat, *comedisse eum lacertum Largii, quum esset cum eo Tarracinae de amicula rixatus;* deinde ipsum adloquens Crassum, *Addidisti*, inquit, *clausulam, tota Tarracina tum omnibus in parietibus inscriptas fuisse litteras, tria* LLL *duo* MM: *quum quaereres, id quid esset, senem tibi quemdam oppidanum dixisse,* Lacerat Lacertum Largii Mordax Memmius.

(1) Capitol. in Vero c. 2. v. Fabr. p. 514. n. 192.
(2) in Hadr.
(3) in Did. Iul. c. 1.
(4) in M. Aurel. c. 20. v. num. Vaill. t. 3. p. 145.
(5) lib. 1. c. 7.
(6) Lampr. in Comm. c. 5.
(*a*) Barptolemaeus Borghesius in Giorn. Arcad. t. 1. p. 359. seqq. liquido probat, Domitiam Lucillam Cn. Domitii Lucani, dein per adoptionem Cn. Domitii Tulli filiam fuisse, quae P. Calvisio Tullo bis consuli nupta Domitiam Lucillam juniorem peperit; hanc Annii Veri uxorem, et matrem M. Aurelii Imperat. qui ex Faustina juniore genuit Anniam Lucillam L. Veri uxorem, de qua mentio est in hac gemma: matrem vero L. Veri fuisse quidem Nigrini filiam, sed nullo argumento appellari a quibusdam Domitiam Lucillam, quum ex lapide Vaticano a Marinio Frat. Arval. p. 666. citato constet, eam e gente Avidia fuisse.
(7) Thes. Brand. t. 1. p. 64.
(8) Galeot. t. 1. tab. 26.
(9) de Orat. l. 2. c. 59. n. 240.

CCCCL. (Gorl. t. 1. n. 112.)

IOVI · OPT · MAX · SACR ·

Scriptus hic titulus est in aurea anuli corona, quae majoris gemmae ampleetitur margines: tres enim gemmas anulus habet. ae minorum quidem, quae utrinque in primo aurei circuli flexu inclusae sunt, altera Iunonem refert, altera Venerem: media vero et major aquilam taurino capiti insistentem, corona et lauri ramo inter cornua eminentibus. puto autem, anulum hunc vel ob ipsas effigies inter Capitolini Iovis donaria esse numerandum. neque sane novum, gemmas Diis dono esse datas: mitto quas in soleis Isidis insertas ex Hispana inscriptione memoravit Montfauconius (1): insignis illa Polycratis gemma, quam antiquitas celebravit, ea esse putabatur, quam Romae in delubro Concordiae cornu aureo ejus Deae Livia Augusta incluserat (2). unio alter Cleopatrae maximus, quem L. Plancus ex Antoniana cena judicio suo conservaverat (3), post Actiacum bellum Alexandria capta dissectus est, ut Romae in Pantheo Venus in utrisque auribus ferret: eidem Deae Severum quoque Alexandrum ex unionibus duobus *magni ponderis et inusitatae mensurae* inaures fecisse, scripsit Lampridius (4). totam autem dactyliotheeam regis Mithridatis Pompejus Magnus inter dona in Capitolio dicavit. atque *hoc exemplo*, inquit Plinius (5), *Caesar Dictator sex dactyliothecas in aede Veneris Genetricis consecravit: Marcellus Octavia genitus in Palatina Apollinis aede unam.*

Itaque ex eodem, opinor, genere et alter anulus habendus est, cujus meminit Crassierus (6), cum titulo MAR · VIC · Marti nempe Victori dicatus, item ceteri, qui Deorum nomina dativo easu referunt (7).

PARS II.

INSCRIPTA IN POCVLIS PATERISQVE

CCCCLI. (Buonarr. Vetr. p. 221. t. 30.)

VIVAS · VALEAS · VINCAS

Convivium magnorum dueum fuisse illud dixeris, in quo poenla Victoriae omen inseriptum haberent. quod enim omen fuit apud veteres majus, quo vel Imperatorem prosequerentur? Severo Alexandro sie in senatu acclamatum esse, scripsit Lampridius (8): *Vincas, Valeas, Multis Annis Imperes*. ceterum convivae nostri quum vitro, non gemma biberent, de aurigarum potius numero et factionis alicnjus grege ipsos fuisse crediderim, eamque victoriam, quam preeabantur, ad Circenses pertinere.

Erant autem ex convivalibus acelamationibus hae quoque, quas in antiquis poculis legimus (9): MVLTIS · ANNIS · VIVATIS, (10) MAXIMA · VIVAS · CVM · DEXTRO, (11) AMACHI · DVLCIS

(1) Ant. t. 3. p. 58.
(2) Plin. H. N. l. 37. c. 1. n. 2.
(3) id. ib. l. 9. c. 35. n. 58.
(4) in Alex. c. 51.
(5) ibid. l. 37. c. 1. n. 5.
(6) Elench. gemm. p. 349.
(7) Beger. Th. Brand. t. 1. p. 164. etc.
(8) in Alex. c. 10.
(9) Fabr. Inscr. c. 7. p. 539.
(10) Buonarr. Vetr. p. 151. t. 24. 1.
(11) id. ibid. p. 128. t. 19. 1.

VIVAS · CVM · CARIS · TVIS, (1) DVLCIS · ANIMA · VIVAS · neque vero serius haec in consuetudinem venisse putes; titulosque hujusmodi sequioris omnes aetatis habendos esse. Graeci enim jampridem morem hunc celebraverant, Latinisque artificibus primi ostenderant: Athenaeus ipse quaedam id genus pocula perantiqua commemorat (2), ut Κυπελλον illud Enalli ducis ex auro optimo apud Methymnaeos cum inscriptione ΔΙΟΣ · ΣΩΤΗΡΟΣ, et quod Achaeus in Omphale descripsit, cujus erat titulus ΔΙΟΝΥΣΟ pro Διονυσου: item aliud, quod Dianae dicatum Capuae se ipse vidisse testatur, εχον τα επι χρυσοις γραμμασιν, ὡς το Νεστορος ον: quibus in verbis verum Martorellius (3) dispexisse mihi videtur, qui hunc ab Athenaeo titulum in eo poculo inscriptum designari putat, ΝΕΣΤΟΡΟΣ ΕΙΜΙ: quasi hoc artifex significare in animo habuerit, calicem a se factum cum poculo Nestoris Homerico de praestantia certare (4). huc accedit, exstare adhuc in Museis nonnullis litterata quaedam pocula eruditae aetatis, quae Latini imitati esse videantur: quorum in numero censeas, velim, Boldettinum e crystallo craterem (5), elegantissimis compunctum litteris, ΠΙΕ · ΖΗΣΑΙΣ · ΕΝ · ΑΓΑΘΟΙΣ · sic a Graecis ipsa vasorum quorumcumque exempla Latini maturius sumpserunt, rejectis iis, quae a majoribus acceperunt: *Nonne*, inquit Varro (6), *inusitatis formis Vasorum recentibus a Graecia adlatis oblitteratae antiquae consuetudinis sinorum et capidarum species?*

CCCCLII· (Buonarr. Vetr. p. 207. T. 29. 1.)

NVGAS · VIVAS

Quid sibi, inquies, vult istud *Nugas?* Catullus esto interpres, ubi Lesbiam affatur (7):

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.

hoc nimirum Epicureus aliquis, convivae calicem quum porrigeret, persuadere voluit, senum severitatem, aut sophorum in convivio disputantium praecepta nugas esse: quasi diceret, Haec vero, quae isti de frugalitate et virtute garriunt, nugas esse censeas; idque unum curato, ut securus beatusque sis. sententiae, quae satis obscura videri possit, lucem forsitan afferebant affictae in poculo imagines, quales in veteribus scyphis adhuc videmus: quorum e genere fuit illud Nestoris Δεπας περιφανες ab Homero (8) descriptum, et quos Nero *a caelatura carminum Homeri*, ut ait Svetonius (9), *scyphos Homericos* vocabat: quod nempe, non versus Homeri, sed quaedam ex iis, quae Homerus versibus descripsit, referebant: quare et Gorius aptissime eas gemmas, quae duces aut res ab Homero celebratas exhiberent, *Homericas* appellavit (10).

Vivere autem hoc loco est voluptatem sequi, suisque frui bonis: quod et probati scriptores dixere, ut Tullius ad Q. fratrem (11): *Quod me*, inquit, *in eadem epistola, sicut saepe antea, cohortaris ad ambitionem et ad laborem, faciam equidem; sed quando Vivemus?* nec aliud Catullus designat in primo eorum versuum, quos modo attuli.

(1) Buonarr. Vetr. p. 116. T. 18. 1.
(2) Dipnosoph. l. 11. c. 5 *habens verba aureis litteris, quasi Nestoris* poculum *esset*.
(3) Th. Cal. p. 383.
(4) v. inscr. seq.
(5) Lup. Epit. Sev. p. 193.
(6) L. L. l. 8. c. 16.
(7) Carm. 5. v. 1.
(8) Iliad. l. 11. v. 631.
(9) in Ner. c. 47. n. 1.
(10) Mus. Flor. t. 3. part. 3. Cl. 2.
(11) l. 3. epist. 1. n. 5.

CCCCLIII. (Boldet. Cimit. l. 1. c. 39. n. 3.)

HILARE
SEMPER
GAVDEAS

In poculi haec fundo scripta, quod Hilarus conviva pro apophoreto auferre debebat, et eo consilio scripta, ut vino primum hausto legeret, monitusque seria contractae frontis explicaret. titulos hujusmodi in vasorum fundis interius scribendi mos erat vetus vel apud Graecos. de tripodis concha Euripides (1):

Εγγραψον ὁρκους τριποδος εν κοιλῳ κυτει.

alio in poculo apud Begerum (2) legitur exterius BIBE, in alio SITIO (3): quae veteres inscribebant, ut materiem convivis ad jocandum darent. atque haec ipsa ne Christiani quidem veteres neglexere, quorum vitrei aliquot calices et sacra habent symbola, et titulos hujusmodi referunt: quos Buonarrotus atque Boldettus commentariis suis consignarunt.

CCCCLIIII. (Buonarr. Medagl. post T. XXXVII.)

AVRELIVS · CERVIANVS
VTERE · FELIX

Titulum habet hunc patera vetus ex aere, in qua graphio expressae bestiarum immanes aliae, quaedam cicures, venationis argumentum, atque hae infra: in medio clypeolum nudum, supra aquila cum fulmine, utrinque vero quini milites, scutati omnes, quorum duo primi adversi legionis quisque suae signa inferunt quamsimillima, nisi quod sub altero inscriptum est LEG · XX · V · V · sub altero LEG · SECVNDA · AVGVS · et hinc capricornus, illinc aper supra milites effictus. hanc porro pateram Buonarrotus (4) dono datam a Cerviano putat ludorum, ut mos erat, diebus, quum is ante Dionis aetatem Britanniam fortasse administraret: nam Legio XX· Valens Victrix et Legio Secunda Augusta Britanniae fines per ea tempora tuebantur, haec Iscae, illa Devae stativum praesidium (5): quam deinde in insulam et Legio VI· Victrix missa est, quae Eboraci consedit (6).

Formulam illam *Vtere Felix*, quum alibi, tum in Sponiana etiam gemma reperies (7): quam percommode et is usurpare poterat, qui munus mittebat: et ipse artifex, quum opus absolutum ei redderet, cujus jussu inchoasset. quod autem Legatus pateram dono dederit ex aere potius, quam ex argento, factum id putabat Buonarrotus, quod jam tum lege cautum esset, ne argentum, et quidquid pretii majoris esset, nisi consules, donare quisquam posset: itaque eam legem, quia deinde, insano quodam munificentiae studio, contempta esset, multo post tempore ab Imperatoribus impositam iterum constitutamque censebat. ceterum ut hoc demus, muneralem illam legem a Valentiniano, Theodosio, Arcadio Augustis (8) non primum latam, sed, quum intermissa esset, revocatam esse; quemadmodum post eos Iustinianus quoque legem tulit, ne a

(1) Suppl. v. 1202. *Iuramenta inscribito in cavo tripodis fundo.*
(2) Th. Brand. t. 3. p. 462.
(3) ibid. p. 461.
(4) ibid. Prooem. p. 18.
(5) Itin. Ant. Surit. p. 626. et 634.
(6) id. ibid. p. 623.
(7) Misc. p. 297. n. 11.
(8) Lib. 15. C. Th. tit. 9. l. 1.

consulibus aurum spargeretur (1): non haec tamen ad Cerviani tempora manifesto indicio trahi possint: quem si quis aereas quidem pateras centurionibus, argenteas vero praefectis tribunisque dedisse dixerit, nescio, an hunc falsi quisquam arguere certa ratione possit.

CCCCLV· (Beg. Th. Brand. t. 3. p. 383.)

A · SEPTVNOLENA · PETR · MAISIO · DONO

Incisa haec orbiculatim in patera item aerea, quam nullo anaglypho opere insignem *Aula Septunolena Petronio Maesio dono* misit. pateram a muliere datam ne mirere: quippe et viri pateris utebantur et feminae quaevis. nullam in Sicilia domum paullo locupletiorem ante Verris adventum fuisse testatur Cicero (2), qua in domo haec non essent, *patella grandis cum sigillis ac simulacris deorum, patera, qua mulieres ad res divinas uterentur, turibulum*. quin Varro pateras in poculis fuisse, scribit (3), additque, *Hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendae caussa, quum magistri fiunt, potio circumfertur: et in sacrificando hoc poculo magistratus dat Deo vinum*. porro nuptiale id esse donum si quis dixerit, sponso a sponsa missum, non is veteris consuetudinis ignarus aut in antiquitate peregrinus videatur: quum apud Graecos certe (4), quemadmodum a Winckelmanno animadversum jam est (5), et genero socer, et sponso sponsa pateram dono mittere soleret.

CCCCLVI· (Don. Cl. 2. n. 159.)

VAL · NATALIS · PII · C · VIII ·

Haec vero in patera argentea prope bilibri, quae in agro Legionensi inventa est, Natali Antonini Pii dono ea data videtur cum omine *Valeas;* usurpatumque mutuo inter cives natali etiam Principis die, quod amicorum et patronorum natalibus fiebat, ut amici clientesque munera mitterent (6). Natalis autem Pii, si γενεσις spectanda sit, XIII cal. Octobr. celebrandus fuit: eo enim die natum Antoninum scripsit Capitolinus (7). sed quum idem, commemorato Hadriani funere, expositisque senatus acclamationibus, hoc de Antonino statim tradat (8), Circenses eum natali suo dicatos non respuisse, aliis honoribus refutatis, veniebat in mentem, non alium hic diem *Pii Natalem* appellari, quam quo imperium auspicatus est. is fuit V· idus Iul. postridie scilicet ejus diei, quo obiit Hadrianus (9). sic et *Natalis Adoptionis* dicebatur (10) et *Natalis Reditus* (11): eodemque modo *Natales Martyrum* apud majores appellati sunt ii dies, quibus potiore vitae initio sideribus recepti essent. atque haec numerus in titulo ille confirmat C · VIII · quo *Circenses Octavi*, sive imperii Antonini annus octavus, designari mihi videtur (12).

Ceterae vasorum hujusmodi inscriptiones brevissimae erant, ut quas in duabus mensae lancibus incisas memorat Petronius (13), *in quorum*, inquit, *marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, et argenti pondus*.

(1) Nov. 105. §. 1.
(2) Verr. Act. 2. l. 4. c. 21. n. 46.
(3) de L. L. l. 4. c. 26.
(4) Pind. Ol. 1. v. 1. etc.
(5) Mon. Ined. p. 136.
(6) Petr. Satyr. c. 30. Martial. l. 9. epig. 54.
(7) in Pio c. 1.
(8) ibid. c. 5.
(9) Spart. in Hadr. c. 25.
(10) id. ibid. c. 4.
(11) Cic. Att. l. 3. ep. 20.
(12) v. inscr. 441.
(13) in Satyr. c. 31. v. Reines. Cl. 4. ad inscr. 105·

PARS III.

INSCRIPTA IN TESSERIS OMNIS GENERIS

CCCCLVII. (Grut. p. 334. n. 7.)

FAVSTVS
ANTONI
SP · K · APR ·
M · LEP · L · ARR · COS ·

Tesseram hic gladiatoriam tractamus, singulos versus ex more lateribus singulis referentem. qui titulos hujusmodi interpretati sunt, omnes fere Horatii verba (1) protulerunt:

Spectatum satis, et donatum jam rude, quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo:

nec aliud designari litteris duabus SP. existimarunt, quam SPECTATVS, a populo nempe, munere gladiatorio: Gorius tamen, quod miror, SPECTACVLVM legere maluit (2). atqui legendum esse SPECTAVIT, tessera declarat a Tomasinio (3) et Fabretto (4) prolata, in qua omnibus litteris perscriptum est PHILOMVSVS · PERELI · SPECTAVIT: itaque in hac etiam legito *Faustus Antonii* servus *spectavit Calendis Aprilibus M. Lepido, L. Arruntio Consulibus,* qui fuit annus Varron. DCCLVIII. quo autem haec pertineant; paucis edisseram.

Quo tempore ludus gladiatorius, ingenuis nondum apertus, mancipiorum fere greges recipiebat alebatque, numquam fere gladiatores, qui rudem meruissent, libertate quoque statim donabantur: a gladiatura tantum, ut ait Priscianus (5), cessabant, nec in arenam descendebant, nisi auctorati: quemadmodum a Tiberio, quum in avi Drusi memoriam munus gladiatorium daret, Rudiarios quosdam revocatos scripsit Svetonius (6) auctoramento centum millium. *lanistaturam* autem, ut est in antiqua tabula (7), sive lanistae artem factitabant, et tirones in ludo tamquam veterani exercebant, nondum in libertatem asserti. nam quod Iuvenalis concessum iis dicat, ut testamentum facere possent (8),

Testandi quum sit lenonibus atque lanistis
Libertas, et juris idem contingat arenae:

haec mihi de gladiatoribus ingenuis aut libertinis accipienda videntur, qui pecunia auctorabantur. nam de aliis Vlpianus (9), *Qui in ludum,* inquit, *damnantur, non utique consumuntur, sed etiam pileari, et rudem accipere possunt post intervallum: siquidem post quinquennium pileari; post triennium autem rudem induere iis permittitur.* sed tamen Claudius Aug. gladiatori essedario, pro quo quatuor filii deprecabantur, quum rudem magno populi favore indulsisset, *tabulam,* ut ait Svetonius (10), *illico misit,* tesseram nempe, ut reor, hujusmodi, qua accepta, in gradibus sedens, civis

(1) l. 1. epist. 1. v. 2.
(2) Inscr. t. 1. p. 74.
(3) de Tesser. c. 16.
(4) Inscr. p. 38. n. 188.
(5) lib. 7. p. 767.
(6) in Tib. c. 7. n. 2.
(7) Tab. Heracl. Mazoch. p. 424. n. 49.
(8) Satyr. 6. v. 216.
(9) ex Pith. fragm. Lips. Sat. l. 2. c. 23.
(10) in Claud. c. 21. n. 11.

jam inter cives, ludos spectaret, civitatemque speetando usurparet. servos siquidem in cavea ludorum tempore sedere nefas erat: audi Tullium gravissime de Clodii seelere conquerentem: *Is mihi*, inquit (1), *etiam generis sui mentionem facit, quum Athenionis aut Spartaci exemplo ludos facere maluerit, quam Caii aut Appii Claudiorum; illi quum ludos facerent, servos de cavea exire jubebant: tu in alteram servos immisisti, ex altera liberos ejecisti: itaque qui antea voce praeconis a liberis semovebantur, tuis ludis non voce, sed manu liberos a se segregabant.*

Ergo, remota vi, servitute jam liberati videbantur, atque in numero civium haberi debebant, qui spectarent: quemadmodum libertus jam habebatur, quem domini, *libertatis dandae gratia*, ut ait Theophilus (2), *servum convivio adhibebant*. itaque non obscure veteres datam libertatem indicarunt verbo *Spectavit* in tessera gladiatorum adscripto. Romanum vero morem in ludis dedueendi sessum, quibus vaeationem dedissent, Asinius Pollio nos doeet, de Balbo Quaestore ad Ciceronem scribens (3): *Ludis*, inquit, *quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem, summo ludorum die anulo aureo donatum, in quatuordecim sessum deduxit*. item Decimus Laberius donatus a Caesare quingentis sestertiis et anulo aureo, sessum in quatuordecim e seena per orchestram transiit (4): quem deinde appellans P. Syrus, sic adloquutus est (5):

Quicum contendisti scriptor, hunc Speetator *subleva.*

atque hi quidem ob anulum aureum, quo donati fuerant, in quatuordecim *Spectarunt*, gladiatores vero pileo contenti, maeniano ultimo inter libertinos. haec jam si probas, Fabrettinam etiam tesseram (6), in qua inscriptum PAMPHILVS · SERVILI · M · S · SP · K · FEB · C · CAES · M · LEP · sic mecum interpretabere, *Pamphilus Servilii servus Manumissus Spectavit Kalendis Februariis C. Caesare, M. Lepido consulibus*, qui fuit annus Varron. DCCVIII.

DCCCLVIII. (Fabr. p. 39. n. 201.)

L · STLACCIVS
BASSVS
SP · ID · IVN ·
M · LICIN · CN · LENT · (7)

Tesseram hanc Fabrettus civis esse putat ingenui, quum praenomen ac nomen, nedum cognomen habeat Romanum: addit idem ex Lipsio, equites quoque ac senatores in arenam aliquando deseendisse (8): quod quidem non ego, non alius quispiam infieiabitur: nam ante hos ipsos consules munere, quod Iulius Caesar in foro dederat, depugnaverant Furius Leptinus stirpe praetoria, et Q. Calpenus senator quondam actorque caussarum (9). sed neque hi sunt inter gladiatores numerandi, quod semel vires suas artemque ostentarint; et qui civis erat, quum civitatem invitus non amitteret, nil huic opus tessera; nisi forte auctoratus, tamquam legitimus gladiator auctoramentum servitutis reeepisset, ac domino, ut est apud Petronium (10), corpus animamque addixisset. aut igitur Stlaecius, quum liber esset, ad ludum se ipse vendiderat, et amissa civitate inter Απολιδας numerabatur (11); aut quum genere servus esset, Bassus nomine

(1) de Harusp. R. c. 12. n. 26.
(2) ad §. 3. Inst. de libert. v. Tertull. de res. carn. c. 57.
(3) fam. l. 10. ep. 32.
(4) Svet. in Iul. c. 39. n. 4.
(5) Macr. Sat. 2. c. 7.
(6) p. 39. n. 199.
(7) Ann. Varr. 740.
(8) Lips. Sat. I. 2. c. 3.
(9) Svet. in Iul. c. 39. n. 2.
(10) in Satyr. c. 117.
(11) l. 17. §. 1. D. de poen.

(nam et Latina saepe nomina servis imposita), domini ille praenomen nomenque, libertatem adeptus, sibi in tessera incidendum curavit.

Ludos idibus Iuniis aut calendis Aprilibus quae in superiore tessera scriptae sunt, sollemnes statosque nullos fuisse, disces e calendario, quod partitione prima explanavimus: itaque extraordinarios aut privatos eos ludos habendos esse statues, quibus Faustus et Bassus manumissi sunt. sed rudiarios alios spectasse ibibus Novembribus, quo die epulum iudictivum Iovi ludorum caussa instruebatur, Fabretti tessera indicat (1): item ante diem VIII. idus Apriles, et ipsis idibus, quum ludi Matri Magnae celebrabantur, binae apud Gruterum (2) tesserae declarant.

CCCCLVIIII. (Fabr. p. 530. n. XXIX.)

VIII ·
ΑΠΟΛΛΩΝ
Η

Habet haec orbiculus osseus nummi instar, cujus adversa frons caput Apollinis refert diademate redimitum. tres alios vidi huic persimiles in Musco Kircheriano, quorum alter Herculis diademati caput exhibet, alter Castoris pileati, tertius Augusti laureati: in aversis frontibus numeri sunt Latinis item notis et Graecis inscripti litteris.. tesseras autem esse has censet Fabrettus ex earum genere, quas Xiphilinus ac Zonaras Σφαιρια ξυλινα appellarunt (3), ab Imperatoribus olim in plebem sparsas, ut quam quisque arripuisset, curatoribus oblata, congiarium nota designatum reciperet. verum has non designant Graeci illi scriptores, quum Σφαιρια ξυλινα vocent, globulos nempe, non orbiculos, eosque e ligno, non ex osse fuisse dicant. deinde quid Romano Graecis opus litteris fuit? quae sane in germanis ejus generis globulis, quos idem Fabrettus prodidit (4), non apparent, Latinae notae apparent.

Quare tesseras ego eas θεατρικας et spectatorum proprias habendas esse, haud haesitans dixerim, Graecis olim hospitibus datas, quo ludis spectatum admitterentur. hoc fere officio principes viri clientes e provinciis suos prosequebantur, ne loca eos gratuita (5) de media nocte, ac magno ferme periculo, spectandi caussa occupare necesse esset. idcirco quaesivit olim ex Tullio Clodius (6), num consuesset Siculis locum gladiatoribus dare? loca vero vel emebant, vel ab necessariis et amicis postulabant. quapropter Hermes quidam gladiator nobilis a Martiali (7) *Divitiae locariorum* est appellatus. quin et viros primarios in Circo totas aliquando tabernas tribulium caussa comparasse tradit Tullius (8): idemque questum esse Clodium narrat (9), quod soror ejus, uxor Metelli consulis, quum plurimum haberet consularis loci, unum sibi solum pedem daret. quidam etiam in Candidatorum maxime gratiam spectaculo carebant, ut virgo illa Vestalis Murenae propinqua, quae, illi locum suum gladiatorium concessit (10), in quo ipse fautorum suorum aliquem collocaret.

Tesseras igitur hujusmodi a patronis puto clientibus potissimum datas honoris caussa: numero, quem referunt, ostium indicari, quo ad spectaculum ingredi eos oporteret: manent sane adhuc numeri in fornicibus Amphitheatri Flavii, quibuscum tesserae

(1) p. 39. n. 197.
(2) p. 334. n. 5. et 6.
(3) v. inscr. 419.
(4) ibid. cer. 1. E.
(5) Svet. in Cajo c. 26. n. 6.
(6) Cic. ad Attic. l. 2. ep. 1.
(7) lib. 5. epigr. 25.
(8) pro Mur. c. 35. n. 73.
(9) ad Attic. l. 2. ep. 1.
(10) Cic. pro Mur. c. 35. n. 73.

suae notam quisque conferret. jamvero Apollinis ceterorumque Deorum capitibus maenianum vomitoriumque significari arbitror, quo Designatorem adire deberent, ut ostensa tessera ad locum quisque suum deduceretur: Designatores enim in singulis maenianis erant, qui sessum ducerent (1). ac statuas etiam multis locis, quae discrimini esse possent, in theatro fuisse, ostendere videntur Lucretii versus (2),

Namque ibi consessum caveai subter et omnem
Scenai speciem, patrum matrumque Deorumque
Inficiunt, coguntque suo fluitare colore.

nec illud apud Romanos novum, ut a Deorum signis loca quaedam denominarent: quum de Lucullo tradat Plutarchus (3), habuisse eum splendida triclinia domi nominibus Deorum notata, inque eo, quod Apollinem vocabat, cenam ex tempore lautissimam Tullio ac Pompejo apparasse.

Numeros denum in tesseris graece etiam inscriptos esse putaverim, ne fallerentur qui latine nescirent. sic inter Siculorum nummos non ita pauci occurrunt, qui praeter Graecam numeri litteram, Latinam etiam habent notam: ut jam Castellus V. C. animadvertit (4).

CCCCLX. (Ficor. Piombi t. II. n. 17.)

C · XII · C ·

Aegypti ne, inquies, mysteria hic promis, an sphingis aenigmata? non ita, bone, sed titulum omnino Circensis Tesserae e plumbo, quales ludorum tempore Candidati modo huic, modo illi dabant tribui, quam demereri vellent. neque enim fieri poterat, ut quibus illi tabernas in Circo comparassent, ii soli admitterentur, nisi adhibita tessera secerni singuli atque internosci possent. ac morem hunc tesserarum diribendarum Graecia monstraverat: de quo multa Bulengerus erudite perscripsit (5). porro titulum sic lego, *Cenaculo duodecimo Circensibus:* cenacula enim supra tabernas habebat Circus in summa portieu, quae totum utrinque Circum obibat exterius: cenacula, inquam, sive cubicula parva aut Οικησεις, ut Dionysius Halicarnasseus appellat (6), e quorum fenestris in arenam Circi despectus esset; quae eo nomine vocabantur, quod Romani, ut Varro ait (7), postquam in superiore parte cenitare coeperunt, superioris domus universa *Cenacula* dicerent. ludos autem circenses e cenaculis non plebs modo ac libertini, sed primarii aliquando viri spectabant. de Augusto Svetonius (8), *Ipse,* inquit, *circenses ex amicorum fere libertorumque cenaculis spectabat:* et de Tiberio Dio (9), Και τους γε των ἱππων αγωνας εξ οικιας και αυτος των απελευθερων τινος πολλακις ἑωρα. licuit enim diu in Circo spectare promiscue (10): quique propria senatoribus constituit loca, Claudius Aug. id tamen passus est, ut εν ιδιωτικῃ εσθητι, id est praetexta et lato clavo depositis, quo vellent loco spectarent (11). nec mirere, locum, unde ludos aliquando spectavit Tiberius, οικιαν sive domum liberti appellari a Dione: multos enim in Circo habitasse, mercimonia ibidem habuisse ac mercaturam fecisse constat (12): easque tabernas cum cenaculis a censoribus locatas putat Bulengerus (13), quas deinde qui conduxerant, ipsi quoque per ludorum dies quaestus caussa aliis elocabant.

(1) Plaut. in Poen. prol. v. 19.
(2) lib. 4. v. 76.
(3) in Luc. p. 519. C.
(4) Suppl. Par. 2. p. 135.
(5) de Theatr. l. 1. c. 28.
(6) l. 3. p. 201. n. 149.
(7) de L. L. l. 4. c. 33.
(8) in Aug. c. 45. n. 1.
(9) l. 57. p. 856. B. *ac circenses quidem et ipse ex aedibus alicujus e libertis saepe spectabat.*
(10) Svet. in Claud. c. 21. n. 6.
(11) Dio l. 60. p. 946. E.
(12) Tacit. Ann. l. 15. c. 38.
(13) de Circ. c. 35. E.

Ceterum torquet adhuc eruditos Dionysii Halicarnassei locus de Circi structura: cui lucem, si fas est, aliquam afferre conabor. is, ubi historicorum, non architectorum more Circum maximum describit (1), nihil de podio loquutus, post euripum tres esse porticus adnotavit, inaequali scilicet altitudine, quarum quae euripo proximae, gradus sustinerent lapideos; post hos ligneі essent: tum haec subjecit: Εστι δε και περι την ιπποδρομον εξωθεν ετερα στοα μονοστεγος, εργαστηρια εχουσα εν αυτη, και οικησεις υπερ αυτα, δι' ων εισιν εισοδοι τε και αναβασεις τοις επι την θεαν αφικνουμενοις παρ' εκαστον εργαστηριον· ωστε μηδεν εν χλεισθαι τας τοσασδε μυριαδας εισιουσας τε και απολυομενας hanc ego στοαν porticum summam appello; nam ετερα dicitur, non ergo e tribus una, quas numeraverat: item μονοστεγος, uno scilicet tecto, non igitur prima in plano, sed primae imposita et summa, ut binas tantum porticus in externis lateribus habuisse Circus videatur.

Iamvero ad hujus porticus summae latus interius tabernas ego alternis et scalas atque ostia in gradus ligneos patentia fuisse puto; atque ostiis simul tabernisque cenacula imposita esse, unde populus latas ad fenestras spectaret, pulcherrimo sane Circi interioris ac magnifico ad speciem ornatu. porro his exstruendis, ut ut Dionysius silentio praetermiserit, spatii aliquid ab ipsis fundamentis relictum esse fatendum est inter exteriorem imum fornicem et secundum, qui medius erat, quo scilicet inter eos muri et contignationibus gradium fulciendis, et tabernis cenaculisque sustentandis attollerentur: tum ut locus etiam infra esset latrinis forsitan, fornicatisque lenonum cellis, unde nomen deinde scortatores invenere.

Quod reliquum est, in cenaculis prandium tribulibus ab editore ludorum aliquando apparatum, verisimile est; eoque fortasse pertinent Tullii verba (2): *At spectacula sunt tributim data et ad prandium vulgo vocati.* quamquam in gradibus etiam jentare plebs solebat, interdum et equites: quod olim Augustus in equite quum minus probaret, vidissetque quemdam bibentem, misit, qui ei diceret, *Ego si prandere volo, domum eo:* cui ille, *Tu enim,* inquit, *non times, ne locum perdas* (3).

CCCCLXI. (Oderic. p. 230. n. 83.)

THOANTIS
TI · CAESARIS
AVG ·
DISPENSATORI ·
AB · TOBIS

DE
STATIONE
CAESARIS · AVG ·
TABELLARIS
DIPLOMARI
DISCEDE

Tessera est utrinque litterata, quae exiguam pateram imitatur, aerea, manubrio item aereo. geminum autem hujus titulum explicare dum aggredior, risum teneatis, amici: probabilia demum fortasse afferam. tesseram ego hanc tamquam πιττακιον tubae olim adnexam fuisse censeo, quam Thoans Tiberii Dispensator tabellario daret, quicumque Principis diplomata in provincias perlaturus esset: qua scilicet tuba dato signo, ubi ad municipia is stationesque adpropinquaret, ex tabellariorum principalium numero

(1) l. 3. p. 201. n. 149. *est autem et altera porticus Circum ambiens extrinsecus, eaque uno tecto, in qua tabernae sunt, et super has cenacula: tum per eandem ad singulas tabernas ostia et scalae occurrunt, per quas ad spectaculum descensus est: ut tot millibus intrantibus vel abeuntibus nihil tamen turbae fiat.*
(2) pro Mur. c. 34. n. 72.
(3) Quint. Inst. l. 6. c. 3.

esse nosceretur, et equos statim instratos ac vehicula ad iter conficiendum parata inveniret.

Iamvero nota illa sunt de Augusto (1), quo celerius ac sub manum adnunciari cognoscique posset, quid in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, deinde vehicula disposuisse: nimirum ut iter, qui primus instituisset, idem conficeret, quaeque accepisset, ei tradere posset praesens, ad quem missus esset. tum vero vel in familia Augusta tot illi exstitere rei vehicularis cursusque publici curatores, quos in antiquis inscriptionibus legisse te puto, *Praefectus Vehiculorum a copiis Augusti* (2), *Libertus Tabularius a vehiculis* (3), *Libertus a commentariis vehiculorum* (4), *Libertus a commentariis equorum* (5), *Praepositus Cursorum* (6), *Praepositus Tabellariorum* (7): his jam addas *Dispensatorem ab Tubis*, a quo tabellarius jussu Principis viam inturus, tubam acciperet. nihil sane tabellario praesertim Imperatoris conveniebat magis, quam tuba, instrumentum atque insigne castrense. ea olim et Graeci caduceatores atque Κηρυκες omnes usi fuerant (8). tesseram tubae adnexam fuisse, fas est, opinor, suspicari ob ipsam hanc tesseram foraminibus hiantem adhuc duobus, per quae loro trajecto penderet. nam quod *Tobis* scriptum sit, non *Tubis*, parum id refert, quum *Epistulis* quoque scripserint atque *Epistolis*, *Suboli* ac *Soboli*, et hujusmodi: ac fortasse *Tobis* arrisit magis, ut *Tubas* esse, non *Tubos* significarent.

Porro Tabellariorum publicorum magnus quidem in urbe numerus per singulas fortasse regiones erat: occurrunt enim in antiquis marmoribus *Tabellarius a porta Fontinali* (9), *Tabellarius a Ripa* (10), *Optio Tabellariorum stationis marmorum* (11), *Optio Tabellariorum officii rationum* (12). quin et Coelius praeter multos privatorum, etiam *Publicanorum Tabellarios* memoravit (13). atque hos omnes vehiculis usos, Petronius indicat (14): *Forsan*, inquit, *pernoctassemus in limine, ni Tabellarius Trimalcionis intervenisset decem vehiculis dives*. verum suos praeterea Princeps habebat sibi addictos uni: e quibus fuere *Successus* quidam apud Gruterum (15) *Caesaris Nostri Tabellarius* appellatus, et *Placidus* apud Fabrettum (16) qui *Imp. Domitiani Aug. Tabellarius* item dicitur. hi, ut reor, *de statione Caesaris Augusti* esse dicebantur, quod ibi fere in statione manerent, ubi Princeps moraretur, sive in Palatio, sive in hortis, sive in praetoriis: parati ad iter, quocumque contendere juberentur. hosque inter, quos et honoratiores fuisse puto, *Tabellares Diplomarii* appellati, qui Principis Diplomata ferrent: quorum scribendorum caussa in familia Augusta non deerat, qui *Libertus a Diplomatibus* diceretur (17). erant *Diplomata* litterae Principis ad cursum publicum usurpandum, quas ille ad certam diem, eodem exemplo complures, ad rectores provinciarum quotannis aut saepius mittebat, ut legatis darent, et iis fere, quibus in rem Principis festinatione opus esset. nam sine diplomate vehiculis uti publicis cuique vetitum: itaque Helvius Pertinax etiamtum privatus a praeside Syriae, quod sine diplomatibus cursum usurpaverat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est (18). de his Trajanus ad Plinium (19): *Diplomata, quorum praeteritus est dies, in usu esse non debent: ideo inter prima injungo mihi,*

(1) Svet. in Aug. c. 49. n. 7.
(2) Donat. Suppl. Mur. p. 86. n. 2.
(3) Grut. p. 592. n. 3.
(4) id. p. 592. n. 4.
(5) id. ibid. n. 5.
(6) id. p. 600. n. 15.
(7) id. p. 35. n. 1.
(8) Winck. M. I. Tr. Pr. p. 72.
(9) Grut. p. 624. n. 11.
(10) ib. p. 625. n. 1.
(11) id. p. 11. n. 5.
(12) Gor. Inscr. t. 2. p. 440. n. 17.
(13) Cic. Fam. l. 8. epist. 7.
(14) Satyr. c. 79.
(15) Grut. p. 589. n. 3.
(16) p. 309. n. 350.
(17) Don. Cl. 17. n. 22.
(18) Capit. in Pert. c. 1.
(19) Plin. l. 10. ep. 55. et l. eodem ep. 14. et 121.

ut per omnes provincias ante mittam nova diplomata, quam desiderari possint. Diplomata item dicta, quibus Principes civitatem dabant, aut immunitates tribuebant (1).

Tabellarem et *Tabellarium* dixisse veteres, verisimile est, ut *Tabularem* et *Tabularium*. *Diplomari* vocativo casu scriptum vel ex usu, vel quod E littera deest, ut S in *Dispensatori:* non sunt autem peregrina habenda, aut quasi parum Latina repudianda vocabula, quae sint in familia usurpata Tiberii, cui *Monopolium* et *Emblema* displicuisse scimus (2). extremo verbo *Discede* viam Tabellaris inire jubebatur: qui, quo diplomata perferre deberet, ex fasciculi sui inscriptione cognoscebat: atque huic quidem, quum ex familia Principis esset, cui rei vehiculariae curatores parebant, nil aliud opus fuisse videtur, quo equi ubique ac vehicula ei pararentur: at qui a senatu aliquando ad Imperatorem mittebantur in provincia aliqua degentem diplomata his data: ἀ γνωριζοντες, inquit Plutarchus (3), οἱ κατα πολιν αρχοντες, εν ταις των οχηματων αμοιβαις επιταχυνουσι τας προπομπας των γραμματηφορων.

PARS IIII.

INSCRIPTA IN LVCERNIS VASISQVE FICTILIBVS

CCCCLXII. (Passer. Luc. t. 2. t. 81.)

VOT · V · (4)
ANTONIN ·
A · N · (5)

Vetus fuit mos, quem adhuc retinemus, ut feriis quibusdam festisve diebus lucernae passim sub noctem in foribus ac fenestris accenderentur, quae usque in auroram arderent. de his Iuvenalis (6):

Cuncta nitent, longos erexit janua ramos,
Et matutinis operatur festa lucernis.

item Persius (7):

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae.

Caesar vero Capitolium triumphans ascendisse dicitur (8) ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus: nam Velabrum praetervehenti, axe currus triumphalis diffracto, curru alio ad reliquam pompam opus fuit: qui dum pararetur, nox supervenit. at Domitianus (9) data opera venationes gladiatoresque noctibus ad lychnuchos edidit: ut jam Cajus Aug. Scenicos ludos dederat nocturnos, *accensis*, inquit Svetonius (10), *tota urbe luminibus*. ceterum et luce faces aliquando lucernasve accensas, plane fatendum est. haec enim de Tiridatis in urbem adventu Xiphilinus (11): Και πασα μεν ἡ πολις εκεκοσμητο και φωτι και στεφανωμασι. et de reditu Neronis

(1) Svet. in Cajo c. 38. n. 3. Cic. in Pis. c. 37. n. 90.
(2) Svet. in Tib. c. 71. n. 1.
(3) in Galb. p. 1056. C. *quae municipales magistratus agnoscentes, in vehiculorum permutationibus tabellarios in viam citius dimitterent.*
(4) *Votis Quinquennalibus.*
(5) *Augusti Nostri.*
(6) Satyr. 12. v. 92.
(7) Satyr. 5. v. 180.
(8) Svet. in Iul. c. 37. n. 3. Dio l. 43. p. 355. B.
(9) Svet. in Dom. c. 4. n. 2.
(10) in Cajo c. 18. n. 3.
(11) l. 63. p. 1028. C. *et tota quidem urbs ornata erat et luminibus et coronis.*

e Graecia (1): Ες το Καπιτωλιον ανεβη, και εκειθεν ες το Παλατιον, πασης μεν της πολεως εστεφανωμενης, και λυχνοκαυτουσης, και θυμιωσης.

Ergo et *Votis Quinquennalibus Antonini Augusti* complures a figulis lucernas ea nota signatas atque divenditas puto, quae eo die accensae in fenestris disponerentur, quemadmodum nunc quoque in urbe statis diebus fieri solet. titulus in clypeo legitur, quem aligerae hinc inde Victoriolae sustinent.

Quem vero ex Antoninis figulus designare voluerit, nescio: hoc scio, hunc Elagabalum non esse: quippe qui annum imperii quintum non attigerit.

Ad has autem ferias et festos dies referas, velim, lucernam quoque, quam Fabrettus memorat (2) L. Aelii capite insignem, inscriptamque in fundo L · CAESAR: effictam nempe hanc puto adoptionis tempore, quum ab Hadriano, ut ait Spartianus (3), *Datum etiam populo congiarium caussa ejus adoptionis, collatumque militibus* H-S *ter millies; circenses editi, neque quidquam praetermissum, quod posset laetitiam publicam frequentare:* quam, opinor, laetitiam nummus quoque L. Aelii designat, cujus in aversa fronte titulus est HILARITAS · P · R · (4)

CCCCLXIII. (Bellor. Luc. part. 3. t. 4.)

OB · CIVIS · SER ·

Clypeus a figulo in lucerna expressus, et in Clypeo titulus inscriptus est. id autem ille spectasse mihi videtur, ut Clypei honorarii dedicationem ob cives ab Augusto servatos in lucerna signaret; caussamque simul ostenderet, ob quam lucernae accenderentur, festusque dies tota urbe celebraretur.

CCCCLXIIII. (Passer. Luc. t. 3. t. 51.)

IOVI · SERENO · SACR ·

Fictilem ne lucernam in Iovis templo dicatam putemus? Romae quidem vix credibile est, nisi forte in compito, aut in larario libertini hominis. sed haec inter domesticas quoque nec sacras numerari potest, quae tamen Iovi sacra dicatur, quod in ipsa Iovis simulacrum effictum est. quadrant in hunc locum Passeri viri eruditissimi verba (5): *Placuit,* inquit, *lucernas exornari; ut quidquid prae manibus habendum esset, vel religionis imaginem aliquam excitaret, et nihil esset sine documento.*

De Iove Sereno dixi ad inscr. X· lucerna haec trium ellychniorum est, sive τριμυξος, e quarum genere fuit, quae a Martiali *Polymyxos* dicitur (6). quasdam adhuc in Museis videas, quae ellychnia vel decem aut plura caperent.

CCCCLXV. (Bellor. Luc. part. 2. t. 37.)

PALLADI · VICTRICI

Haec vero ex aere est, quam in templo Palladis suspensam fuisse recte putes,

(1) l. 63. p. 1041. E. *in Capitolium ascendit, atque inde in Palatium, tota civitate coronata et cum facibus et incensis odoribus prosequente.*
(2) p. 517. n. XVII.
(3) in Ael. Ver. c. 3.
(4) Vaill. t. 1. p. 70.
(5) Luc. t. 1. in προλ. n. 11.
(6) l. 14. epigr. 41.

de templorum lychnis quaedam a me dicta ad inscr. LI. Palladis fortasse, aut certe Vestae honori ardebat Athenis perpetuo lucerna illa insignis, quam memorat Theocritus (1):

. . . . . το και λυχνιον εν Πρυτανειῳ
Φαντι γαρ αιεν αγραν τοδ' εχειν.

ne Romae quidem id novum: Lunam, quae in Palatio coleretur, *Noctilucam* Varro dictam tradit (2), et hanc addit caussam: *nam ibi noctu lucet templum*. *Victrix* appellatur Pallas, ut a Graecis Νικη Αθηνα (3): vel a pugna cum gigantibus et Enceladó superato (4); vel quod, orta inter ipsam et Neptunum controversia, uter nomen Cecropiae urbi imponeret, is ne qui equum, an qui olivam produxisset, judicio Deorum victoria Palladi adjudicata esset: cujus victoriae celebrandae Νικητηρια Αθηνας deinde instituta feruntur (5).

CCCCLXVI. (Passer. Luc. t. 3. t. 7.)

EX · OFF · P · VETTI
AD · PORT · TRIG ·

In hac figulus gladiatores duos pugnantes fecit: nomenque suum addidit et officinae locum ad portam Trigeminam, de qua dixi ad inscr. CCXXVII. porro si minus officinae, nomina certe figulorum in antiquis lucernis saepe signata, quae adhuc leguntur: quamquam multae item sunt, quae utrisque careant. fictiles, nam aereae fere catenatae, anulum ad oram contra rostrum habent, ut indito paxillo facile ligneo pedi aptarentur, quem lychnuchum dicebant. lucernas tenuiorum has fuisse putaveris: sed non alia aliquando usus est Tullius: de epistola enim sua ad Quintum fratrem ille scribit (6): *Hanc scripsi ante lucem, ad lychnuchum ligneolum, qui mihi erat perjucundus, quod eum te ajebant, quum esses Sami, curasse faciendum.*

CCCCLXVII. (Fabr. p. 502. n. 83.)

L · CALPVRNIVS · EROS · F · (7)

Haec ad oram dolii legas, quod est in hortis Perettinis. in ora fere aut collo doliorum et amphorarum nomen suum figuli sigillo imprimebant. domini vero, ubi vino aut oleo implevissent, atramento Consules aut notam, quam vellent, addebant: tum si cui dono mitterent, nomina quoque inscripta eorum, ad quos mitterent. in amphora, quam Gorius commentario illustravit (8), scriptum erat CAESENNIAE · EX · CEL · L · PVELLI GEMELLI · M · id est *Massicum* aut *Mamertinum:* in alia apud Lupium (9) FABRILES MARCELLAE · FELICITATEM. at si amphorae vitreae essent, pittacia adglutinabant: *Statim*, inquit Petronius (10), *adlatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant adfixa cum hoc titulo* FALERNVM · OPIMIANVM · ANNORVM · CENTVM: quippe antiquos titulos aliquando, ut ait Iuvenalis (11), multa veteris fuligine testae senectus deleverat.

(1) Eidyll. 21. *namque et lychnum illum in Prytaneo semper nutrimento ali dicunt.*
(2) de L. L. l. 4. c. 10.
(3) Arist. t. 1. p. 29.
(4) Hor. od. 4. l. 3. v. 56.
(5) Pott. Arch. l. 2. c. 20.
(6) lib. 3. epist. 7.
(7) *Fecit.*
(8) Prooem. ad Don. Inscr. p. 82.
(9) Epit. Sev. Mart. p. 42.
(10) in Satyr. c. 34.
(11) Satyr. 5. v. 35.

CCCCLXVIII· (Fabr. p. 520. n. 327.)

M · STATI
LVCIFERI

Fabrettus haec in sarcophagi labro inscripta reperit: ut ne in his quidem operibus nominis sui inscriptionem figuli omittendam putarint. idem autem figuli ejusdem praenomen in latere post nomen invenit STATI · M · LVCIFERI, ut apud Tullium (1) *Aelius Sextus*.

CCCCLXVIIII· (Lupius Ep. Sev. p. 45. n. 6.)

BR · OC · O · D · V ·

Titulus est amphorae, quem sic legas, *Bruttidii Oceanis Opus Doliare Vinarium*. figuli hujus nomen non semel invenies in lateribus antiquis, quos descripsit Fabrettus (2). praenomen illi fuit *Lucio*, cognomen *Augustali:* figlinis autem praerat, quae *Oceanae* dicebantur de domini, opinor, cognomine, ut dicebant *Aquam, Viam Trajanam:* et *Lucius* quidam *Oceaneolus* occurret tibi apud Gruterum (3). porro figlinae *Oceanae*, quae una primum officina fuisse videntur, geminae deinde factae: nam et *Majores* et *Minores Oceanas* referunt antiqui lateres (4). figlinas exercebat Bruttidius sub Trajano, primusque fertur Consules in doliaribus signasse: Fabrettus certe, qui plura vidit collegitque, quam ceteri, primos in Bruttidiano latere consules prodiisse docet (5) *M. Vlpium Trajanum, Sex. Articuleium Paetum*, anno Varr. DCCCLIIII· quo tempore Bruttidius Oceanis Minoribus, quae Trajani figulinae erant, imperitabat (*a*). Gruteri (6) quidem figlinum a Panvinio objici posset Neronem Aug. et Antistium Veterem Cos. referens: sed eum titulum Fabrettus fictum, opinor, clamaret rejiceretque.

CCCCLXX· (Don. Cl. 2. n. 124.)

STABVLVM · P · ACTII

Vasis fictilis titulus est in puteo reperti, quod hydriam fuisse crediderim ad aquandum; notamque illam additam esse, quia nempe ad stabulum P. Actii pertinebat.

CCCCLXXI· (apud Caj. Marin. nondum edit.)

EX · O · (7) IVLI
HONOR ·
P · M · G · T · VE ·

Ad labrum haec fictilis urnae impressa, sigillo per negligentiam inverso extre-

(1) Tusc. l. 1. c. 9. n. 19.
(2) p. 501. n. 67. 68. 69.
(3) p. 882. n. 10.
(4) Fabr. p. 518. n. 272. et 273.
(5) p. 501. n. 69.
(*a*) Marinius Frat. Ary. p. 240. et Lett. al P. Ab. Rosini p. 6. probat, primos consules in latere signatos fuisse anno Varr. DCCCLXVII., nempe *Hastam*, et *Vopiscum;* laterem vero, quem attulit Fabrettus, et cui Auctor, referendum esse ad annum DCCCLXXVI. quo consules processerunt *Q. Articuleius Pactinus*, et *L. Venuleius Apronianus*.
(6) p. 184. n. 2.
(7) *Ex Officina*,

mae litterae quid signent, minime ego statuam. sed consules tamen ibi latere si putes, quia nempe litterae Cos. in fictilibus aliquando omissae sint (1), tum eos ego consules designari dicam, qui apud Fabrettum accuratius indicantur (2) VETTIO · RVFO · ET · POMP · MATER · COS · hic vero legendum esse *Pompejo Materno Gallicano, Tito Vettio:* qui consules in fastis non apparent, et in suffectorum numero habendi sunt, qui consulatum attigerint Arriae Fadillae temporibus, quae Antonini Pii mater fuit. nam in eodem Fabretti latere inscriptum est DE PRAEDIIS ARRIAE FADILLAE CEPIONIANIS.

PARS V.

INSCRIPTA IN ARMIS ET INSTRVMENTO BELLICO

CCCCLXXII. (Tacit. Ann. l. 15. c. 74.)

IOVI · VINDICI

Haec Nero Aug. conjuratione patefacta, in eo pugione inscripsit, quem a Milicho indice delatum (3) sospes apud Capitolium sacravit. sic Tacitus, qui et de ipsa inscriptione haec adnotavit: *In praesens haud animadversum, post arma Iulii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur.* nimirum Iulius hic Vindex, quum pro praetore Gallias provinciam obtineret, primus ejus defectionis auctor fuit (4), ob quam potissimum Nero periit. sed quo ea inscriptio ad Iulii Vindicis nomen ac res commodius trahi posset, recte existimabat Boxhornius (5), oportuisse, ut non *Iovi,* sed unica inscriptum littera esset *I. Vindici,* tamquam si pugio ille *Iulio Vindici* servatus portenderetur.

Porro eodem ritu alii quoque deprehensa conjuratorum arma dedicarunt. de Cajo Aug. Svetonius (6): *Sed et tres,* inquit, *gladios in necem suam praeparatos* Marti Vltori, *addito ellogio, consecravit.* quin Vitellius Othonis etiam pugionem, quo se is occiderat, Marti item dedicandum putavit (7): Antoninus vero Caracalla, ut a Dione traditur (8), και το ξιφος, δι' ου τον αδελφον απεκτονει, αναθεινai τῳ Θεῳ ετολμησε.

CCCCLXXIII. (Maff. M. V. p. 308. n. 12.)

AVRELIVS · VICTORINVS
MIL · COH · XII · VRB ·

Inscripta haec in ora ferreae cassidis, quae in museo Barberiniano adservatur: unde *discimus,* inquit Maffejus, *Vrbanas Cohortes ferratas fuisse.* minus hoc tamen certum, hac ipsa casside usum Victorinum, qui eam forsitan in pugna ex hoste ceperat, et donum Diis nomine inscriptum suo dedicaverat. morem hunc Tullii locus illustrat (9): *In hoc fano,* inquit: loquitur autem de fano Matris Magnae apud Enguinos

(1) Fabr. p. 505. n. 118.
(2) p. 511. n. XV.
(3) Tacit. Ann. l. 15. c. 55.
(4) Svet. in Ner. c. 40. n. 1. v. inscr. 486.
(5) ad Tac. l. c. c. 74.
(6) in Cajo c. 24. n. 19.
(7) id. in Vit. c. 10. n. 8.
(8) lib. 77. p. 1307. B. *et ensem, quo fratrem sustulit, Deo dicare ausus est.*
(9) in Verr. l. 4. c. 44. n. 97.

in Sicilia: *loricas galeasque aeneas, caelatas opere Corinthio, hydriasque grandes simili in genere atque eadem arte perfectas idem ille P. Scipio vir omnibus rebus praecellentissimus posuerat, et suum nomen inscripserat.* eodem pertinet Musei Kircheriani inscriptio in scuto aeneo, quam tute extrices velim: SEX · Q · VESVAES · Q · SEX· F · D · D · (1) saepe autem nominibus honores quoque adscribebant. de spoliis opimis, quae Cornelius Cossus secunda Iovis Feretrii templo tribunus militum intulisse dicebatur, audisse se scripsit Livius (2), ipsum Augustum Caesarem ingressum aedem Feretrii Iovis, titulum Cornelii Cossi *Consulis* in thoraee linteo scriptum legisse. aeream quoque galeam apud Cannas repertam exhibet Gorius (3), in qua litterae, ut ille ait, Phoeniciae in ora interiori incisae: in hac militis nomen, qui in acie ceciderit inscriptum esse, multo mihi verisimilius videtur, quum in ipso pugnae loco reperta fuerit.

CCCCLXXIII· (Don. Cl. 6. n. 151.)

COH · III · PR ·
PRISCI
P · PONTI:::
VANI

Deseripsit haec Donius ex lamina aerea orbiculata, quam ipse quidem bullam fuisse arbitratur, armorum aut baltei ornamentum, ego vero quasi tesseram scuto quondam affixam puto P. Pontii Silvani militis ex Cohorte tertia Praetoria, et centuria Prisci, cujus forsitan notam 7 aetas delevit. in hanc me sententiam Vegetii verba adduxerunt, quae mihi videntur ad hunc titulum explanandum apposita maxime (4): *Sed ne milites*, inquit, *aliquando in tumultu proelii a suis contubernalibus aberrarent, diversis cohortibus diversa in scutis signa pingebant: ut ipsi nominant* δειγματα, *sicut etiam nunc moris est fieri. praeterea in adverso scuto uniuscujusque militis litteris erat nomen adscriptum, addito ex qua esset cohorte, quave centuria.* atque haec Flaviorum Augustorum aetate usurpata Dio ipse scripserat, cujus verbis Xiphilinus haec tradidit de Iuliano, qui bello Dacico legatus Domitiani fuit (5): Ιουλιανος τ' αλλατε παρεσκευασατο ευ, και τους στρατιωτας τα τε εαυτων ονοματα και τα των εκατονταρχων επι τας ασπιδας επιγραφαι εκελευσεν. et caussam idem addit: ἱνα εκφανεστεροι οἱ τι αγαθον αυτων, η κακον ποιουντες γενωνται. porro ante Augustos nomen etiam ducis, quem quisque sequeretur, in scuto milites inscribebant: ac T. Thorii milites in Hispania Cn. Pompeii nomen in scutis inscriptum habuisse, testatur Hirtius (6): eosdemque prope Cordubam mutata voluntate detraxisse, ut Caesarem sequerentur. quin et Cleopatrae nomen in scutis habuere Antonii milites, quibus hic Alexandriae stipatoribus utebatur (7). quid vero ipsi duces in scutis suis ostentarent, insigne ne solum gentis suae, an etiam nomen, ignoro: apud Graecos tamen hoc quoque inscriptum aliquando reperio. in area illa Cypseli apud Olympiam a Cypselidis dedicata, quam fuse deseripsit Pausanias (8), clypei Agamemnonis, in quo Terror expressus erat leonis capite, haec fuisse inscriptio dicitur (9):

Ουτος μεν Φοβος εστι βροτων, ὁδ' εχων Αγαμεμνων.

(1) Maff. M. V. p. 261. n. 14.
(2) l. 4. c. 10. n. 20.
(3) Inscr. t. 1. in praef. p. 86.
(4) de re mil. l. 2. c. 18.
(5) l. 67. p. 1108. A. *Iulianus quum alia bene disposuit, tum milites propria quemque nomina et centurionum in scutis jam tunc inscribere jussit, quo manifestius esset, quinam eorum bene, quique male se gererent.*
(6) Bell. Alex. c. 17. n. 58. 59.
(7) Dio l. 50. p. 606. D.
(8) lib. 5. c. 17. etc.
(9) ibid. c. 19. *hic quidem Terror mortalium: hoc vero gessit Agamemnon.*

CCCCLXXV. (Inscr. Sic. Cast. Cl. 1. n. 28.)

FOR · VICTRICI SENATVS · POPLS

ANTI

PLACENT · MARTI · IN · BELLO · FEROCES

Leguntur haec in signi militaris elypeolo ex aere, quod in Museo Salnitriano Panormi adservatur, e genere scilicet scutulorum, de quibus dixi ad inscr. CCLXXXXVI· nam vexilla quidem, quae Graeci Σημεια fere, eodem, quo signa, nomine vocant, imaginem Imperatoris in velo pictam, nomenque ejus puniceis inscriptum litteris praeferebant (1): at signa aquilam in fastigio aut lupam aut dracones aut manus et hujusmodi: infra vero scutula habebant anaglyptis ornata, et alia item donaria, ut multis nunc quoque in monumentis videre licet. itaque inter ea anulum quoque Marci Velseri (2) numeres, sive orbiculum argenteum octogonum binis in quolibet latere incisis litteris, hoc titulo, GENIO · CASSI · SIGNIF ·

Iamvero in adversa clypeoli fronte Fortunam Victricem Antiatinam expressit artifex globo insistentem: ad dexteram ejus militem nudum captivum; ad laevam mulierem hastatam alte succinctam: infra spolia hostium, in quibus scuta sunt ἐξαγωνα, qualia in nummis veteribus efficta videmus (3) ad victorias de Germanis designandas: ut victoria aliqua de Germanis hic quoque indicari videatur. frons vero aversa adventum Augusti exhibet: eques enim Imperator eminet, cui miles adequitat, praeit alter pedes captivum ducens, tertius subsequitur. Senatus autem et Populus Fortunae Victrici, quae Antii colebatur (4), elypeum dedicasse dicuntur, ut nempe eam quoque Deam cum signis vexillisque milites venerarentur et ex more adorarent. nam et Tacitus Deorum simulacra eum signis conjunxit, ubi Tiridatis et Corbulonis colloquium describit (5): *Dein paucis diebus interjectis magna utrinque specie, inde eques compositus per turmas et insignibus patriis; hinc agmina legionum stetere fulgentibus aquilis, signisque et simulacris Deûm in modum templi: medio tribunal sedem curulem, et sedes effigiem Neronis sustinebat.* non alia equidem simulacra significari puto, quam quae hisce in scutulis expressa essent.

Denique inter utramque frontem in ipsa clypeoli ora inscriptum est *Placent Marti In Bello Feroces:* quibus verbis milites strenui esse juberentur. saepe enim qui bellicosissimi essent, eos ferocissimos appellabant (6): quos ille plurimum probaturus erat (7),

Quem juvat clamor galeaeque leves,
Acer et Marsi peditis cruentum
Voltus in hostem.

Clypeolum alterum ex his, quae signa militaria ornabant, contemplare, si vacat, inter Inscriptiones Panormitanas (8): de illo a me ob tituli exiguitatem nihil dicetur.

(1) Dio l. 40. p. 236. E. Xiph. l. 65. p. 1067. D.
(2) Grut. p. 535. n. 9.
(3) Vaill. t. 1. p. 18.
(4) Horat. l. 1. od. 35.
(5) Ann. l. 15. c. 29.
(6) Liv. l. 1. c. 5. n. 12. Tac. Hist. l. 2. c. 24.
(7) Horat. l. 1. od. 2. v. 38.
(8) Castell. p. 250.

CCCCLXXVI· (Fabr. p. 76. n. 76.)

HIERVS · ET
ASYLVS
TI · ENVIANI
SER · HERCV
LI · D · D ·

Inscriptionem hanc, quae Herculeae Clavae inseulpta esset, e schedis Camcli se descripsisse, adnotavit Fabrettus; sed robustea ne clava illa fuerit, an ferrea, an vero aenea, non addidit: quum tamen in libro suo ipsam clavam et nodos ejus exprimendos curaverit. Herculem a servis maxime cultum donisque donatum multae indicant inscriptiones: eamque religionem inter servos antiquissimis inductam temporibus testatur Herodotus (1).

Geminos fratres servorum horum cognomines, quod jam vidit Fabrettus, commendat a forma Martialis; qui et iidem esse potuere (2):

Dat faciem Pollux Hiero, dat Castor Asillo:

legendum vero in Martiali, ut hic, *Asylo*.

PARS VI·

INSCRIPTA IN LATERIBVS TEGVLISQVE

CCCCLXXVII· (Murat. p. 499. n. 17. Fabr. p. 515. n. 202.)

CN · DOM · AMANDI
VALEAT · QVI · FEC ·

Domitius figulus prospera sibi ipse ominari, aut etiam omen a fabris lateres suos tractantibus captare voluit: quod alii quoque figuli usurparant. figlinas autem exercebant non extra urbem solum in praediis suis, aut aliorum, sed in ipsa etiam urbe: nam de figulo Esquilinae regionis narrat ex Verrio Festus (3), quum fornax plena vasorum coqueretur, atque ille proxime eam convivatus, super modum potus somno esset oppressus cum convivis suis, praetereuntem quemdam petulantem ostio patente ex mensa salinum conjecisse in fornacem, atque ita incendio excitato figulum cum suis concrematum esse.

(1) v. inscr. 26. (2) Mart. l. 9. epig. ult. (3) V. Salinum.

CCCCLXXVIII. (Murat. p. 322. n. 5.)

DOL · EX · FIG · ANTEROTIS
CAES · N · SER · PAETINO
ET · APRONIANO · COS · (1)

Doliare, ac saepius *Opus Doliare*, dixerunt veteres, quidquid a figulo veniret, amphoras, tegulas, lateres: quippe ex eadem argilla, ex qua *Dolia*, fingebantur. consules hi Hadriani tempore fuere: alius igitur *Anteros* hic ab eo, qui multis in lateribus *Severi Caes.* servus dicitur (2). quod mirum est, consules Paetinum et Apronianum saepe leges in lateribus Thermarum Antoninianarum.

CCCCLXXVIIII. (Murat. p. 2014. n. 13.)

EX · FIG · M · HERENNII · POLLIONIS · DOL ·
C · PAPPI · VITALIS

Hic vero et figulinarum dominum habes, et figulum ipsum, qui operam locabat, utrumque liberum, nominibusque Romanis gaudentem: quod sane novum non est.

CCCCLXXX. (Fabr. p. 505. n. 119.)

GALLICANO · ET · VETERE · COS · (3) OPVS · FIG ·
OFF · IVLIAE · SATVRNIN ·

Opus Figlinum hic dicitur, quod alibi *Doliare* appellatur: prodiit autem ex *Officina Iuliae Saturninae*, in qua ejus servi figlinas exercebant. matronas alias officinarum sive figlinarum dominas recenset Fabrettus (4), Vrsatum perstringens, qui Serviliae nomine in tegula lecto, ad Serviliae hanc gentis sepulcrum pertinere putavit (5).

CCCCLXXXI. (Fabr. p. 499. n. IV.)

OP · DOL · EX · PR · AVGG · NN ·
FIG · SVPERIOR · L · AMI · RVFINI

Marcum Aurelium et L. Verum Augustos hic designari, aut certe Severum et Caracallam, nemo inficietur; lateres nempe suis quoque in praediis fingi jubebant Imperatores, qui magnum aliquid moliebantur, ac multis saepe locis eodem tempore aedificabant: quorum ipsa nomina aliquando in doliari opere impressa: in latere apud Maffejum leges (6), OPVS · DOLIARE · EX · PRAEDIS · DOMINI · ANTONINI. ceterum et in aliis, quos privati fingendos curarent, Principis nomen pro consulibus aliquando positum ad notam temporis (7): IMP · CAE · TR · O · AVG · EX · FIGLI · MARC · DOLI · C · CAL · FAVORIS, id

(1) Ann. Varr. 876.
(2) Fabr. p. 500. n. 40. etc.
(3) Ann. Varr. 903.
(4) p. 498. n. 27.
(5) Mon. Patav. p. 210. n. 3.
(6) M. V. p. 289. n. 1.
(7) Fabr. p. 502. n. 78.

est *Imperatore Caesare Trajano Optimo Augusto Ex Figlinis Marcianis Doliare C. Calpetani Favoris*. vidimus autem supra *Oceanas Majores et Minores* (1): ecce nunc tibi *Figlinas Superiores*, ut ab inferioribus distinguerentur: quemadmodum alias item *Veteres*, alias *Novas* appellarunt (2).

CCCCLXXXII. (Fabr. p. 505. n. 120.)

EX · PR · L · AELI · AVG · PII · F · OP · DOLI ·
AB · ARISTIO · SVCCES ·
GALLIC · ET · VETER · COS ·

Opus Doliare ab Aristio Successo prodiisse significatur. id vero plerumque indicabant, figuli nomen genitivo casu efferentes: interdum et hoc modo (3): FAVSTVS DOMIT · TVLLI · FECIT. porro Aristius officinam habebat in praediis L. Aelii Augusti, qui cum M. Aurelio imperavit, et L. Verus dici solet. nempe is quoque Pii filius adoptione factus est: adoptionis enim lex, inquit Capitolinus, hujusmodi data est (4), *Ut quemadmodum Antoninus ab Hadriano adoptabatur, ita sibi ille adoptaret M. Antoninum fratris uxoris suae filium, et L. Verum Aelii Veri, qui ab Hadriano adoptatus fuerat, filium, qui postea Verus Antoninus est dictus.*

CCCCLXXXIII. (Fabr. p. 511. n. 159.)

FVNDVS · CRIS
PINIANI · BIPEDA

Bipedas Palladius Aemilianus appellat (5) lateres binûm pedum mensura, quibus pavimenta sternebantur. *Bipedale Doliare* leges apud Fabrettum (6), *Bipedales tegulas* apud Vitruvium (7). has vero item *Bipedas* a Palladio καταχρηστικως dici minus bene adnotavit Fabrettus: de pavimentis enim eo loco (8) agit Palladius, in quorum usum *Bipedas* jungi jubet, quae per omnia latera canaliculos habeant digitales, quos profecto in tegulis, nisi binos, fuisse non videmus: itaque non aliud ille, quam peculiares quosdam lateres designat.

Latitudine pedum duorum quaquaversus fuisse bipedas, multae passim Romae parietinae demonstrant: non ita lateres reliquos, de quibus haec Palladius (9): *Sint vero lateres longitudine pedum duorum, latitudine unius, altitudine quatuor unciarum.* docui autem superius (10), non unam in his formam mensuramque ad omnia aedificia placuisse.

(1) ad inscr. 469.
(2) Fabr. p. 499. n. IV.
(3) id. p. 516. n. 221.
(4) in Anton. Pio c. 4.
(5) l. 1. tit. 40.
(6) p. 509. n. 39.
(7) lib. 7. c. 1.
(8) Maj. tit. 11.
(9) ibid. tit. 12.
(10) ad inscr. 250.

CAPVT IIII.

Specimen inscriptionum poëticarum, sive inscriptiones selectae ex iis, quas veteres versibus confecerunt

Inscriptiones quae ex versibus constarent, Graeci maxime celebrarunt: Graeci inquam, queis *ingenium* queis *dedit ore rotundo Musa loqui:* hisque non sero illae solum placuere, sed etiam quum Graecia maxime nominis dignitate et rei militaris gloria floreret. nam regiones ejus urbesque describens Pausanias, antiqua epigrammata passim affert: nec pauca Plutarchus aliique habent, quae in aris, in templis, in sepulcris ipsi legerant, vetustissimis incisa temporibus, nec iis litteris, quibus jam tota Graecia utebatur. enimvero et Romae poëticas inscriptiones ab ipsa primorum poëtarum aetate usitatas reperio. Decimi Bruti templa ac monumenta Accii carminibus exornata fuisse, scripsit Tullius (1): Ennii, Naevii, Plauti, Pacuvii exstant epitaphia, quae ipsi fecerunt, et incidenda sepulcro reliquerunt.

Verum ex quo studia humanitatis ac litterarum coli vehementius coepta, rarius fortasse in monumentorum titulis versus usurpati, aut certe domi potius, quam in publico propositi sunt. sic Pomponius ille Atticus (2) exposuisse versibus dicitur, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestitissent: ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus describerit. quem deinde imitatus videtur Titinnius Capito: de quo Plinius quum scripsisset (3), *Est omnino Capitoni in usu claros viros colere: mirum est qua religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum domi, ubi potest, habeat:* subjecit statim, *Idem clarissimi cujusque vitam egregiis carminibus exornat.* sic in Pescennii domo simulacrum ejus iconicum ex Thebaico marmore fuisse, scribit Spartianus cum epigrammate Graeco, cujus ille sententiam Latinis versibus malis reddidit, ipsum carmen graece non protulit (4). quod si epitaphia tum quoque versibus facta novimus, ut Drusi ab Augusto (5), Verginii Rufi a se ipso (6), Voconii ab Hadriano (7); nec alii fortasse defuere, qui amicorum et consanguineorum sepulcra carminibus honestarint; quum tamen earum aetatum tot adhuc supersint tituli, paucos in his e poëticis profecto numeres, quos illis temporibus suppares judicio certo statuamus. deinde illi ipsi, qui tum aut postea inscriptiones versibus confecerunt, sic fere in epi-

(1) pro Arch. c. 11. n. 27.
(2) Corn. Nep. in Vit. n. 18.
(3) lib. 1. epist. 17.
(4) in Pescenn. c. 12.
(5) Svet. in Claud. c. 1. n. 12.
(6) Plin. l. 6. epist. 10.
(7) Apul. Apol. 1. p. 95.

taphiis haesisse videntur, ut ceteras res atque argumenta vix carmine digna judicarent: praeterquam quod hanc ipsam provinciam poëtae nobiles et ingeniosi minus saepe susceppisse videntur: quum satis magno in numero epigrammatum vix aliquid tolerabile tota nobis Bonadae (1) conquisitio et συναγωγη suppeditarit.

Quapropter ne a me quidem multa velim exempla, aut praeclara omnia exspectes: quem hactenus non propriis, sed veterum opibus tamquam spoliis nituisse videris: quamquam collectitia illa carminum serie excussa, adhibitis praeterea antiquorum scriptorum libris, in articulos quatuor caput hoc facile tribuetur, et probabiles plane inscriptiones singuli exhibebunt. epitaphia, quae potissimum in usu fuerunt, articulo primo concludam: dabit alter inscriptiones sacras: tertius vero historicas: ellogia demum quartus continebit.

PARS I.

EPITAPHIA

CCCCLXXXIIII. (Cic. Tusc. Disp. l. 1. c. 15. n. 34.)

ADSPICITE · O · CIVES · SENIS · ENNI · IMAGINIs · FORMAM
HIC · VESTRVM · PANXIT · MAXVMA · FACTA · PATRVM
NEMO · ME · LACRVMIS · DECORET · NEC · FVNERA · FLETV
FAXIT · CVR · VOLITO · VIVOs · PER · ORA · VIRVM

Epigramma hoc a Ferreto (2) inter cetera antiquorum epitaphia relatum, Fabricius Ernestusve non tam Ennio ipsi, quam Tullio tribuere videtur (3): Tullius tamen haud obscure Ennio adscribit: quippe commemorato Solonis ellogio sepulcrali, quo se negabat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare, haec subinde addit (4): *sed haud scio, an melius Ennius,*

Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Faxit:

non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. id minus liquet, versus ne aliquot inter duos primos duosque postremos desiderentur: orationem enim suam ille inter utrosque interposuit. addo, legisse quosdam, *Neque Funera Fletum* aut *Lessum Faxit;* ut *Funera* sit femina in funere plorans, de qua Servius ad Virgilium (5): *Lessus* autem vel etiam *Lausus*, ut Lipsio placet (6), funebris lamentatio. item in secundo versu scriptum alicubi *Pinxit*, non *Panxit*.

Iam de eodem Ennio idem Tullius in oratione pro Archia (7) *Carus*, inquit, *fuit Africano superiori noster Ennius: itaque etiam in sepulcro Scipionum putatur is esse constitutus e marmore:* de quo sepulcro Livius (8): *Romae extra portam Ca-*

(1) Carmina ex antiquis Lapidibus etc. Romae 1753.
(2) Mus. Lapid. p. 217.
(3) Bibl. Lat. l. 4. c. 1.
(4) de Senect. c. 20. n. 73.
(5) ad Aen. l. 9. v. 486.
(6) Epist. Quaest. l. 4. ep. 12.
(7) c. 9. n. 22.
(8) l. 38. c. 35. n. 56.

penam in Scipionum monumento tres statuae sunt: quarum duae P. et L. Scipionum dicuntur esse, tertia poëtae Ennii. atque sub hac epitaphium insculptum esse crediderim.

Ennium et Tullius et Lucretius *Nostrum* appellant (1): Rudium enim hominem majores in civitatem receperant, Horatius *Patrem* dicit (2) quasi principem poëtarum Latinorum. sed magnificentius de eodem loquutus Vitruvius (3): *Quicumque litterarum jucunditatibus instructas habent mentes, non possunt non in suis pectoribus dedicatum habere sicuti Deorum, sic et Ennii poëtae simulacrum.* scripserat hic versibus, quos prope omnes aetas invidit, Annalium Romanorum libros XVIII. tragoedias item multas et comoedias et epigrammata et satyras: quae omnia Iosephus ille Scaliger (4), si datum esset, Lucani et Statii et Silii aliorumque hujusmodi poëtarum jactura libentissime se redempturum fuisse affirmabat.

CCCCLXXXV. (Gell. N. A. l. 1. c. 24.)

ADOLESCENS · TAMEN · ETSI · PROPERAS · TE · HOC · SAXVM · ROGAT
VTEI · AD · SE · ADSPICIAS · DEINDE · QVOD · SCRIPTV' ST · LEGAS
HEIC · SVNT · POETAE · MARCEI · PACVVIEI · SITA
OSSA · HOC · VOLEBAM · NESCIVS · NE · ESSES · VALE

Senariolos hosce A. Gellius ait esse *Epigramma Pacuvii verecundissimum et purissimum, dignumque ejus elegantissima gravitate.* eum tamen Cicero (5) inter illos numerat, qui, quum ceteri omnes recte loquerentur, ipsi, quod extra urbem vixerant, aut eos aliqua barbaries domestica infuscaverat, male loquuti ferebantur. Brundusinus hic erat, et Ennii sorore genitus: pictorque idem et poëta (6): de quo, simul et de Accio, benigne Quintilianus: *Tragoediae,* inquit (7), *scriptores veterum Accius atque Pacuvius clarissimi, gravitate sententiarum verborumque pondere et auctoritate personarum. ceterum nitor et summa in excolendis operibus manus, magis videri potest temporibus, quam ipsis defuisse: virium tamen Accio plus tribuitur: Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.*

Pacuvianarum tragoediarum vix jam nomina exstant, et pauci versus; quin ipsa earum argumenta e Graecorum fabulis tantummodo nota: nisi quod illi, quae Chryses inscripta fuit, Stephani Raffeii sollertia (8) lucis adlatum est non parum, argumento inter Hygini fabulas (9) indicato, totiusque tragoediae ita distributis partibus, ut ingeniose omnino et commode versibus Pacuvianis, qui reliqui sunt, sua omnibus sedes adsignata videatur.

(1) Lucr. l. 1. v. 118.
(2) lib. 1. epist. 19. v. 7.
(3) lib. 9. c. 3.
(4) in Scaliger. p. 136.
(5) in Bruto c. 74. n. 258.
(6) Plin. H. N. l. 35. c. 4. n. 7.
(7) Inst. l. 10. c. 1.
(8) *Dissert. sopra il Crise di M. Pacuv. Rom.* 1770.
(9) Fab. n. 120. et 121.

CCCCLXXXVI· (Plin. l. 6. ep. 10.)

HIC · SITVS · EST · RVFVS · PVLSO · QVI · VINDICE · QVONDAM
IMPERIVM · ADSERVIT · NON · SIBI · SED · PATRIAE

Lucii Verginii Rufi laudes persequitur Plinius in epistola ad Romanum (1). hic quum Germaniae praeesset, legionesque apud se haberet, Iulium Vindicem novis rebus in Gallia studentem adortus, magnifice vicerat (2), delatumque a militibus imperium forti animo recusaverat (3): auctor militibus, ut Principis eligendi arbitrium potestatemque penes senatum esse paterentur. id Plinius (4) *divinum et immortale factum* appellat: quod ipse Rufus mandaverat caveratque, ut sepulcro suo versibus inscriberetur. sed hoc Plinius in socrus suae villa Alsiensi, quae Rufi fuerat, videre cupiens, anno ab ejus morte decimo nondum absolutum invenit. *est*, inquit, *adhuc imperfectum; nec difficultas operis in caussa, modici ac potius exigui; sed inertia ejus, cui cura mandata est. subit indignatio cum miseratione, post decimum mortis annum reliquias neglectumque cinerem sine titulo, sine nomine jacere, cujus memoria orbem terrarum gloria pervagetur.* idem in epistola ad Rufonem (5) Verginii consilium tuetur, qui nominis sui famam supremis etiam titulis prorogare nisus sit.

CCCCLXXXVII· (Serass. in Opusc. Caloger. t. 41. p. 372. Grut. p. 653. n. 2.)

PVDENS · M · LEPIDI · L · GRAMMATICVS
PROCVRATOR · ERAM · LEPIDAE · MORESQVE · REGEBAM
DVM · VIXI · MANSIT · CAESARIS · ILLA · NVRVS
PHILOLOGVS · DISCIPVLVS

Cur, inquies, Grammaticus iste nec praenomine nec nomine, sed cognomine tantum appellatur, qui, patrono annuente, *M. Aemilius Pudens* dicendus fuerat? nodum, opinor, in scirpo quaeris; nec alia forsitan de caussa omissum hic praenomen nomenque, quam quod, eo patronum ciente, satis intelligebatur, quo tandem praenomine appellaretur. sed si quid tamen abditum latere hic putas, lege quae superius adnotavi ad inscr. XXV· et CLXXXXIII·

De Pudentis patrono, qui Lepidae frater fuit (6), saepe meminit Tacitus, qui et virum temporibus illis gravem et sapientem fuisse scripsit (7). *Manius* illi praenomen, si libris maxime standum est: uter heic erraverit, lapicida ne, an librarius, nescio: Lipsius *Manium* legendum contendit, Rupertus Marcum, qui et binos eadem appellatione fuisse diserte ostendit (8). consul autem fuit cum T. Statilio Tauro anno Varr. DCCLXIII· deinde Asiae proconsul. hic ex familia sua Pudentem sorori procuratorem rei privatae eundemque morum magistrum imposuisse videtur, puellae scilicet, *cui*, ut ait Tacitus (9), *super Aemiliorum decus L. Sulla ac Cn. Pompejus proavi erant*. sic autem Lepida a Pudente instituta est, ut uxor L. Caesari, nurus Augusto destinari me-

(1) lib. 2. ep. 1.
(2) Plutarch. in Galb. p. 1055.
(3) Plutarch. ibid. et Dio l. 63. p. 1044. A.
(4) lib. 6. ep. 10.
(5) lib. 9. ep. 19.
(6) Tacit. Ann. l. 3. c. 22.
(7) ibid. l. 4. c. 20.
(8) ad Tac. Ann. l. 1. c. 13.
(9) ibid. l. 3. c. 22.

ruerit (1). quae Sponsalia Norisius (2) rite facta putat anno Varr. DCCLV. sed L. Caesar eodem anno mense Augusto obiit.

Existimo autem, sub ea tempora Pudentem, Lepidae fortasse ob morum severitatem jam invisum gravemque, quum domo ejus dimissus esset, Bergomum, ubi inscriptio haec reperta est, concessisse, ut in eo municipio grammaticae ludum aperiret: sed paucos tamen post menses ibidem vel moerore animi, vel morbo aliquo interiisse. haec certe si des, liqueat jam, cur adscriptum sit, *Dum vixi, mansit Caesaris illa nurus:* hoc nimirum significare epitaphii scriptor voluit, Lepidae mores, dum Pudens viveret, eoque illa magistro uteretur, sic Augusto probatos esse, ut L. Caesare, cui desponsa fuerat, demortuo, nurum tamen habere etiamtum vellet, et C. Caesari aut, relegata Iulia, Tiberio uxorem destinaret: quod ille consilium non abjecisset, nisi, ablegato Pudente, antiquos statim mores exsuere visa esset. atque id sane Pudenti gloriae vertitur non immerito; siquidem semoto eo, paulloque post mortuo, Lepida statim Augusto displicuerat: neque enim obscure optimi magistri sedulam curam, quoad vixit, utilemque praesentiam infelix ille exitus Lepidae comprobabat. contra vero si Pudentem diu post Lepidae institutionem vitam apud Bergomates produxisse contendas, quam parum Pudenti convenit cum tot aliis procul ab urbe viventi sententia illa, *Dum vixi, mansit Caesaris illa nurus?* quum non ideo Lepida destinata nurus Augusto diei posset, quod Pudens alicubi viveret, sed quod in urbe eam recte institueret regeretque.

Haec quidem stare mihi videntur. sed scrupulum tamen dubitationemque injecit Taciti locus (3), aliam ubi Lepidam memorat, ut ut de hac nusquam alias in his, quae ab eo scripta exstant, mentio ulla fiat. *Aemilia,* inquit, *Lepida, quam juveni Druso nuptam rettuli, crebris criminibus maritum insecuta, quamquam intestabilis, tamen impunita agebat, dum superfuit pater Lepidus: post a delatoribus corripitur, ob servum adulterum: nec dubitabatur de flagitio: ergo, omissa defensione, finem vitae sibi posuit.* ecce tibi Lepidam alteram Caesaris item nurum, Tiberii nempe, cujus filius fuit *juvenis Drusus;* ceterum quia Pudens M. Lepidi libertus dicitur quem prioris Lepidae fratrem fuisse constat, de hac in epitaphio sermonem esse putem.

Haec autem, postquam Augusti domum sibi interclusam esse sensit, alio se vertit, nupsitque P. Quirinio, sive potius Quirino, uti legendum censet Maffejus (4): quo ad bellum in Asiam profecto, tot Romae admisit crimina, ut redux maritus repudium ei dixerit (5). itaque alias adornavit nuptias, et a Scauro uxor ducta est (6): quo tempore nomen ejus delatum, *simulavisse partum ex P. Quirino divite atque orbo;* et *adjiciebantur,* inquit Tacitus (7), *adulteria, venena, quaesitumque per Chaldaeos in domum Caesaris, defendente ream Manio,* sive Marco, *Lepido fratre.* ob haec demum in exilium acta: verum Scauro, qui filiam ex ea genuerat, datum, ne bona publicarentur.

Pudenti Grammatico, quem utriusque linguae sermones doctum vir ipse eruditissimus facit Serassius, epitaphium posuit discipulus Philologus, qui in utroque exemplari Gruteriano *Atteius Philologus* mendose appellatur. *Philologum* tamen scientiae artisve nomen hic esse, negabat Olivierus (8), nusquam sepulcra cuiquam posita affirmans nomine professionis addito, auctoris omisso: adnotabatque idem, alios quoque *Philologos* cognomine vocitatos, ut videre item licet inscr. CXXXIII.

(1) Tac. Ann. l. 3. c. 23.
(2) Cen. Pis. diss. 2. c. 14.
(3) Ann. l. 6. c. 40.
(4) Mus. Ver. p. 108. n. 2.
(5) Tac. Ann. l. 3. c. 22.
(6) ibid. c. 23.
(7) ibid. c. 22.
(8) Diss. in Epit. L. Acut. Triph. p. 17. in not.

CCCCLXXXVIII. (Maff. M. V. p. 170. n. 2.)

NONVM · POST · DECIMVM · COMPLERAS
NVBILIS · ANNVM
VIBIA · CRVDELI · FVNERE · RAPTA · VIRO
PERMISSV DVM · TIBI · PROGENIES · ANIMO · DVM HERACLID.
ATTI FIDIS · IN · ILLA
PRIMI HEV · FACINVS · VICTRIX · ME · TVA · VOTA · GRAVANT TABVLAR ·
GENI . ET MOLLITER · AD · MATREM · PLACIDI DOMITIAE
DESCENDITE · MANES
ELYSIIS · CAMPIS · FLOREAT · VMBRA · TIBI
M · ATEIVS · EPAPHRODITVS

Vibiam Victricem Atejus deflet, sponsus sponsam; cui, quum nuptias futuramque prolem votis praesumeret, vitam inviderant fata, et grave marito vulnus inflixerant. porro et mater Vibiae obierat; itaque hanc cum parente in Elysiis jucundam ut agat vitam, precatur, ipsam Vibiae animam *Manes* appellans.

Sepulcrum alieno in loco exstructum fuerat; idcirco adscriptum est, quorum id permissu factum, Attii nempe Primigenii et Heraclidis Tabularii Domitiae, ad quos praedium pertinebat.

CCCCLXXXVIIII. (in Mus. Kircher. novo columb.)

IVLIA · METHE
HIS · FORIBVS · CARAE
RECVBANT · MIHI · CONIVGIS · OSSA
EXPECTANTQVE · SVIS · VT · MEA
CONTRIBVAM
TOSSIVS · ISTA · TIBI · PROMISIT
SAEPE · PETENTI · PRAESTABIT
MANIS · SI · MODO · TANGIT
AMOR

Sepulcrum Tossius sibi et uxori sub terra, ut plerique alii, struxisse videtur, ostiumque addidisse, quo ad loculos descensus pateret, eodem autem venturum se spondet, dummodo Manes amorem suum erga conjugem probent, et faciles boniquc in patria eum terra mori patiantur, ut cineres ejus statim in uxoris sepulcrum inferri possint. conjuges eodem saepe tumulo conditos et sepulcrales cippi et veteres poëtae testantur: quod jam superius admonui (1): filios item et parentes; quo pertinet Martialis epigramma (2):

(1) ad inscr. 197. (2) l. 1. epig. 117.

Hoc nemus aeterno cinerum sacravit honori
Foenius, et culti jugera pauca soli.
Hoc tegitur cito rapta suis Antulla sepulcro:
Hoc erit Antullae mistus uterque parens.
Si cupit hunc aliquis, moneo, ne speret agellum:
Perpetuo dominis serviet iste suis.

Quod autem Phyllis Domitiani nutrix (1) reliquias ejus cineribus Iuliae Titi commiscuisse dicatur, id eo consilio factum existimo, non tam ut in sepulcro simul essent, qui olim se mutuo amarant, quam ne Domitiani ossa, cujus omnem memoriam senatus abolendam decreverat (2), si sola condita essent, sepulcro everso in Tiberim projicerentur.

Epitaphii clausula erat aliqua in altera tabulae pagella, quae diffracta periit. litterae id quaedam indicant, quarum vestigia in marmore extrema apparent.

CCCCLXXXX. (Maff. M. V. p. 170. n. 1.)

IVCVNDVS · LIVIAE · DRVSI · CAESARIS
F · GRYPHI · ET · VITALIS
IN · QVARTVM . SVRGENS · COMPRENSVS · DEPRIMOR · ANNVM ·
CVM · POSSEM · MATRI · DVLCIS · ET · ESSE · PATRI
ERIPVIT · ME · SAGA · MANVS · CRVDELIS · VBIQVE
CVM · MANET · IN · TERRIS · ET · NOCET · ARTE · SVA
VOS · VESTROS · NATOS · CONCVSTODITE · PARENTES
NE · DOLOR · IN · TOTO · PECTORE · FIXSVS · EAT

Servus fuerat Iucundus Liviae, sive, ut Svetonius semper appellat, Livillae Germanici et Claudii sororis, quae Druso majore et Antonia minore nata, nupsit Druso minori Tiberii Aug. filio, genuitque Tiberium Caesarem Tiberii Aug. nepotem, eum, cujus anno superiore (*a*) titulus sepulcralis ad viam Flaminiam e regione Mausolei Augusti repertus est, his verbis, TI · CAESAR · DRVSI · CAESARIS . F · HIC · SITVS · EST.

Enimvero Iucundus puer Gryphum patrem, Vitalem matrem habuerat: hoc scilicet nomine mulieres etiam aliquando appellatae (3), ut jam indicavit Maffejus. *Saga Manus,* id est venefica. nomen id hactenus substantivum tantum habitum est, quamquam eodem usus Statius, alio licet sensu, *Sagas aves* et *Sagos clangores* dixit (4). *Concustodire* novum item verbum, quod tamen Forcellinus, marmoris hujus auctoritatem sequutus, inter Latina nuper recepit.

(1) Svet. in Dom. c. 17. n. 6.
(2) id. ibid. c. 23. n. 2.
(*a*) Nempe anno 1777. V. Bianconi opere t. 4. p. 77.
(3) Grut. p. 1039. n. 8.
(4) 1. Achill. v. 519. et 8. Theb. v. 204.

CCCCLXXXXI· (Maff. M. V. p. 295. n. 4.)

VALERIA · Ↄ · L · LYCISCA
XII · ANNORVM · NATA
ROMAM · VENI
QVAE · MIHI · IVRA · DEDIT · CIVIS · DEDIT · ET
MIHI · VIVAE · QVO · INFERRER · TVM
CVM · PARVOLA · FACTA · CINIS

Vt hic *Duodecim Annorum Nata*, sic apud Fabrettum occurret (1) *Annorum natam XIII.* at Cicero dixit *Vndeviginti annos natus* (2), vel *Annos ad quinquaginta natus* (3).

Serva vero quum esset Lycisea, a C. Valeria manumissa, libertatem civitatemque adepta dominae beneficio: et quia monumentum Valeria jam fecerat sibi libertis libertabusque suis, etiam in sepulcrum patronae inlata est. ingenuorum tamen sepulcra iis quoque, qui etiamtum servi essent, alieubi dominorum indulgentia patuisse, satis declarat elegans illud Dioscoridis epigramma (4):

Δουλος εγω, ναι δουλος· ελευθεριῳ δε με τυμβῳ,
Δεσποτα Τιμανθη, τον σον εθευ τροφεα.
Ευαιων' ασινη τεινοις βιον· ην δ' υπο γηρως
Προς με μολῃς, σος εγω, Δεσποτα, κ'ην Αϊδη.

Cinis feminino genere etiam apud Catullum (5) legitur, et in Veronensi epitaphio, *Cinis Hic Adoperta Quiescit* (6).

CCCCLXXXXII· (Fabr. p. 377. n. XXIX.)

VMBRARVM · SECVRA · QVIES · ANIMAEQ · PIOR ·
LAVDATAE · COLITIS · QVAE · LOCA · SANCTA · EREBI
SEDES · INSONTEM · MAGNILLAM · DVCITE · VESTRAS
PER · NEMORA · ET · CAMPOS · PROTINVS · ELYSIOS
RAPTA · EST · OCTAVO · FATIS · INSTANTIBVS · ANNO
CARPEBAT · VITAE · TEMPORA · DVM · TENERAE
FORMOSA · ET · SENSV · MIRABILIS · ET · SVPER · ANNOS
DOCTA · DECENS · DVLCIS · GRATAQVE · BLANDITIIS
PERPETVO · TALIS · GEMITV · LACRIMISQ · COLENDA
INFELIX · AEVO · TAM · CITO · QVAE · CARVIT
AN · FELIX · AEGRAE · POTIVS · SVBDVCTA · SENECTAE
SIC · HECVBA · FLEVIT · PENTHESILEA · MINVS

(1) p. 417. n. 371.
(2) in Br. c. 64. n. 229.
(3) pro Cluent. c. 40. n. 110.
(4) Ant. l. 3. c. 13.
Servus ego, nae servus, idem sed nostra sepulcrum,
Ingenuam Domini quod sobolem, ossa tegit.
Vive diu, Timanthe, Erebo sed canus alumnum
Me, Domine, ut vises, heic quoque servus ero.
(5) Carm. 69. v. 90.
(6) Maff. M. V. p. 171. n. 1.

Carmen hoc Fabrettus Catulli dignum stilo, vel certe ob elegantiam sermonis, et formam ipsam litterarum aurea illa aetate scriptum existimabat. sed plusculum fortasse, quam concederet veritas, ille sibi blanditus est: quippe marmor in ejus municipio erat.

Parentes esse, qui haec Magnillae filiae precentur, ejusque virtutes tot laudibus efferant, minime dubites: nomina eorum, ut reor, in ipsa sepulcri fronte incisa erant, carmen ad latus. quae autem de immatura Magnillae morte subjecta sunt, ea ex Graecorum penu detorta: scripserat enim Callimachus, ut a Tullio animadversum est (1), *multo saepius* lacrimasse Priamum, quam Troilum: quod ab illo Plutarchus mutuatus est (2): Μειον γαρ οντως Τρωιλος εδακρυσεν, η Πριαμος. hic vero, quum de puella sermo esset, non inscite poëta, ut adnotavit Fabrettus, pro Priamo Hecubam, pro Troilo Penthesileam posuit. et illam quidem quis nescit tamdiu vixisse, dum natorum ultimum defleret, Penthesileam vel aetate florentem Achillis dextera cecidisse?

Alia epitaphiorum exempla poëtae veteres suppeditabunt, quorum libri in manibus sunt: ac quaedam etiam ipsis horum elegiis inserta reperies: e quibus unum tibi, si libet, excerpam, omnium instar, Propertianum elegantissimum (3):

Hic Tiburtina jacet aurea Cynthia terra:
Accessit ripae laus, Aniene, tuae.

PARS II.

INSCRIPTIONES SACRAE

CCCCLXXXXIII. (Spon. Misc. p. 84. n. 26. Fabr. p. 230. n. 607.)

SILVANE · SACRA · SEMICLVSE · FRAXINO
ET · HVIVS · ALTI · SVMME · CVSTOS · HORTVLI
TIBI · HASCE · GRATES · DEDICAMVS · MVSICAS (4)
QVOD · NOS · PER · ARVA · PERQVE . MONTIS · ALPICOS
TVIQVE · LVCI · SVAVE · OLENTIS · HOSPITES
DVM · IVS · GVBERNO · REMQVE · FVNGOR · CAESARVM
TVO . FAVORE · PROSPERANTI · SOSPITAS
TV · ME · MEOSQVE · REDVCES · ROMAM · SISTITO
DAQVE · ITALA · RVRA · TE · COLAMVS · PRAESIDE
EGO · IAM · DICABO · MILLE · MAGNAS · ARBORES
T . POMPONI · VICTORIS · PROC ·
AVGVST ·

Silvanum hunc fraxino semiclusum dici arbitror, quo Deorum Terminorum ritu caput ejus humerique exstarent, reliquum corpus veluti trunco inclusum lateret. ei vero

(1) Tusc. Disp. l. 1. c. 39. n. 93. *Nam minus scilicet Troilus lacrimavit, quam Priamus.*
(2) de consol. ad Apollon. p. 115. E.
(3) lib. 4. el. 7. v. 85.
(4) Fabr. legit *Maximas* non *Musicas*.

dicaturum se magnas arbores ideo vovet Pomponius, quod ille silvis praeesse putaretur, et arbores ipse ferre, ut apud Virgilium (1),

Et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.

quin ut sua plerisque Deorum arbor sacra fuit, ita et arbores iis dicatas in poëtarum operibus saepe legas (2), ut nihil de lucis dicam, quos Deorum templa non pauca habuere: quare nihil alienum spondebat Pomponius, remque Deo illi gratissimam facturus videbatur.

Quod autem *Procurator Augusti* appelletur Pomponius, ne quaeso eum fisci aut aerarii procuratorem fuisse putes, ut censebat Bonada (3), id enim respuit refutatque senarius ille,

Dum jus guberno, remque fungor Caesarum:

parvae potius provinciae praesidem illum dixeris, qui populos Inalpinos regeret Caesarum nomine. is aliquando *Procurator* et *Praeses Alpium* (4) vocitatus est: sicut *Judaeae Procurator* dictus olim Pilatus, quum in Judaea jus diceret. nam in minores provincias equites Romani mittebantur, qui nullum etiamtum magistratum adepti fuerant: itaque non praetores non proconsules, sed procuratores et praesides appellabantur. hos ipse Augustus *non solum Aegypto,* inquit Norisius (5), *sed aliis etiam quibusdam provinciis, quae ad ipsum spectabant, imposuit, iis praesertim, quae antea a regibus tenebantur.*

At reges quosdam Alpinis gentibus primorum Augustorum aetate imperitasse, fornicis Secusini inscriptio, et alia hujusmodi monumenta declarant: Alpiumque regnum defuncto Cottio in provinciae formam a Nerone tandem esse redactum, Svetonius (6) aliique tradidere. quare vel a Nerone ipso, vel certe post Neroniana tempora procuratio haec mandata Pomponio est: quem Alpium Grajarum Procuratorem fuisse credibile est: Aximae enim inventus lapis, quae Centronum urbs fuit in Donni regno (7): nec dubitare licet, plures tum in Alpibus Procuratores esse constitutos: nam Vitelliano bello Alpium maritimarum Procuratorem Marium Maturum Tacitus memorat (8); ut et Cottiis alius, item alius atque alius reliquis impositus fuisse videatur. enimvero numerum harum in orbe Romano provinciarum, quae Procuratoribus cohiberentur, non exiguum fuisse plane constat. his enim adnumerat Tacitus Cappadociam (9), duas Mauritanias, Rhetiam, Noricum et Thraciam (10), praeter quas idem alias fuisse significat, et nos paullo ante memoravimus.

Ceterum, ut Vertranius adnotavit (11), Procuratores Augustorum in eas etiam provincias, quae praetorem aut proconsulem haberent, plerumque mittebantur, qui rationes Principis tributorum, vectigalium redituumque curarent, a Severo Alexandro (12) *malum necessarium* aliquando appellati: quibus et Vespasianus facete *pro spongiis* uti se dixerat (13). hi vero, quod parem vim res ab ipsis judicatae haberent, ac si Princeps statuisset (14), saepe auctoritate insolentius abusi, graves cum praetoribus ac proconsulibus simultates gerebant (15). sed Pomponio huic nostro, dum jus in Alpibus gubernaret, et rem Caesarum solus fungeretur, nullae cum praetore uspiam aut proconsule contentiones esse potuerunt.

(1) Georg. l. 1. v. 20.
(2) Horat. l. 3. od. 22. etc.
(3) Cl. 1. n. 49. 5.
(4) Salmas. in Hadr. Spart. c. 13.
(5) Cen. Pis. diss. 2. c. 11.
(6) in Ner. c. 18. n. 2. Euseb. Eutr. Vict.
(7) Cluv. Ital. Ant. l. 1. c. 12.
(8) Hist. l. 3. c. 42.
(9) Ann. l. 12. c. 49.
(10) Hist. l. 1. c. 11.
(11) ad Tac. Hist. l. 3. c. 42.
(12) Lampr. in Alex. c. 46.
(13) Svet. in Vesp. c. 16. n. 4.
(14) Tac. Ann. l. 12. c. 60.
(15) id. ibid. l. 14. c. 32.

CCCCLXXXXIIII. (Smet. Ord. 2. p. 23. n. 4. Grut. p. 43. n. 7.)

ALCIDE · SACRI · GENERIS
DECVS · HOC . TIBI
PRAETOR
ET · IOVIS · ANTISTES
DEDICO · PERPETVVS

Sacrum Genus dicitur, quod Virgilius dixit *Divum Genus* (1), ipsi nempe Heroes, quibus a Diis genus erat, sive, ut Herculi, ab Iove summo, Deorum rege et parente. lapis Romae repertus: itaque a praetore urbano signum Herculi dedicatum puto. huic vero Bonada nomen fuisse *Perpetuo* existimabat: cui equidem non assentior: quippe *Antistes Iovis Perpetuus* non alius est, quam *Flamen Dialis*, quod sacerdotium perpetuum erat, eo licet multos annos in urbe Iupiter caruerit, quum post L. Cornelii Merulae mortem, qui anno Varr. DCLXVII. sibi venas incidit, usque ad annum DCCXXXXIIII. neminem suffectum fuisse, Tacitus (2) Dioque (3) tradiderint. sic autem perpetui Flamines erant, ut quidam tamen flaminio abdicare se coacti sint, quod sacra rite non fecissent: de quibus haec a Valerio Maximo accepimus (4). *P. Cloelius, M. Cornelius Cethegus, et C. Claudius propter exta parum curiose admota aris Deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diversis, flaminio abire jussi sunt, coactique etiam. at Sulpicio inter sacrificandum apex e capite prolapsus eidem sacerdotium abstulit.*

Porro alios quoque Flamines magistratum gessisse scimus: de A. Postumio sic Florus (5): *Caecilius Metellus Pontifex Maximus A. Postumium consulem, quoniam idem et Flamen Martialis erat, quum is ad bellum gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere.* eadem de Q. Fabio Pictore Flamine Quirinali a Livio narrantur (6): qui, quum praetor esset, et in Sardiniam invito Pontifice maximo proficisci vellet, dicto audiens esse Pontifici jussus est.

CCCCLXXXXV. (Grut. p. 99. n. 2. Don. Cl. 4. n. 55.)

LITORIBVS · NOSTRIS · QVONIAM · CERTAMINA · LAETVM
EXHIBVISSE · IVVAT · CASTOR · VENERANDEQVE . POLLVX
MVNERE · PRO · TANTO · FACIEM · CERTAMINIS . HVIVS (7)
MAGNA · IOVIS · PROLES · VESTRA · PRO · SEDE · LOCAVI
VRBANIS · TATIVS · (7) GAVDENS · ME · FASCIBVS · AVCTVM
NEPTVNOQVE · PATRI · LVDOS · FECISSE · SABINOS

Ostiae inscriptio exstat, qua forsitan in colonia natus Tatius, quippe ea littora sua vocat. praetor idem aut consul Romae factus, ludos Ostiae, Tyndaridis propitiis, quorum alter equis gaudebat, alter pugnis (8), in Neptuni honorem ediderat: huic enim Deo ipse Romulus Circenses sacraverat, et Consualia a Conso Neptuno appella-

(1) Aen. l. 5. v. 45.
(2) Ann. l. 3. c. 58.
(3) l. 54. pag. 766. C.
(4) l. 1. c. 1. n. 4.
(5) Epit. Liv. lib. 19.
(6) lib. 37. c. 34. n. 51.
(7) Donius pro *Hujus* habet *Ipsam*, et pro *Tatius*, *Catius*.
(8) Horat. l. 2. satyr. 1. v. 26.

rat (1): quos ludos fortasse a Sabinarum raptu *Sabinos* etiam vocabant: quamquam Fabrettus (2) non *Sabinos* hic sed *Saturno* legit, Vulpius neutrum inscriptum fuisse contendit (3): quum tamen jam Donius *Sabinos* legisset. nomen demum ludis hisce hoc quoque impositum, *Ludos Castorum*, eosque biduo celebratos, septimo et sexto calendas Februarias, didici ex veteri Kalendario Polemei Silvii, cujus jam superius memini: sic enim in eo ad VII· et VI· Kal. Febr. adscriptum esse, Bollandus tradidit (4)

LVDI · CASTORVM · OSTIIS · QVAE · PRIMA · FACTA · COLONIA · EST

Iam et illud constat, templum Castorum Ostiae fuisse, ubi nautae iis, quod maris potentes putarent, vota solvebant (5). hoc in templo Tatius, sive ante ipsum in pronao *faciem certaminis* dicavit, tabulam scilicet pictam, quae eos ludos referret. sic libertus Neronis, ut ait Plinius (6), *quum daret Antii munus gladiatorium, publicas porticus investivit pictura, gladiatorum ministrorumque omnium veris imaginibus redditis:* quod primus monstraverat C. Terentius Lucanus, de quo dixi ad inscr. CCCLIII· apud Donium (7) leges, *Idem Basilicam, In Qua Tabulae Muneris Ab Eo Editi Positae Sunt, Consummavit.*

CCCCLXXXXVI· (Grut. p. 53. n. 8.)

MERC · SACR·
SVM · DEVS · ALATIS · QVI · CRVRIBVS · AETHERA · CARPO
QVEM · PEPERIT · SVMMO · LVCIDA · MAIA · IOVI

Eadem de Mercurio Virgilius (8):

. . . . . *pedibus talaria nectit*
Aurea: quae sublimem alis sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

de Mercurii vero matre Hesiodus (9):

Ζηνι δ' αρ' Ατλαντις Μαια κυδιμον Ερμην.

eaque *Lucida* hic dicitur, quod Plejadum una esset, quae Atlante et Plejone sive Oceanitide genitae, inter sidera relatae putabantur (10). inscriptio in agro Veronensi reperta: qua tamen nobilissimi municipii Museum caret; neque e tot, quae passim Mercurio positae occurrunt, nisi unam habet (11).

CCCCLXXXXVII· (Grut. p. 50. n. 2.)

ARGIVE · VICTOR
HERCVLES
DONVM · HOC
TIBI · VRBANVS
PRAETOR
VELDVMNIANVS
IVNIVS

(1) Liv. l. 1. c. 4. n. 9.
(2) in emend. Grut. 1. cer. 2.
(3) Vet. Lat. t. 6. p. 201.
(4) Act. Ss. Ian. t. 1. praef. §. 3.
(5) Vulp. l. c.
(6) H. N. l. 35. c. 7. n. 33.
(7) Cl. 4. n. 68.
(8) Aen. l. 4. v. 239.
(9) Theog. v. 938. *Iovi autem Atlantis filia Maja peperit inclutum Mercurium.*
(10) Hygin. Fab. 192.
(11) Maff. M. V. p. 81. n. 9.

Scnarii duo sunt a Iunio Veldumniano praetore urbano in simulacri basi, quod Herculi dedicabat, inscripti. Clemens Blasius vir doctus, lapide inspecto, legendum *Veldumnimius* affirmavit (1): at Smetio standum contendunt alii, qui primus lapidem vulgavit, nec aliud se adhuc videre putant, quam *Veldumnianus:* et prostat lapis ad clivum Scauri in bibliotheca Camaldulensium.

Herculem Varro (2) *Victorem* appellatum existimat, quod omne animalium genus vicerit. *Argivum* autem dictum putaverim, quod apud Argos Lernacam Hydram confecerit, sive, ut mavis, Lernam paludem siccaverit: qua de re gloriantem eum in Trachyniis induxerat Sophocles, ut Tullius exposuit (3):

Haec dextra Lernam taetram, mactata excetra,
Placavit.

At illud diligentius quaerendum, quid olim Herculi cum praetoribus? nam multae omnino inscriptiones dona ab his Herculi data, dicata declarant: ut quae paullo ante allata (4), aliacque apud Gruterum (5); qui autem ea de re inquisierit, nemo fortasse reperietur. porro, ut a consulibus, sic a praetoribus sacra quaedam sollemnia fieri debuisse, satis constat. vidimus id ad inscr. LXII. in qua dies quoque indictus est, quo die praetor litare deberet. quapropter errare jam eum non putem, qui hoc statuat, praetores plerosque, ut sacrificii a se rite peracti, et praeturae item gestae monumentum exstaret; idcirco, fide liberata, donum etiam aliquod Diis dedisse, nomine suo et magistratu marmori inscriptis. cur vero Herculi potissimum sacra facerent, trochaicos, qui sequuntur, si perleges, facile adsequeris: quo ego loco quid sentiam, paucis exponam.

CCCCLXXXXVIII. (Grut. p. 47. n. 3.)

HERCVLES · INVICTE · CAVTVS · HOC · TVO · DONVm · *Libens*
NVMINI · SANCTO · DICAVIT · PRAETOR . VRBIS · *Annius*
CVM · PIA · SOLEMNE · MENTE · RITE · FECISSET . *Tuum*
TRADIDISTI · QVOD · POTITIS · EVANDREO · *Saeculo*
ADMINISTRANDVM · QVODANNIS · HIC · ADES · *Votis* · *Favens*

Ecce tibi praetores urbanos in Potitiorum locum suffectos, qui sacra Herculi quotannis facerent. nota ea sunt, quae de Ara Maxima ab Evandro Herculi hospiti constituta narrantur. haec in urbe Dionysii Halicarnassei aetate mancre eadem putabatur, ac multum plane religionis etiamtum habebat. Ὁ δὲ βωμος, inquit (6), ἐφ' οὐ τας δεκατας επεθυσεν Ηρακλης, καλειται μεν ὑπο Ρωμαιων Μεγιστος, εστι δε βοαριας λεγομενης αγορας πλησιον, αγιστευομενος, ει και τις αλλος, ὑπο των επιχωριων. ὁρκοι τε γαρ επ' αυτῳ και συνδηκαι τοις βουλομενοις βεβαιως τι διαπραττεσθαι, και δεκατευσεις χρηματων γινονται συχναι κατ' ευχας. de arae autem hujus vetustate minus dubitasse veteres puto, quod nec opere nec ornato insignis esset: addit nempe Dionysius: τῃ μεν τοι κατασκευῃ πολυ της δοξης εστι καταδεεστερος. de hac nuper a Xaverio Mattejo fusius actum est (7).

(1) ap. Oderic. p. 304.
(2) apud Macrob. sat. l. 3. c. 6.
(3) Tusc. Disp. l. 2. c. 9. n. 22.
(4) inscr. 494.
(5) p. 46. n. 5. p. 47. nn. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. etc.
(6) lib. 1. Ant. p. 33. *Ara vero, ad quam Hercules decimas immolavit, Maxima a Romanis vocatur, et prope forum boarium sita est: qua non aliam magis indigenae venerantur . quippe ad eam et jurant et paciscuntur, quicumque aliquid stabile perfectumque esse velint: decimae etiam bonorum cum votis crebro dedicantur . . . ejus quidem ornatus multo fama inferior est.*
(7) Exerc. 2. n. 6.

Iamvero sacris ad hanc faciendis sive ipse Hercules, sive Evander Potitios et Pinarios, quae tum familiae maxime inclitae ea loca incolebant, primus adhibuit: *Potitii,* inquit Livius (1), *ab Evandro edocti, antistites sacri ejus per multas aetates fuerunt, donec tradito servis publicis sollemni familiae ministerio genus omne Potitiorum interiit.* ejus ministerii delegandi auctor Appius Censor, quam ob rem memori Deûm ira post aliquot annos luminibus captus ferebatur (2). ceterum qui *Originem Gentis Romanae* scripsit, quicumque is fuit, diserte tradit (3), extincta familia Potitiorum, *sacra penes Pinarios resedisse,* qui antea nempe, quod primo extis adesis ad sacrum venissent, Potitiis primas concedere jussi, extis sollemnibus vesci non poterant, *eosque tam religione, quam etiam pietate edoctos mysteria ejusmodi fideliter custodisse.* huic vero si assentimur, fateamur, necesse est, serius ea sacra servis publicis commendata. sed quorumcumque eae vices fuerint, ex quo sacrorum Herculeorum cura servis est mandata publicis, ita hos jamtum, quae Potitiorum ministeria fuerant, praestare solitos arbitror, ut sacrum praetor ipse urbanus faceret, illi apparerent: cujusmodi munere fungebatur *Collegium Victimariorum,* de quo Fabrettus (4), ceterique omnes, qui *Sacris Publicis Praesto Esse* (5) dicebantur. de sacrificio autem, quod publice quotannis ad aram Herculis a *Praetore Vrbano* fieret, diserte loquitur Varro, et juvencam immolari solitam tradit (6). sic cautum satis, ne sacra Herculis interirent.

Titulus a Mazochio primum descriptus e lapide rotundo Romae invento, quem jam deformarat vetustas, extremis versuum verbis deletis: quos tamen scite admodum suppletos accepimus. de Annio Cauto, id enim praetori cognomen fuisse videtur, nihil est, quod sciam, in historia: erudita aetate eum vixisse versus indicat satis politi. *Solenne* et *Solennia* vel probatissimi scriptores usurparunt (7), ut stata sacra et celebritates anniversarias significarent, veluti *Publicum Solenne, Solennia Ludorum,* et hujusmodi. scribebant autem et *Solenne* et *Sollemne* aut *Solemne,* ut *Quodannis* et *Quotannis.*

CCCCLXXXXVIIII· (Vita Ant. Ben. t. 1. p. 63. n. 2.)

LIMEN · AD · HOC · POPVLI · PERSOLVITE · VOTA · TONANTI

Discе hinc Beneventi etiam templum Iovis Tonantis fuisse: cujus cultum Augusti exemplo coepisse putat Vita, postquam is Romae aedem Iovi Tonanti fecerat (8), *liberatus periculo, quum expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam ejus fulgur perstrinxisset, servumque praelucentem exanimasset.* haec in supero templi limine inscripta, ut occurrerent ingredientibus: quo item loco Christiani veteres multis in templis epigrammata incidenda curarunt (9).

(1) l. 1. c. 4. n. 7.
(2) idem l. 9. c. 20. n. 29.
(3) edit. Silburg. post Dionys. Halic. p. 774.
(4) p. 450. n. XIII.
(5) Grut. p. 269. n. 2.
(6) l. 5. de L. L. c. 8.
(7) Liv. l. 38. c. 35. n. 57. Cic. Har. Resp. c. 10. n. 21. etc.
(8) Svet. in Aug. c. 29. n. 10.
(9) Grut. p. 1165. seq.

PARS III.

INSCRIPTIONES HISTORICAE

D. (Grut. p. 1065. n. 7.)

DIGNE · DOCTILOQVEIS · PICTVREIS · CONDECORAVIT
REGINAE · IVNONI · SVPREMI · CONIVGI · TEMPLVM
MARCVS · LVDIVS · ELOTAS · AETOLIA · ORIVNDVS
QVEM · NVNC · ET · POST · SEMPER · OB
ARTEM · HANC · ARDEA · LAVDAT

Adnotat Gruterus, marmor Romae esse in hortis Iulii II. Pont. Max. liquet tamen, versus e Plinio exscriptos esse, incisosque ad ejus villae ornamentum. Plinii ipsius verba afferam (1): *Decet,* inquit, *non sileri et Ardeatis templi pictorem, praesertim civitate donatum ibi et carmine, quod est in ipsa pictura his versibus.* primus tamen versus sic fere scriptus in Plinii exemplaribus:

Dignis digna loca picturis condecoravit,

ut *Templum* et *Digna Loca* conjungere opus sit, ac litteram A ultimam quae caesura est, producere per διαστολην. in altero versu legitur *Iunonis Supremi Conjugis:* dativo casu malim, ut *Iunoni* et *Conjugi* sit, vocali ultima brevi, Graeco more, velut Παλλαδι, quod poëtae et vetusto et Ardeati dandum est. *Supremus* autem est ipse Iupiter. Εἵλωτας Lacedaemonii, ut in Strabone vidit Harduinus (2), transfugas appellabant: sed *Helotas* scribendum fuerat, si Grammaticos audiamus: *Oriundus* trium syllabarum hic est δια συναιρεσιν: neque id novum: leges enim et apud Lucretium (3):

Denique caelesti sumus omnes semine oriundi.

Ardea olim Rutulorum urbs, caput gentis. inter Ostiam et Antium, quae, Turno devicto, ab Aenea incensa (4), deinde restituta fuerat, nunc vicus, de qua iterum ac verius dici possit (5),

. . . . . *Locus Ardua quondam*
Dictus avis, et nunc magnum manet Ardea nomen,
Sed fortuna fuit.

Addit Plinius de picturae versibus: *Ea sunt scripta antiquis litteris Latinis:* sic et Livius loquutus (6): *Lex vetusta est, priscis litteris verbisque scripta.* antiquae ergo litterae non plane eaedem, atque illae, quas Augustorum temporibus usurpatas marmora exhibent. litteras tamen suas Graeci magis, quam Latini immutarunt: *Formae,* inquit Tacitus (7), *litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum:* quod Plinius ipse (8) jam docuerat, et vetusti adhuc nummi atque marmora ostendunt.

(1) H. N. l. 35. c. 10. n. 37.
(2) l. 6. p. 276.
(3) lib. 2. v. 990.
(4) Ovid. Metam. l. 14. v. 573.
(5) Virg. Aen. l. 7. v. 411.
(6) l. 7. c. 2. n. 3.
(7) Ann. l. 11. c. 14.
(8) H. N. l. 7. c. 58. n. 58.

DI. (Plin. H. N. l. 31. c. 2. n. 3.)

QVO · TVA · ROMANAE · VINDEX · CLARISSIME · LINGVAE
SILVA · LOCO · MELIVS · SVRGERE · IVSSA . VIRET
ATQVE · ACADEMIAE · CELEBRATAM · NOMINE · VILLAM
NVNC · REPARAT · CVLTV · SVB · POTIORE · VETVS
HIC · ETIAM · APPARENT · LYMPHAE · NON · ANTE · REPERTAE
LANGVIDA · QVAE · INFVSO · LVMINA · RORE · LEVANT
NIMIRVM · LOCVS · IPSE · SVI · CICERONIS · HONORI
HOC · DEDIT · HAC · FONTES · QVVM · PATEFECIT · OPE
VT · QVONIAM · TOTO · LEGITVR · SINE · FINE · PER · ORBEM
SINT · PLVRES · OCVLIS · QVAE · MEDEANTVR · AQVAE

Apponam Plinii verba, ubi de differentia aquarum, medicinis et observationibus agit: *Oculis vero* (medentur) *Ciceronianae: digna memoratu villa est ab Averno lacu Puteolos tendentibus imposita littori, celebrata porticu ac nemore, quam et vocabat M. Cicero Academiam, ab exemplo Athenarum, ibi compositis voluminibus ejusdem nominis, in qua et monumentum sibi instauraverat, ceu vero non et in toto terrarum orbe fecisset. hujus in parte prima, exiguo post obitum ipsius, Antistio Vetere possidente* (consulatum hic gessit cum Balbo anno Varr. DCCXXXXVIII·) *eruperunt fontes calidi perquam salubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullii, qui fuit e libertis ejus, ut protinus noscatur etiam ministerium ejus, ex illa majestate: ponam enim ipsum carmen, dignum ubique, et non ibi tantum legi.*

DI. (Montfauc. Diar. It. p. 153.)

AEGERIA · EST · QVAE · PRAEBET · AQVAS
DEA · GRATA · CAMOENIS · ILLA · NVMAE
CONIVNX · CONSILIVMQVE · FVIT

Ovidii versus sunt (1), quos tamen marmor exhibet in hortis Iustinianorum: eos antiquitus insculptos, post Flaminium Vaccam censuit Montfauconius: qui ad ipsum Aegeriae fontem via Latina positum lapidem existimavit· de Numa et Egeria Livius (2): *Simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse: ejus se monitu, quae acceptissima Diis essent, sacra instituere, sacerdotes suos cuique Deorum praeficere.* idem deinde de fonte ipso (3): *Lucus erat, quem medium ex opaco specu fons perennis rigabat aqua: quo, quia se persaepe Numa sine arbitris, velut ad congressum Deae, inferebat, Camoenis eum lucum sacravit.* Ovidius autem (4) ipsam Aegeriam, sive Egeriam, utroque enim modo scripsere, Numae conjugis morte perculsam, assiduoque fletu confectam, a Diana in fontem sui nominis conversam esse fabulatur.

Eminvero titulos hujusmodi fontibus addere, Graecorum quoque consuetudo fuerat. mitto, quos in Anthologia habemus, qui fortasse chartis tantum mandati: terna Vitru-

(1) Fast. l. 3. v. 275.
(2) lib. 1. c. 8. n. 19.
(3) ibid. n. 21.
(4) Metam. l. 15. v. 487. et 547.

vius epigrammata edidit antiquae venustatis, aut certe commemoravit (1), (quidam ab Isigono veteri aquario adjecta putant (2)), quorum primum in Arcadia ad Clitoris fontem, alterum in insula Chio, tertium Susis ad ipsa item aquarum capita legebantur.

DIII. (Bandur. Ant. C P. t. 1. l. 7. p. 182. ex lect. Christoph. Bondelmontii. Grut. p. 185. n. 7.)

DIFFICILIS · QVONDAM · DOMINIS · PARERE · SERENIS
IVSSVS . ET · EXTINCTIS . PALMAM . PORTARE · TYRANNIS
OMNIA · THEVDOSIO · CEDVNT · SVBOLIQVE · PERENNI
TERDENIS · SIÇ · VICTVS · EGO · DOMITVSQVE · DIEBVS
IVDICE · SVB · PROCLO · SVPERAS · ELATVS · AD · AVRAS

Inscriptionum historicarum, quae versibus confectae sint, exiguus restat numerus, ut ne istae quidem, quas admisi, contemnendae sint, haec nimirum, et quae proxima sequetur: quibus sane anteposuissem Laceri titulum Gruterianum (3), aevo Trajani ad pontem Tagi inscriptum, nisi et poëtae obscuritate, et vetustatis injuria commotus essem.

Duo epigrammata adscripta leguntur in basi obelisci illius e Thebaico lapide, qui stat adhuc in medio hippodromo Constantinopoli (4): et hoc quidem, quia Latinum, in prima fronte: in latere autem occidentali Graecum, quod sequitur (5):

Κιονα τετραπλευρον, αει χθονι κειμενον αχθος,
Μουνος αναστησαι Θευδοσιος βασιλευς
Τολμησας, και Προκλος επεκλετο· και τοτος εστη
Κιων ηελιοις εν τριακοντα δυο.

de utroque autem epigrammate Filelfus (6), *Legi*, inquit, *ad hippodromum Constantinopolis in marmoreis quibusdam tabellis sub pulcherrimo illo obelisco versus quosdam ad partem anteriorem obelisci Latinos, ad posteriorem autem Graecos, et utrosque heroicos, et item utrosque admodum ineptos*. hic nempe Aristarchus non vidit, Graecos versus impariter junctos, alios hexametros esse, alios pentametros.

Adnotavit Bandurius, a Theodosio Magno, non a juniore, obeliscum erectum esse, Valentiniano Aug. IIII. et Neoterio Cos. curante Proclo, non architecto, ut Brodaeus putavit (7), sed Praefecto Vrbi: quippe Proclus Patricius eo ipso anno et proximo superiore Constantinopolitanae urbis praefecturam obtinebat (8). Obelisci basim praeter titulos αναγλυφα etiam ornant, quae a Gyllio accurate descripta sunt (9):

(1) lib. 8. c. 3.
(2) Galian. ibid.
(3) p. 162. n. 1.
(4) Bandur. Ant. C P. t. 2. p. 848. n. 412.
(5) Grut. pag. 185. n. 6. *Columnam quadrilateram, humi semper jacens pondus, Solus erigere Theodosius Imperator Ausus, et Proclus accersitus: ac tanta erecta est Columna intra dies triginta duos.*
(6) lib. 6. epist. 6. ad Franc. Barb.
(7) ad Anthol. l. 4. ep. 335.
(8) L. 6. Cod. Theod. de Agent. in reb. L. 3. de tut. et Curat. C. tit. eod.
(9) Topogr. C P. l. 2. c. 11.

IIII· (Grut. p. 161. n. 2.)

QVAM · BENE · CVRBATI · DIRECTA · EST · SEMITA · PONTIS
ATQVE · INTERRVPTVM . CONTINVATVR · ITER
CALCAMVS · RAPIDAS · SVBIECTI · GVRGITIS · VNDAS
ET · LIBET · IRATAE · CERNERE · MVRMVR · AQVAE
ITE · IGITVR · FACILES · PER · GAVDIA · VESTRA · QVIRITES
ET · NARSIM · RESONANS · PLAVSVS · VBIQVE · CANAT
QVI · POTVIT · RIGIDAS · GOTHORVM · SVBDERE · MENTES
HIC · DOCVIT · DVRVM · FLVMINA · FERRE · IVGVM

Titulum hunc via Salaria legimus adhuc ad pontem Anienis, ibidemque alterum, quo versus hi apprime explanantur (1): IMPERANTE · D · N · PIISSIMO · AC · TRIVMPHALI · SEMPER IVSTINIANO · P · P · AVG · ANN · XXXVIII · NARSES · VIR · GLORIOSISSIMVS · EX · PRAEPOSITO · SACRI PALATII · EX · CONS · ATQVE · PATRICIVS . POST · VICTORIAM · GOTHICAM · IPSIS · EORVM · REGIBVS CELERITATE . MIRABILI . CONFLICTV · PVBLICO · SVPERATIS · ATQVE · PROSTRATIS · LIBERTATE · VRBIS ROMAE · AC · TOTIVS · ITALIAE · RESTITVTA · PONTEM · VIAE · SALARIAE · VSQVE · AD · AQVAM · A NEFANDISSIMO · TOTILA · TYRANNO · DISTRVCTVM · PVRGATO · FLVMINIS · ALVEO · IN · MELIOREM STATVM · QVAM · QVONDAM · FVERAT · RENOVAVIT·

Pontem ibidem antiquis temporibus fuisse constat: memorat enim Livius (2), ad tertium lapidem Salaria via Gallos trans pontem Anienis castra habuisse scribens. pontes autem omnes, qui circa urbem essent, a se disjectos testatur Totilas in concione ad milites (3): τασδε του ποταμου γεφυρας, τουτου ἑνεκα, καθελειν εγνωκα, ὡς μη τι παθοιμεν ἐξ ἐπιδρομης απροσδοκητον: ut hunc etiam abrupisse intelligendus sit.

Porro carmina Narseti pro titulis placuisse, eaque in pontibus, altera inscriptio indicat apud Constantinum Porphyrogennetem (4), quae ad Casulinum in Campania posita, vel Graecis vel Latinis versibus ejus de Butalino Francorum duce victoriam extollebat.

PARS IIII·

ELLOGIA

DV· (Grut. p. 43. n. 2.)

TRANSIVI · INTREPIDVS · PER · MILLE · PERICVLA . VICTOR·
NON · ACIES · FERRI · NON · CLAVSIS · MOENIA · PORTIS
CONATVS · TENVERE · MEOS · DOMAT · OMNIA · VIRTVS

Subscripta haec signo Herculis, quod Augustae est, caput humerosque leonina pelle tegentis, et clavam illam ferarum domitricem utraque manu intentantis.

Moenia autem et portas, quas hic se perfregisse gloriatur, Trojae fuisse credide-

(1) Grut. p. 161. n. 1.
(2) lib. 7. c. 6. n. 9.
(3) Procop. B. Goth. l. 3. c. 35. *fluminis autem pontes interscindendos putavi hac de caussa, ne quid improviso per irruptionem ferendum esset.*
(4) de Them. l. 2. th. 11. n. 79.

rim: eam enim urbem expugnasse ac diripuisse dicitur, quum, Hesione liberata, Laomedon rex promissis non staret, et pactam ac constitutam mercedem non tribueret (1).

Ceterum illam Herculis virtutem Amor perdomuit, exuviis ejus armisque ablatis: quo spectat scitum Castilionis epigramma in Cupidinem Praxitelis (2):

Hoc Amor Herculea sopitus pelle quiescit:
Pulvinum capiti subdita clava facit.
Has nunc exsuvias praefert, magno Hercule victo.
Pro pelle, et clava nunc gerit ille colum.
At puerum Veneris somno, et sudore madentem
Praxiteles Parium transtulit in lapidem.
Tu vero, hospes, abi, aut leni dic verba susurro,
Ne somnum excussum forte queratur Amor.
Ille quidem abjecitque facem, abjecitque pharetram:
Pro face, pro pharetra, clava timenda tibi est.

DVI. (Olivier. Marm. Pisaur. n. 17.)

LVXVRIANTEM · ANIMO · POENVM
FERROQVE · RVENTEM
VRBIS · IN · EXCIDIVM · VIX · PVBER
AD · ARMA · VOCATIS
PATRIBVS · EDOCVI · CERTA
SVPERARIER · ARTE
POSSE . OLIM · INVICTAE · PER · NOS
CHARTAGINIS · ARCES
INSOLITVM · SVBIERE · IVGVM
VICTORIA · NOSTRA · EST
HANNO · ET · IBERVS · ATROX · CONIVNCTIQ· (3)
ARMA · SYPHACIS
MAXIMA · CVNCTARVM · VICTORIA
VICTA · VOLVPTAS

Habes hic Africani majoris ellogium, quae vir ille summus gesserit praeclarissima, paucis complectens: uti post pugnam Cannensem, desperata comploratacque republica, auctor fuerit Italiae non deserendae (4): mox imperium in Hispania, quod nemo accipere audcret, ipse petierit, dclatumque felicissime gesserit (5): bello Punico secundo confecto, conditiones pacis dixerit, et Carthaginienses tradere naves, captivos, perfugas, stipendiumque penderc, atque obsides dare jusserit (6): in Hispania vero Hannonem Poenorum imperatorem vivum ceperit (7); oppida omnia partim vi, partim auctoritate in ditionem populi Romani redegerit (8); in Numidia Syphacis regis exercitum fuderit, ipsumque regem oppresserit ceperitque (9): quibus denique rebus victoria illa anteponi-

(1) Ovid. Metam. l. 11. v. 215.
(2) post Flamin. carm.
(3) alii legere *Invictiq.*
(4) Livius l. 22. c. 29. n. 53.
(5) idem l. 26. c. 14. n. 18.
(6) id. l. 30. c. 28. n. 37.
(7) id. l. 28. c. 1. n. 2.
(8) id. ibid. c. 20. n. 38.
(9) id. l. 30. c. 8. n. 12.

tur, quam ex se ipso consequutus est, quum virginem captivam eximia forma, quae Allucio principi Celtiberorum desponsata esset, inviolatam sponso reddidit (1). egregii facti monumentum pulcherrimum videsis apud Sponium (2), clypeum scilicet argenteum olim in Rhodano repertum prope Avenionem: quamquam id Winckelmannus (3) de Briseide Achilli reddita accipiendum arbitratur.

Titulum hunc Gruterus rejecit, et suppositis adnumeravit (4): jure quidem, si hoc tantum contendebat, aevo Scipionis non esse scriptum: at injuria fortasse, siquidem recentiorum poëtarum commentum esse putavit. Santinellus apud Olivierum a Gozze laudatus germanum censuit: item Manutius (5), qui exemplo hinc sumpto eos solatur, quibus *Chartaginem* et *Chartaginenses* scribere placet. Olivierus tamen in hanc rem fidem suam non interposuit: ego ne audeam? tu vero, si quid addubitas, legito quae ad caput v. partitionis primae praefatus sum.

DVII. (Martial. l. 11. epig. 10.)

CLARVS · FRONDE · IOVIS · ROMANI · FAMA · COTHVRNI
SPIRAT · APELLEA · REDDITVS · ARTE · MEMOR

Quod ellogia poëtica lapidibus incisa non exstent, nisi perpauca, ut aliquot hujus quoque generis exempla darem, ex Martialis etiam libris mihi sumenda fuerunt: quae si nusquam insculpta sunt, tamen insculpi merito potuisse dixeris.

Titulus epigrammatis est *De statua Memoris;* tituli autem omnes epigrammatum aut ipsius Martialis sunt, aut certe antiquissimi: quare Iunii judicium (6) minus probo existimantis *Apelleam artem* hic dici picturam: atque illud verius censeo, qui Memoris statuam fecerat, huic vel nomen fuisse *Apellem,* ut veteri statuario apud Plinium (7); vel artificio adeo praestitisse, ut inter sculptores, aut statuarios is esse videretur, qui olim Apelles fuerat inter pictores.

Memorem numerat Sidonius (8) cum Turno, Ennio, Catullo, aliisque poëtis. quo loco Sirmondus, *Fratres,* inquit, *fuere* (Turnus et Memor) *Vespasianorum temporum poëtae, hic Tragicus, ille Satyricus, de quibus Martialis lib.* XI. *ep.* XI. . . . . *Scaevae Memoris Herculem tragoediam citat Fulgentius de prisco sermone.* querneа vero corona in Agone Capitolino aut Albano coronatum Memorem indicant illa verba *Clarus fronde Iovis* (9).

(1) id. l. 26. c. 37. n. 59.
(2) Misc. sect. 4. p. 152.
(3) Pref. p. 23.
(4) Spur. p. 10. n. 6.
(5) Orthogr. p. 143.
(6) in Catal. p. 16. de Apelle.
(7) H. N. l. 34. c. 8. n. 19.
(8) Carm. 9. v. 263.
(9) v. inscr. 105.

DVII. (Martial. lib. 5. epig. 25.)

HERMES . MARTIA · SAECVLI · VOLVPTAS
HERMES · OMNIBVS · ERVDITVS · ARMIS
HERMES · ET · GLADIATOR · ET · MAGISTER
HERMES · TVRBA · SVI · TREMORQVE · LVDI
HERMES · QVEM · TIMET · HELIVS · SED · VNVM
HERMES · CVI · CADIT · ADVOLANS · SED · VNI
HERMES · VINCERE · NEC · FERIRE · DOCTVS
HERMES · SVPPOSITITIVS · SIBI · IPSI
HERMES · DIVITIAE · LOCARIORVM
HERMES · CVRA · LABORQVE · LVDIARVM
HERMES · BELLIGERA · SVPERBVS · HASTA
HERMES · AEQVOREO · MINAX · TRIDENTE
HERMES · CASSIDE · LANGVIDA · TIMENDVS
HERMES · GLORIA · MARTIS · VNIVERSI
HERMES · OMNIA · SOLVS . ET · TER · VNVS

Statuas et ellogia gladiatoribus etiam aliquando posita, indicant statuae ipsae atque tituli, qui adhuc manent: quos inter insignis est Gruterianus (1) *M. Antonii Exochi*, quem Fabrettus quoque vulgavit (2). Hermeti autem gladiatori tot esse praeconia tributa ne mirere: sub Domitiano haec scripta sunt gladiatorum studiosissimo, qui domi ludum gladiatorium habebat, qui gladiatores saepe dabat, qui quaestoriis etiam muneribus aderat, et e ludo suo aliquot paria postulandi potestatem populo fecerat, quae novissima aulico apparatu induceret (3). porro ex ejus ludo et Advolantem et Helium et Hermetem fuisse, verisimile est: facile enim optimos quosque sibi legere ille potuit suosque facere.

Dicitur Hermes vincere nec ferire doctus, quod victor adversario parceret; quod autem numquam pugnando delassaretur, nec successore egeret, appellatur *Suppositititius sibi ipsi*. jamvero populus quum adesset Hermetis certamini frequentissimus, qui tabernas spectatoribus in foro locabant, divites fiebant. ludiae autem gladiatorum cum ipso pugnantium amicae non parum amasiis illis suis metuebant. hastam Hermes in prolusione vibrabat, quum agebat Samnitem; tridente pugnabat, quum agebat Retiarium; casside frontem atque oculos velabat, quum agebat Andabatam: idemque omnia solus et ter unus erat, Samnis, Retiarius, Andabata.

(1) p. 335. n. 5. (2) Col. Traj. c. 8. p. 256. (3) Suet. in Dom. c. 4. n. 3.

DVIIII. (Graev. Ant. t. 12. p. 394. Grut. p. 637. n. 1.)

VRSVS · TOGÁTVS · VITREÁ · QVI · PRÍMVS · PILÁ
LÚSI · DECENTER · CVM · MEIS · LVSÓRIBVS
LAVDANTE · POPVLÓ · MAXIMÍS · CLAMORIBVS
THERMÍS · TRAIANI · THERMÍS · AGRIPPAE · ET · TITI
MVLTVM · ET · NERÓNIS · SI · TAMEN · MIHI · CRÉDITIS
EGO · SVM · OVANTÉS · CONVENÍTE · PILICREPI
STATVAMQVE · AMÍCI · FLÓRIBVS · VIOLÍS · ROSÍS
FOLIÓQVE · MVLTÓ · ADQVE · VNGVENTÓ · MARCIDÓ
ONERÁTE · AMANTÉS · ET · MERVM · PRÓFVNDITE
NIGRVM · FALERNVM . AVT · SÉTÍNVM · AVT · CAECVBVM
VIVO · AC · VOLENTÍ · DÉ · APOTHECÁ · DOMINICÁ
VRSVMQVE · CANITE · VÓCE · CONCORDÍ · SENEM
HILAREM · IOCÓSVM · PILICREPVM · SCHOLASTICVM
QVÍ · VÍCIT · OMNES · ANTECESSORÉS · SVOS
SÉNSV · DECÓRE · ADQVE · ARTE · SVPTÍLISSIMÁ
NVNC · VÉRA · VERSÚ · VERBA · DICAMVS · SENÉS
SVM · VICTVS · IPSE · FATEOR · Á · TER · CÓNSVLE
VERÓ . PATRÓNÓ · NEC · SEMEL · SED · SAEPIVS
CVIVS · LIBENTER · DICOR · EXODIARIVS

Ursi Togati inscriptio, quam illustravit Torrigius (1), Romae in Vaticano templo reperta est anno MDLXXXXI. aut sequenti, ut scribit Gruterus. edidit autem et Marcus Velserus (2), qui hos versus appellat *concinnos, festivos, scitos totos.*

Pila ludere apud Romanos sollemne erat, ut ne senes quidem eo ludo abstinerent (3): quamquam folle eos contentos esse Martialis jubebat (4). *Pilicrepos* Seneca (5), *Pilarios* memorat Quintilianus (6): et *Pilariorum Eminentissimus* dicitur apud Fabrettum *P. Aelius Aug. L. Secundus* (7). sed pilae tum e corio aut aluta, vitreae nondum usurpatae fuerant: quas enim Plinius memorat vitreas (8), lusoriae non erant. Vrsus Antonini Pii aevo primus iis usus est, lusitque decenter cum lusoribus, quos ipse instituerat, quorum artem in eo positam fuisse dixeris, ut, quum pilam ultro citroque versarent, redderent, retorquerent, minime ea tamen frangeretur.

Igitur ludicrae hujus exercitationis inventor Vrsus statuam senex videtur meruisse,

(1) Graev. t. 12. p. 395.
(2) Mon. Aug. Vind. p. 244.
(3) Cic. de Or. l. 3. c. 15. n. 58.
Plin. l. 3. epist. 1.
(4) lib. 14. epigr. 47.
(5) epist. 56.
(6) Inst. l. 10. c. 7.
(7) p. 250. n. 2.
(8) H. N. l. 36. c. 26. n. 67.

qui sibi vivo et volenti coronas poscit et libationes de L. Veri patroni sui apotheca, quam, quia puer mancipium ejus fuerat, *Dominicam* appellat. unguentum *marcidum* est, quo qui utuntur, marcidi fiunt languentesque: sic *marcida vina* dixit Statius (1): et Claudianus, *marcidus ibit unguentis* (2). *Scholasticus* vero idem, opinor, atque elegans politusque e schola: hoc enim sensu ab Severo Alexandro Maximini filius *adolescens et pulcher et Scholasticus* dictus est (3): et de Serapione scripsit Hieronymus (4): *Serapion ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit.*

Post laudes suas Patroni etiam sui nomen celebrat Vrsus, et victorem agnoscit, fatetur, gloriae quoque sibi vertens, quod ejus Exodiarius, velut qui ejus actioni serviret, nec tamquam in scenam prodiret, nisi ad delectandum, fabula a patrono peracta, scenicorum Exodiariorum more, qui, ut ait vetus Iuvenalis Scholiastes (5), quia ridiculi erant, in fine ludorum intrabant, ut quidquid spectatores lacrimarum atque tristitiae coegissent ex tragicis affectibus, novi spectaculi risus detergeret.

Vrsum L. Veri Aug. libertum fuisse, facile adducor, ut credam. fuit quidem consul tertium et M. Annius Verus, qui eum magistratum gessit tertium anno Varr. DCCCLXXVIII. sed nemo fortasse *Verus* tantum appellatus, nisi L. Aelii Veri filius, quem M. Aurelius, ut ait Capitolinus (6), dato imperio *Verum vocari praecepit, suum in eum transferens nomen, quum ante Commodus vocaretur.* tertium autem consulatum accepit anno Varr. DCCCCXX. adde quod *palaestras et omnia exercitia juventutis* (7) amasse dicatur, idemque e Syria adduxisse secum *et fidicinas et tibicines et histriones scurrasque mimarios et praestigiatores, et omnia mancipiorum genera, quorum Syria et Alexandria pascitur voluptate* (8): ut ex horum grege Vrsus quoque fuisse videatur.

Illud demum animadvertas, non ut quidam apud Nardinum (9) opinabantur, Titi thermas a Trajano auctas esse ab eoque nomen accepisse, sed alias Titi fuisse, alias Trajani: quod jam Petr. Antonius Braschius adnotavit (10), et Pausaniae testimonio confirmari potest, qui operum Trajani αξιολογοτατα appellat (11) λουτρα επωνυμα αυτου.

Haec maxime veterum nobis inscriptionum exempla fuere, quae imitanda proponeremus: et hactenus dicta sint, quae ad intelligentiam earum cognitionemque vel necessaria visa, vel utilia. satis nimirum superque exspatiati sumus, voluptatique indulsimus: ut quod Pindaro carmina sua fabulis oneranti dixit Corinna (12), τη χειρι δειν σπειρειν, αλλα μη ὁλῳ τῳ ζυλακῳ, id jam usurpare in nos quispiam haud injuria posse videatur. quamquam aliorum saepe nos opibus nimios et tamquam prodigos fuisse, alii contendent; quibus plane assentimur, siquidem hoc simul dent, sua nos inventa, suam cuique gloriam aperte atque ingenue reliquisse: qui si hoc tamen querantur, parum nos magnifice de aliis loquutos, sciant nos minime esse blandos, itaque minus aliquanto dicere solitos, quam sentiamus.

(1) l. 1. Silv. ult. v. 33.
(2) de Bello Gildon. v. 444.
(3) Capitolin. in Maximin. Iun. c. 3.
(4) de vir illustr. n. 99.
(5) ad Satyr. 3. v. 175.
(6) in Vero c. 4.
(7) id. ibid. c. 2.
(8) id. ibid. c. 8.
(9) lib. 3. c. 10.
(10) de trib. stat. c. 9.
(11) lib. 5. c. 12. *celeberrima balinea ipsius cognomina.*
(12) Plutarch. de glor. Athen. p. 340. A. *manu oportere, non toto serere sacco.*

PATAVII

TYPIS SEMINARII

AN· M·DCCC·XIX·